[illegible]





PARISIIS
Apud GEORGIVM IOSSE via Iacobæa
sub Signo Coronæ spineæ.
. ANNO. M.D.CL.IIII.

IDEA PHILOSOPHIÆ RATIONALIS SEV LOGICA,

Paucis multa complectens, de iis quæ ſpectant ad mentis directionem.

Pars prima totius Philoſophiæ.

Auctore
D. PETRO A SANCTO IOSEPH
Fulienſi.

PARISIIS,
Apud GEORGIVM IOSSE, viâ Iacobæâ, ſub ſigno Coronæ Spineæ.

M. DC. LIV.
Cum Priuilegio, & Approbatione.

LVDOVICO XIV.
GALLIARVM,
ET NAVARRÆ REGI
CHRISTIANISSIMO,
LVDOVICI IVSTI,
ET AVGVSTISSIMÆ REGINÆ
ANNÆ AVSTRIACÆ
FILIO:

POST *longam, penéque desperatam viginti annorum expectationem, votis & lachrymis totius Galliæ, in pignus amoris eximij, cœlitus dato.*

LVDOVICO XIV.

Qui adhuc infans in supremo regni solio collocatus, eam dignitatem tum mira formæ venustate, specieque imperio digna, tum valde insolita huic ætati morum grauitate, & modestia honestabat.

In cuius pueritia non modo nulla se exerebat ad vitia procliuitas, quin præstantissimarum, planéque regiarum virtutum, quas in ipsius Patre suspeximus, in Matre totus Orbis miratur, iam tum micabant igniculi, seminaq; sensim adolescebant.

Qui, vt ſupra coætaneos ſuos in primo iam vigente adoleſcentiæ flore, alta & præcellenti corporis ſtatura eminet; ita adeo licèt annis immaturus, tanta ingenij, & conſilij maturitate præſtat, vt in rebus grauioris momenti tractandis, ſapientiſſimorum virorum, qui in Reipublicæ adminiſtratione conſenuerunt, ipſe proprio marte, & acumine iudicia non rarò anteuertat.

Qui pro ſua erga Deum pietate, erga Eccleſiam amore,

erga ſedem Apoſtolicam obſeruantia, ſtatutum in animo ac deliberatum habet, quam à Maioribus ſuis hæreſum domitoribus, veræ Religionis aſſertoribus, Romanæ dignitatis vindicibus, & propugnatoribus, ſimul cum Regis Chriſtianiſſimi nomine, veluti hæreditariam accepit Catholicam fidem ſartam tectam tueri, & ad poſteros inuiolatam tranſmittere.

Cuius piæ voluntatis non obſcuram nuper ſignificationem dedit, cùm graui edicto

ſanxit, vt quam primum in omnibus huius regni locis Conſtitutio Innocentij X. promulgaretur, qua nonnullæ opiniones de gratia & libertate, quas Cornelius Ianſenius Epiſcopus Iprenſis, ſub ſpecie reformandæ Theologiæ, & Eccleſiæ ab erroribus Pelagianorum purgandæ, induxit, hæreticæ declarantur, & vti tales damnantur.

Eoque maiori ſtudio piiſſimus Princeps omnem ſuam auctoritatem, vireſque omnes pro antiquæ fidei defenſione

conferre paratus est, quòd memoria repetens, ex quo nouæ quædam eadem de re opiniones, sub eodem reformationis, abigendique Pelagianismi obtentu, superiori sæculo exortæ, insanæ & furentis turbæ animos occuparunt, tot vniuersam Galliam rapinis, vastationibus, incendiis, cædibus, conspirationibus, sacrilegiis, impietatibus vexatam fuisse; tantamque ex eo consequutam esse rerum omnium perturbationem, vt vltimum nedum Religioni Catholicæ,

ſed & Regiæ dignitati, totique regno exitium imminere videretur; ſuas partes eſſe ducit, omni ope & opera cauere, ne in eadem illa pericula & damna relabamur, vnde cum diuino auxilio emerſimus.

Cuius tandem prudentiæ, ſollicitudini, generoſiſque conatibus, vel eo maximè titulo tota Gallia ſe ſummopere deuinctam profiteri debet, quod etſi turbulentiſſimis hiſce temporibus multum ſanè de priſtino illius robore ac firmitate,

bellorum iniuria, detractum sit, illius tamen salus in tuto iam posita videtur, speratque fore vt quod tam fœliciter inceptum est, Optimi Regis auspiciis, nec non sapientissimæ Reginæ monitis, Eminentissimique Cardinalis Mazarini consiliis, ad optatum pacis finem breui perducatur.

Quidni verò id speret? Cùm, summo Dei beneficio Principem nacti simus Philosophum, seu veræ sapientiæ amatorem, qui effatum illud Platonis ore omnium frustrà iactari mini-

mè patietur, quo beatas fore Respublicas pronunciauit, si regnarent Philosophi, aut si Reges Philosophiæ operam darent. At quomodo beatæ erunt, nisi à bellis vacent, summaq; otij & pacis trãquillitate, bonorum omnium altrice, placidissimè perfruantur?

Huic igitur tanto Regi, tot titulis Illustri & colendo, de Ecclesia & de suis Gallis tam bene merito, à quo magna quæ videmus, longè maiora sperare iubent, in perpetuum fidei, gratitudinis, & obser-

LVD. XIV. REGI CHR.

uantiæ monumentum, hanc quantulamcumque vniuersæ Philosophiæ summam, totius Congregationis Fuliensis nomine, nuncupandam duxit.

Christianissimæ Majestatis,

Perpetuus Orator, subditusque obsequentissimus,

FR. PETRVS A SANCTO IOSEPH Fuliensis.

AD LECTOREM.

EX quo tempore Theologia nostra prodiit in lucem, beneuole Lector, plerique viri doctrina & dignitate præstantes vt simile quid in Philosophia molirer, summis à me precibus contendere non destiterunt. Verùm, vt dicam quod est, vix vllis hortationibus aut rationibus adduci potui vt in eam me arenam coniicerem. Deterrebat in primis operis difficultas, nec sane immeritò: quid enim certi in rebus Philosophicis, quæ ab humana ratione, innumeris erroribus obnoxia, totam certitudinem petunt, reperiri potest? Veritates Philosophicæ, vt aiebat non nemo, in profundo puteo delitescunt, quis inde eas eruet? Nonne videmus de omnibus fere rebus in vtramque partem acerrimè disputari, & quod multis probatur, à multis improbabile, falsumque iudicari? Imò idemmet à seipso dissentiens, eandem nunc thesim acerrimè impugnat, quam ante paucos annos, vel menses toto pectore propugnabat. Ecquis igitur in tanta re-

rum difficultate & caligine, rectà ad veritatis ſcopum collimabit?

Videbam prætereà fruſtrà à me expectari, quod iamdiu à plerisque Philoſophis magna cum laude præſtitum eſt. Nam vt tot auctores præſtantiſſimos taceam, qui in illuſtrãda ampliſſimis commentariis Philoſophia, operam ſuam egregiè collocarunt, ij profectò longe ſupra meritum de me ſentiunt qui breuem & perſpicuam vniuerſæ Philoſophiæ delineationem à me poſtulant, ſi quid hac in re à tenuitate mea prodire poſſe arbitrantur, quod cum accurata, omnibusque numeris abſoluta noſtri R. D. Euſtachij à S. Paulo, Doctoris Sorbonici, Philoſophiæ ſumma, conferri poſſit. Quare cùm propriæ imbecillitatis conſcius, ſtudia Philoſophica parum laboribus meis iuuari, ac promoueri poſſe perſpicerem: nec me lateret in tanta librorum Philoſophicorum copia, quantam vix ampliſſimæ Bibliothecæ capere poſſent, nouum curſum proferre, id aliud nihil eſſe quàm actum, vt aiunt, agere, ne dicam, crambem ſæpius recoctam nauſeanti iam ſæculo reponere, diu profectò mentẽ meam aduerſus eorum preces obfirmaui, qui potiùs affectu quàm ratione ducti, è re litteraria fore iudicabant, ſi quas olim de

Philoſophia commentationes priuatim conſcripſi, & identidem pro nata occaſione refinxi, publici iuris facerem.

Verendum quoque erat, Lector, ſi Philoſophia noſtra proferretur in lucem, ne iterum nobis illud Virgilianum, *Sic vos non vobis*, vſurpandum eſſet. Cauſam verò timendì, ſi ignoras, accipe. Tres Ideæ Theologicæ ante decennium Pariſiis à nobis editæ, non multò poſt Auenione ſub titulo primùm ſolis Theologici, deinde Hermetis Theologici prodiere, typis cuiuſdam Bibliopolæ nomine Piot, qui rei familiaris augendæ cauſa, hunc quantulumcunque laborem nobis eripere religioni non duxit. Et quamuis ipſi fas eſſet in ditione ſummi Pontificis, prædicta Opuſcula ſub ea forma qua hic edita ſunt, prælo ſubiicere, & extra Galliam vendere; non modo titulum immutauit, librorumque ordinem inuertit, ſed & nomen noſtrum expunxit, quo liberius poſſet in fraudem diplomatis regij, exemplaria huius ementitæ Theologiæ in varias Galliæ Prouincias importare, ibique impune venalia habere: Nec ſatis ſibi habuit bonus ille vir, ſi graue damnum Bibliopolæ Pariſienſi, nobiſque iniuriam eleganti hoc dolo inferret, quin & pro ſua erga eos quorum imperio tenetur, reue-

rentia, cùm auctoritate Illustrissimi Vicelegati Auenionensis sub mulcta pecuniaria cautum esset, ne quis solem Theologicum venalem proponeret, paruit ille quidem non grauatè, ita tamen vt detracta prima libri pagina, solem in Hermetem commutarit; sicque pius ille Piotus posteriori fraude, priorem egregiè compensauit. Ne igitur adeo infausta sors nostræ Philosophię obtingeret, quam soror illius natu maior Theologia vitare non potuit, ægrè à me impetrare potui vt de ea in lucem proferenda cogitarem, ratus consultius fore, si in vmbra & otio Musæi nostri secura quiesceret, quàm si foras prodiens tanto discrimini incautè obiiceretur. Vicit tamen amicorum importunitas, (qua, vt verum fatear, nullum vnquam duriorem libertatis tyrannum expertus sum) & à me inuito post tot repulsas & procrastinationes, has disputationes tandem extorsit, quæ si æquitatis ratio haberetur, in perpetuum, nedum nonum in annum, mea quidem sententia, premendæ erant. Faxit Deus vt in publicam vtilitatem cedant, eumque saltem fructum, (quod maximè opto) ex earum lectione Philosophiæ studiosi percipiant, vt quanta sit, quamque suspicienda diuinæ Maiestatis potentia

ſeriò apud ſe reputent, cùm videant, quotquot Philoſophiam hactenus pertractarunt, viros alioqui acutiſſimos, præſtantiſſimoque ingenio præditos, in rerum naturalium cognitione adeo cœcutire, vt nedum magna & illuſtria opera, quæ à ſummo rerum Opifice prodiere, ſed ne viliſſima quidem & deſpicatiſſima cogitatione aſſequi poſſint.

FACVLTAS ADMODVM
Reuerendi Patris Generalis.

EGo infra scriptus Fuliensis Abbas, ac totius Congregationis B. Mariæ Fuliensis, Ordinis Cisterciensis Superior Generalis facultatem concedo dilectissimo nobis in Christo Domno Petro à Sancto Ioseph, Congregationis nostræ Sacerdoti ac Monacho Professo, librum quem composuit, cui titulus est *Idea Philosophiæ*, in lucem edendi, præuia tamen Doctorum Approbatione. Datum Lutetiæ Parisiorum apud nostrum S. Bernardi Monasterium sub manus propriæ subscriptione & officij nostri sigillo 7. Kal. Septembris anno Incarnationis Dominicæ supra millesimum sexcentesimo quinquagesimo primo.

FR. ARNALDVS A S. BENEDICTO.

De mandato admodum Reuerendi Patris Generalis.

FR. IACOBVS A S. BERNARDO
Secretarius

APPROBATIO DOCTORVM.

NOs infra ſcripti Doctores Sorbonici teſtamur legiſſe librum hunc, cui titulus eſt, *Idea Philoſophica omnes Philoſophiæ partes complectens*, compoſitum à P. D. PETRO A S. IOSEPH, Fulienſi, in quo nihil Orthodoxæ fidei contrarium inuenimus, imo digniſſimum iudicauimus qui in lucem edatur, & omnium oculis tanquam abſolutiſſimum totius Philoſophiæ exemplar & lucidiſſimum ſpeculum proponatur; Datum Pariſiis in ædibus noſtris Sorbonicis die 3. Iulij 1651.

C. BOVRLON.

I. SEGVIER.

SVMMA PRIVILEGII.

REGIS Christianissimi LVDOVICI XIV. Priuilegio, licet R.P. PETRO A S. IOSEPH; Congregationis Fuliensis Sacerdoti & Monacho Professo, *Ideam Philosophiæ* ab eodem R. P. elaboratam & elucubratam, nec non in quatuor partes totidemque volumina distinctam, quandocumque libuerit, & voluerit tali forma & qualibus caracteribus elegerit, Typis mandare. Idque in annos viginti, ab ipso die numerandos, quo prima Editio perfecta fuerit. Quòd si quis in hoc Galliæ regno aut extra illud, illam ipsam Philosophiæ Ideam sine dicti R.P. aut illius qui ipsius iura circa hoc ipsum fuerit consecutus, consensu excudere, aut vænum exponere audeat, nouerit se vltra Exemplarium fisco addictionem, graui pœna pecuniaria mulctatum iri, qualis in dicto habetur Priuilegio. Datum Lutetiæ Parisiorum 13. Mart. anno 1651.

MIGNOT.

Huius Priuilegij vim & facultatem omnem, dictus R. P. Petrus à S. Ioseph,

transtulit in Georgium Iosse Bibliopo-lam Parisiensem eiusque hæredes. Die 19. April. 1651. 13

Ad finem deducta fuit prima isthæc Editio die Nouembris 10. anno 1653.

ERRATA.

Pag. 37. *lin.*15. *pro*, sumptum, *lege*, sumi tum, *p.* 51. *l.* 22. *l.* vtrique æquiualet, *p.* 54. *l.* 1. *l.* diosus, *p.* 103. *l.* 22. *lege*, deinde accidens, *p.* 120. *l.* 24. *l.* quia maximè, *p.* 121. *l.* 21. *l.* vel sint, *p.* 134. *l.* 23. *l.* numero distinctos, *& l.* 24. *l.* illimitatæ Dei, *p.* 139. *l.* 16. *l.* aliquo termino, *p.* 140. *l.* 28. *l.* superficies, *p.* 160. *l.* 7. *l.* nec posset, *p.* 161. *l.* 16. *l.* ad illam, *p.* 164. *l.* 16. *l.* confusè, *pro* consultè, *p.* 175. *l.* 2. *l.* operante, *p.* 182 *l.* 12 *l.* etsi eidem, *p.* 188. *l.* 8. *l.* elementares, *p.* 215. *l.* 15. *l.* res definienda, *& lin. sequenti*, *l.* non rarò, *p.* 218. *l.* 19. *l.* & difficultas, *p.* 219. *l.* 12. *l.* vel illius relationis, *p.* 251. *l.* 19. *l.* color vt color, *p.* 252. *l.* 22. *l.* hoc autem vtrique, *p.* 269. *l. penult.* *l.* ad illud, *p.* 296. *l.* 1. *l.* necesse est, *& lin.* 12. *l.* modum affirmatiuum, *p.* 299. *l.* 28. *l.* quarta negatiuam, *p.* 300. *l.* 20. *l.* ex vocalibus, *p.* 307. *l* 20. *l.* alborum, *p.* 310. *l.* 10. *l.* & sic, *p.* 329. *l.* 1. *l.* quatuor modis, *p.* 331. *l.* 3. *l.* extra, *p.* 372. *l. vlt.* *l.* à qua, *p. seq.* *l.* 15. *l.* si dicam, *p.* 375. *l.* 16. *l.* sed carere, *p.* 394. *l.* 2. *l.* illustrari, *p.* 395. *l.* 12. *l.* habemus, *p* 409. *l.* 5. *l.* probabilibus, *p.* 412. *l.* 14. *l.* sextus locus est, *p.* 424. *l.* 18. *l.* etsi non sint.

In Thesibus tam huius, quàm aliarum partium nonnulla occurrunt menti nostræ non satis consentanea, quæ ex ipso textu facile à Lectoribus emendari poterunt.

INDEX.
LIBRORVM, CAPITVM, ET ARTICVLORVM.

PRÆLVDIVM.

De ipsa Logica secundum se.

LIBER I.

De iis quæ spectant ad directionem primæ mentis operationis.

CAPVT PRIMVM.

De natura, variisque speciebus termini.

CAPVT II.

De quinque vocibus ſeu Prædicabilibus Porphyrianis.

CAPVT III.

De collatione quinque Prædicabilium à Porphyrio tradita, à capite ſexto ſuæ introductionis.

CAPVT IV.

De Prædicamentis in genere.

CAPVT V.

De Prædicamento substantiæ.

CAPVT VI.

De Prædicamento quantitatis.

CAPVT VII.

De Prædicamento relationis.

CAPVT VIII.

De Reliquis Prædicamentis.

CAPVT IX.

De post Prædicamentis.

CAPVT X.

De Definitione.

LIBER II.

De iis quæ spectant ad directionem secundæ mentis operationis.

CAPVT PRIMVM.

De principiis ennunciationis.

CAPVT II.

De Enunciatione, & variis diuisionibus illius.

CAPVT III.

Quædam dubia expenduntur circa traditas diuisiones Enunciationis.

CAPVT IV.

De veritate propositionum de futuro contingenti, siue absoluto, siue conditionato.

CAPVT V.

De quibusdam affectionibus propositionum absolutarum.

CAPVT VI.

De Affectionibus propositionum modalium.

CAPVT VII.

De Diuisione.

LIBER III.

De iis quæ spectant ad directionem tertiæ mentis operationis.

CAPVT PRIMVM.

De Syllogismo secundum se.

CAPVT II.

De Figuris syllogismorum.

CAPVT III.

De reductione Syllogismorum imperfectorum ad perfectos.

CAPVT IV.

De Medij inuentione, vbi exhibetur figura, quæ vulgo *Pons Asinorum* appellatur.

CAPVT V.

De quibusdam aliis Syllogismorum formis.

CAPVT VI.

De Syllogismo demonstratiuo.

CAPVT VII.

De medio & effectu demonstrationis.

CAPVT VIII.

De Syllogismo Topico & Sophistico.

FINIS.

IDEA

IDEA PHILOSOPHIÆ RATIONALIS; ſeu LOGICA,

Paucis multa complectens, de iis quæ ſpectant ad Mentis directionem.

PRÆLVDIVM.

De ipſa Logica ſecundum ſe.

ARTICVLVS I.

Quædam premonita de nominibus, exiſtentia, & inuentione Logicæ, illiuſque aliquali ratione.

PRÆMONEO I. Logicæ nomine hic à nobis intelligi quemdam mentis habitum, quo omnes intellectus noſtri operationes diriguntur in ordine ad erum cognoſcendum. Qui etiam integer abitus, Dialectica iam communiter vocai ſolet, etſi olim hoc vocabulum pro ſola

parte Topica, quæ tantùm de probabilibus differit, vſurparetur.

PRÆMONEO II. Certum eſſe apud omnes, eiuſmodi aliquem habitum eſſe poſſibilem. Cùm enim poſſibiles ſint habitus qui linguam, manum, voluntatem dirigant ad ſuas operationes rite exercendas, quidni poſſibilis quoque erit habitus quidam mentis, quo ipſius intellectûs operationes ad cognitionem veri dirigi, recteque inſtitui poſſint? Si quidem intellectus cum ſit ſpiritualis, non modo aliarum potentiarum actus cognoſcere, ſed etiam ſupra ſuas operationes reflecti poteſt, vt quid in eis rectum, quid obliquum ſit, deprehendat.

PRÆMONEO III. Non tantùm Logicam eſſe poſſibilem, ſed etiam de facto dari, vt patet vel ex innumeris libris qui de ea conſcripti ſunt, & ex eo animi ardore, quo videmus illam in omnibus Academiis doceri, & addiſci. Quòd ſi quæras, quâ primùm ratione hæc ſcientia in orbem inuecta ſit, ſcito in primis eam quidem ſimul cum aliis ſcientiis naturalibus primo parenti in inſtanti creationis à Deo fuiſſe infuſam, vt ſumitur ex verbis illis Eccli.17. *Diſciplina intellectûs impleuit illos, creauit illis ſcientiam ſpiritûs, ſenſu impleuit cor illorum*: eaque ratione probatur à S. Thoma. 1. p. q. 94. art. 3. quia ſicut primus homo productus fuit in ſtatu perfecto ſecundùm corpus, ad aliorum generationem; ita congruum fuit vt produceretur in ſtatu perfecto ſecundum animam, ad inſtructionem & gubernationem aliorum. Deinde verò temporum iniuriâ pene deletam, ab antiquis Philoſophiæ Magiſtris, ac præſertim Ariſtotele fuiſſe reſtitutam.

PRÆMONEO IV. Veteres Philoſo-

phos Logicam restaurasse partim vi natiuâ proprij intellectûs, partim longo vsu & experientiâ. Cùm enim obseruarent operationes mentis nunc à vero deuiare, mox rectè procedere, detectâ tandem erroris causâ præceptiones quasdam & regulas instituerunt, quarum ope posset intellectus in veri inuestigatione, siuè apprehendendo obiecta, siue de iis iudicando, siue argumentando, scopum certò attingere.

PRÆMONEO V. Quinque mentis habitus certos vulgo assignari, nempe Intellectum, Sapientiam, Scientiam, Artem, & Prudentiam, duosque incertos, videlicet Opinionem, & Fidem humanam. Intellectus est habitus, quo principiis per se notis ex sola apprehensione terminorum naturaliter assentimur, quale est illud, *Totum est maius sua parte*. Sapientia est habitus qui versatur circa res præstantissimas, & maximè vniuersales, quomodo Metaphysica communiter Sapientia vocatur, quia agit de Ente, de Deo, & de Intelligentiis. Scientia est habitus quo assentimur conclusioni ex præmissis certis, & euidentibus demonstratæ. Ars est habitus, qui circa res, vel operationes externas plerumque occupatur. Prudentia est habitus, quo voluntatis operationes ad bonum morale diriguntur. Opinio est habitus, quo assentimur alicui propositioni per medium internum probabile, & incertum. Ac denique Fides humana est habitus, quo alicui propositioni assensum præbemus, propter autoritatem dicentis.

PRÆMONEO VI. Logicam non posse dici Sapientiam, cùm non tractet per se de rebus altissimis & præstantissimis. Posse tamen ex aliqua sui parte dici Intellectum, quatenus

nempe habet aliqua principia per se nota, quale est illud, *Tunc enunciatio vera est, quando est conformis rei quam enunciat* Nec dubium esse quin magna sui parte sit Opinio, cùm multas conclusiones parum certas, non modo in Topica, sed etiam in aliis partibus tradat. Est autem difficultas an Logica sit Scientia propriè dicta, an verò potiùs ad Artem reducenda sit, quod nunc examinandum est.

ARTICVLVS II.

An Logica inter Scientias, vel potius inter artes reponi debeat.

HÆC dubitatio videtur potiùs ad voces spectare, quàm ad rem ipsam. Quia cum ars & scientia variis modis accipi soleant, vix negari potest, quin Logica aliquo sensu sit ars, alio verò non sit: & similiter quin sub vno respectu ad scientiam spectet, sub alio minimè; quod ita ostendo.

In primis si ars sumatur strictè, vt definitur ab Arist. 6. Ethic. cap. 4. *Habitus cum vera ratione factiuus*, id est, vt omnes vulgò explicant, qui tradit modum rectè faciendi aliquod opus materiale & externum, sic clarum est Logicam non esse artem, cùm circa internas mentis operationes tota versetur, nec operis alicuius externi effectionem per se præscribat.

Si verò ars latiùs sumatur pro habitu, qui quomodocunque tradit rationem aliquid agendi, siue exterius, siue interius; aut qui fertur in obiectum cōtingens, seu quod potest esse vel non esse, neque habet in se principium suæ rectitudinis, sed eam ab habitu accipit, hoc

modo perspicuum est Logicam inter artes numerandam esse; cùm munus illius sit ad verum dirigere mentis operationes, quæ sunt contingentes, eisque conferre rectitudinem quam ex se non habent.

Eodem modo si nomine scientiæ intelligamus habitum illum, cuius cognitio est gratiâ sui, & ad aliud non ordinatur, quomodo sumitur ab Arist. 2. Metaph. sic omnes fateri debent Logicam non esse scientiam, cùm tota illius cognitio ad praxim tendat, adeoque inter habitus practicos, non inter speculatiuos, qui sunt gratiâ sui, numeretur.

Si tamen per scientiam intelligatur habitus siue speculatiuus, siue practicus, qui per veram demonstrationem generatur, vt à Philosopho 1. Poster. cap. 1 accipitur, hoc modo negari non potest, quin Logica inter scientias locum obtineat; cum per veras demonstrationes gignatur, vt variis exemplis ostendi potest. Siquidem in Logica demonstratur vniuersale de multis prædicari, quia illis inest: definitionem explicare naturam rei, quia traditur per genus & differentiam; diuisionem tollere confusionem, quia totum per partes explicat: demonstrationem parere scientiam, quia constat ex veris, necessariis, notioribus, causisque conclusionis: syllogismum topicum gignere assensum formidolosum seu opinatiuum, quia constat ex incertis & contingentibus: syllogismum sophisticum generare errorem, quia ex apparentibus coalescit. Cùm itaque habitus Logicæ per has & similes demonstrationes producatur, nihil illi deest ad rationem scientiæ, modo prædicto vsurpatæ, quæ, ex communissimo consensu, est vera & propriè dicta scientia, esto in mera sui obiecti speculatione non sistat.

Confirmatur, nam si dantur aliquæ veræ scientiæ, fatendum est ipsam Logicam esse veram scientiam; at nemo dubitat, quin dentur veræ aliquæ scientiæ, ergo fatendum est ipsam Logicam veram esse scientiam. Sequela maioris ostenditur, quia vt Physica v. c. vera sit scientia, ea debet comparari per veram demonstrationem, quam cùm non habeat nisi ex regulis à Logica traditis, necesse est ipsam Logicam esse scientiam.

Verum contra hanc vltimam assertionem Obiicies 1. Scientia est de necessariis, non de contingentibus: at Logica non agit de necessariis, sed de contingentibus; siquidem versatur circa mentis nostræ operationes, quæ sunt aliquid contingens; cùm possint à nobis fieri, vel non fieri. Respondeo mentis nostræ operationes spectatas secundum se, & in genere vt sunt dirigibiles ád verum, non esse contingentes, sed tantum in particulari, vt hic & nunc à nobis diriguntur. Et priori modo posse veram scientiam circa illas versari: sicut vera scientia versatur circa hominem secundum se, esto hic & ille homo secundum existentiam sint contingentes, seu possint esse, vel non esse.

Obiicies 2. Quî fieri potest vt Logica sit vera scientia, cùm versetur circa tres mentis operationes, quarum prima, quæ est simplex apprehensio, nullam scientiam parere potest, vt omnes fatentur, nec secunda quæ est iudicium: tertia verò, quæ sola veram scientiam procreare potest, quando demonstratiuè concludit, plerumque probabiliter duntaxat, aut sophisticè concludit. Respondeo id non impedire quominus Logica, quatenus tractat de tribus mentis operationibus, verè sit scientia; quia in ijs quæ spectant ad earum directio-

nem, demonstratiuè, adeoque scientificè procedit, vt ex ratione superius allata intelligi potest.

Obiicies 3. Si Logica esset vera scientia, sequeretur omnes artes inter veras scientias reponendas esse, quod tamen absurdum esse nemo non videt. Sequela patet, nam ideo Logica dicitur scientia, quia demonstratiuè procedit: at etiam artes demonstratiuè procedunt, cùm artifices saltem peritiores causam assignare possint, cur hoc vel illo modo in operibus suis procedere debeant. Respondeo negando sequelam maioris, & ad illius probationem dico, satis esse ad rationem artis, quòd ex fide humana exerceatur, vt plerumque fit. Vnde cùm procedit per veram causam, hoc est per accidens; & tunc ars ad statum scientiæ eleuatur, ita vt sit ars scientifica, vel scientia artificiosa.

Obiicies 4. Logicam ex Arist. non posse veram esse scientiam, tum quia vocat illam facultatem, tum quia ait absurdum esse simul quærere scientiam, & modum sciendi, per modum sciendi Logicam indicans, vt omnes fatentur. Verùm ista nullius sunt roboris, quia quando Arist. Dialecticam vocat facultatem, loquitur de parte Topica, quæ de rebus probabiliter in vtramque partem disputat. Quando verò ait, absurdum esse simul quærere Scientiam, & modum sciendi, nihil aliud vult, quàm Logicam, quia tradit modum sciendi, addiscendam esse ante alias scientias, non simul cum illis.

ARTICVLVS III.

An non modo Logica Docens, sed etiam Vtens vera sit scientia.

PRÆMONEO I. Celebrem esse apud Philosophos, Logicæ diuisionem in Docentem, & Vtentem. Vocatur Logica docens, quatenus tradit præcepta definiendi, diuidendi, & argumentandi; Vtens verò quatenus definitiones, diuisiones, & argumentationes in hac aut illa materia conficit, iuxta præcepta à Docente tradita.

PRÆMONEO II. Logicam docentem posse duobus modis considerari, vel in actu primo, vel in actu secundo. Logica docens in actu primo, est ipse habitus Logicæ quo intellectus habet internam facilitatem ad tradendas regulas artificiosas, quæ in constructione definitionis, diuisionis, & argumentationis obseruandæ sunt. Logica verò docens in actu secundo, est operatio ab illo habitu elicita, quâ de facto dirigimur ad rectè definiendum, diuidendum, & argumentandum. Vnde Logica docens actualis non est miscenda cum Logica vtente, cum hæc sit operatio ab illa regulata, ac proinde ab ea, vt sic, realiter distincta, vt postea dicetur.

PRÆMONEO III. Logicam esse secundum se totam docentem, quia in omni parte docet aliquid spectans ad directionem cognitionis, & secundum se totam vtentem, quia vbique potest exequi quod à docente traditur. Vnde refelluntur qui putant, Logicam esse tantum vtentem secundum partem

Topicam; cum non solum ex probabilibus disputare, sed etiam definire, diuidere, & demonstrare sit vsus Logicæ.

Iam duo in quæstionem vocantur circa hanc diuisionem, primò an Logica docens sit habitus realiter ab vtente distinctus. Nonnulli affirmant, sed oppositum est probabilius; siquidem non repugnat quòd idem habitus tradat scientificè præcepta rectè conficiendi definitiones, diuisiones, & syllogismos, & quòd simul ad eiusmodi operationes conficiendas inclinet, sine auxilio vlterioris habitûs; quia cùm fieri debeant ab eodem intellectu, in quo est habitus Logicæ, non apparet cur in ea effectione occurrat noua difficultas, quæ per distinctum habitum sit superanda.

Obijcies 1. Si idem esset habitus Logicæ docentis & vtentis, qui calleret præcepta Logicæ, eo ipso posset facilè argumentari in quacunque materia proposita, quod tamen falsum esse, vel ipsa experientia nimis notum est. Respondeo id non sequi, quia etsi modus definiendi, diuidendi, & argumentandi semper idem sit, adeoque difficultas in aliis scientiis ex eo modo orta, ab ipso habitu Logicæ superari possit; restat tamen alia difficultas ex parte materiæ ad eas scientias spectantis, quæ non ab ipsa Logica, sed tantum à propriis habitibus eiusmodi scientiarum vinci potest. Quare vt quis in materia Physica facilè argumentetur, non satis est quòd artem syllogisticam calleat; sed præterea necesse est, vt in materia ad Physicam spectante versatus sit.

Obiicies 2. Vt quis artem aliquam exerceat, non sufficit vt illius præceptis probè imbutus sit, sed etiam requiritur vt longo vsu facilitatem operandi, ab ipso habitu artis distinctam

acquirat. Ergo similiter requiritur habitus quidam à Logica docente distinctus, cuius ope istius præcepta ad vsum applicari possint. Respondeo non sequi, & ratio discriminis est, quia cum artes sint in intellectu, & debeant exerceri per potentias distinctas, non mirum est quòd ad earum exercitium requiratur aliqua facilitas, aut habitus ab ipsis artium habitibus realiter distinctus: at res se aliter habet in Logica, eò quòd idem intellectus qui per Logicam docentem nouit quomodo definitio compingenda sit, debet actualem definitionem conficere. Quare idem esse potest habitus Logicæ docentis, & vtentis.

Quo loco aduerte 1. iam dicta procedere de habitu Logicæ docentis & vtentis, nam si sermo sit de actibus illarum, certum est actum Logicæ vtentis esse realiter distinctum ab illo actu Logicæ docentis, à quo dirigitur, cùm inter dirigens & directum debeat esse realis distinctio: v.c. inter actum istum Logicæ docentis, *Diuisio est oratio, quâ totum in suas partes distribuitur*, & istum Logicæ vtentis, qui fit ex illius præscripto, syllogismus alius est demonstratiuus, alius probabilis, alius sophisticus.

Aduerte 2. Non repugnare quòd idem actus qui est vtens respectu vnius, sit docens respectu alterius, vt patet in exemplo allato, nam idem ille actus quo docetur in genere quomodo construenda sit diuisio, quique proinde est docens per ordinem ad diuisionem syllogismi allatam, est vtens si conferatur cum alia regula Logicæ quâ statuitur, definitionem debere constare ex genere & differentia; cùm iuxta hanc regulam diuisio rectè definiatur, Oratio quâ totum in suas partes distribuitur.

Quæritur 2. An ratio scientiæ non modò

Logicæ docenti, ſed etiam vtenti competat. Reſpondeo 1. negari non poſſe quin, ſuppoſito quòd Logica ſit ſcientia, vt verè eſſe oſtenſum eſt, id maximè de docente intelligi debeat. Ratio eſt, quia Logica docens eſt illa quæ tradit præcepta ad rectam definitionem, diuiſionem, & argumentationem ſpectantia: ea autem non tradit nudè eiuſmodi præcepta ad modum artis, ſed efficaciter illa demonſtrat, vt variis exemplis ſuprà oſtenſum eſt. Quare Logica docens eſt verè & propriè ſcientia.

RESPONDEO II. Logicam vtentem formaliter ſpectatam non habere rationem ſcientiæ. Probatur, quia proprius actus ſcientiæ habtiualis, eſt aſſenſus datus concluſioni, ex præmiſſis per demonſtrationem deductæ; at verò actus proprius Logicæ vtentis eſt conſtruere definitiones, diuiſiones, & ſyllogiſmos, iuxta regulas à docente præſcriptas: vnde, vt ſic, non eſt propriè ſcientia.

RESPONDEO III. Logicam vtentem materialiter ſpectatam, ex aliqua ſui parte dici poſſe ſcientiam, quatenus nempe conficit veras demonſtrationes. Cùm enim actu demonſtrare ſit effectum per cauſam cognoſcere, eaque cognitio ſit ſcientia actualis, hinc fit vt Logica vtens, quando demonſtrat, ſcientia dici poſſit. Quanquam ſecùs ſentiendum ſit quando definit, diuidit, aut probabiliter diſcurrit, cùm iſti actus non ſint ſcientia propriè dicta.

Dices, fieri non poteſt quòd idem habitus ſit ſcientia, & non ſit ſcientia; at idem eſt habitus Logicæ docentis, & vtentis ex dictis: ergo cum Logica docens ſit ſcientia, dici nequit vtentem non eſſe ſcientiam. Reſpondeo

maiorem veram esse de habitu eodem modo spectato, falsam autem si penes diuersos actus spectetur, vt hîc contingit. Nam Logica docens est scientia, quatenus tradit scientificè modum construendi definitionem & diuisionem, non tamen habet rationem scientiæ, quatenus actu definit, aut diuidit.

ARTICVLVS IV.

Quodnam sit obiectum Logicæ.

PRÆMONEO I. Obiectum dici hoc loco id circa quod scientia versatur, seu quod à scientia consideratur; eo modo quo color dicitur obiectum visûs, verum intellectûs, & bonum voluntatis.

PRÆMONEO II. Obiectum esse duplex, materiale, & formale; materiale est illud quod consideratur à scientia, formalè verò est ratio secundum quam consideratur; quomodo corpus humanum est obiectum materiale medicinæ, vt sanabile verò obiectum formale. His præmissis,

In primis nonnulli dicunt, Logicam nullum habere obiectum determinatum, sed circa omnia indiscriminatim versari. Verùm hoc refellitur, quia etsi verum sit de obiecto remoto, eo quòd Logica in materijs omnium scientiarum tradit modum definiendi, diuidendi, & argumentandi, non tamen de proximo quod est certum & definitum, vt vulgò omnes côcedunt.

Obiicies, Logica intendit discernere verum à falso, ergo versatur circa res; cum veritas aut falsitas in iis sit. RESPONDEO I. Antecedens à nonnullis negari, qui existimant ad

Logicam nihil aliud spectare, quàm vt operationes mentis exerceantur iuxtà regulas artis, nec curare an sint conformes suis obiectis, vel non; adeóque an veræ sint, an falsæ. Vnde in hac Sententià, Logica non admittit istam definitionem, etsi vera sit, *homo est rationale animal*, quia iuxta regulas artis, in legitima definitione genus ante differentiam collocari debet. Contra verò probat hunc Syllogismum, etsi omnes illius propositiones sint falsæ, *omnis homo est Philosophus, omnis equus est homo, ergo omnis equus est Philosophus*, quia in eo seruatur forma Syllogistica.

RESPONDEO II. Concesso antecedente consequentiam esse negandam, si ita intelligatur vt Logica versetur primario circa res ipsas. Et ad illius probationem dicimus, veritatem esse in rebus fundamentaliter dumtaxat, in cognitione vero formaliter. Quare etsi Logica intendat non modo rectitudinem artificiosam in actus intellectus inducere, sed etiam ea rectitudine secundario efficere vt sint conformes obiecto, vt cum statuit eam esse veram & legitimam definitionem, quæ c[illegible] ex genere & differentia: hinc non sequitur Logicam versari primario circa res, sed tantùm circa cognitionem nostram, ita eam dirigendo vt rebus sit conformis.

Secundo alij existimant voces externas esse obiectum Logicæ. Sed contrà, nam quæ tractantur in scientia aliqua, gratia obiecti in ea tractantur: at definitio, diuisio, & argumentatio non tractantur in Logicà gratia vocum, sed vice versa voces in Logicà considerantur, quatenus ijs indigemus ad tradenda aliis præcepta de definitione, diuisione, & argumentatione. Ergo voces non sunt obiectum Logicæ.

Confirmatur, nam poteſt quis Logicam callere, etſi vocibus externis non vtatur, imò etſi mutus ſit. Quia vt Logicam calleat, ſufficit quod ſciat modum quo ex illius præſcripto, faciendæ ſunt definitiones, diuiſiones, & argumentationes; quod, vt patet, ſine vllo vocum externarum vſu perfectè aſſequi poteſt.

Nec refert quòd Logica non numeretur inter ſcientias reales, ſed inter ſermocinales dumtaxat; cùm enim Logica verſetur circa mentis operationes, in quibus ſermo internus conſiſtit, meritò vocatur ſcientia ſermocinalis, diſtinguitúrque eo titulo ab aliis ſcientiis, quæ ideò reales appellantur, quia feruntur circa res à ſermone diſtinctas.

Tertiò alij putant obiectum Logicæ eſſe ens rationis non quodcunque, ſed illud quod à Logicis vocatur ſecunda intentio, conſiſtitque in denominatione generis, ſpeciei, ſubiecti, prædicati, & ſimilibus. Verum hoc etiam refellitur, quia ſub iſtis vocibus Logica intendit agere de rebus ipſis quæ ijs ſubſtant. Non enim cùm ait v. c. genus prædicari de ſpeciebus, ſenſus eſt hanc vocem *genus* prædicari de voce illa *ſpecies*, hoc modo, *ſpecies eſt genus*, ſed naturam realem per genus ſignificatam, enunciari de natura quæ ſpecies vocatur, vt in hac propoſitione, *homo eſt animal*. Quare hæc nomina ſecundæ intentionis non ſunt propriè obiectum Logicæ, cùm ab ea non conſiderentur ratione ſui, ſed alterius gratia, quatenus nempè conducunt ad directionem mentis.

Nota quando Ariſtoteles 4. Metaph. cap. 2. ait primam Philoſophiam, & Dialecticam agere de omni Ente, non eſſe ſenſum, illam age-

de omni Ente reali, hanc verò de omni te rationis; Sic enim Logica deberet agere chimerâ, aliisque entibus omninò fictitiis impossibilibus: sed Metaphysicam agere de ıni Ente reali scientificè, & demonstratiuè; alecticam verò sumptam pro parte topicâ, obabiliter.

Quartò multi existimant modum sciendi, atenus complectitur tria instrumenta, qui s nostra cognitio dirigi potest ad verum, mpè definitionem, diuisionem, & argumentationem esse obiectum adæquatum Locæ. At neque hoc placet, quia cum Logica ›nficiat hæc instrumenta per ordinem ad di- ʒendas mentis operationes, perspicuum est ı non esse proprium & adæquatum obiectum ›gicæ; ad eum modum quo penicillus non t obiectum artis pictoriæ, aut malleus artis errariæ.

Neque dicas varias artes habere pro obiecto ›nfectionem quorumdam instrumentorum, ›c enim verum est de ijs artibus quæ in ea ›nfectione sistunt, nec instrumenta conficiunt ad proprios vsus; quomodo ars frænoıctoria habet pro obiecto confectionem ænı, cuius vsum relinquit Equestri, cui subrdinatur. At Logica conficit instrumenta iendi eo fine vt ipsa primariò ijs vtatur, qua: ea non possunt esse proprium & adæquatum lius obiectum. His itaque opinionibus reːctis.

RESPONDEO, & dico I. *Obiectum materiale Logicę esse cognitionem intellectus, vt complectitur tres vulgares mentis operationes, nempè rimam apprehensionem, iudicium, & discursum.* equitur ex dictis à sufficienti enumeratione, ım nihil aliud appareat in quo Logicæ obie-

ctum probabiliter constitui possit.

Sed præterea probatur primò, quia cùm omnium consensu Logica versetur practicè circa mentis operationes, negari merito non potest quin eas tanquam proprium obiectum consideret: ad eum modum quo Ethica habet pro obiecto operationes voluntatis, & omnes artes opera artefacta circa quæ occupantur.

Secundò, quia illud dicitur obiectum alicuius scientiæ, ad quod reducuntur quæ in ea tractantur; atqui quæ tractantur in Logicâ, reducuntur ad cognitionem mentis, vt ex dicendis perspicuum fiet, ergo hæc est proprium obiectum Logicæ.

Dico 2. *Obiectum formale Logicę esse cognitionem mentis, vt dirigibilem ad verum.* Probatur, nam quæ traduntur in Logicâ eò tendunt, vt cognitio intellectus rectè dirigatur in ordine ad verum; ergo ea cognitio vt dirigibilis, est formale obiectum Logicæ.

Confirmatur 1. nam Logica non considerat mentis cognitionem modo speculatiuo, cum hoc ad Physicum spectet, sed modo practico, tradendo nempè regulas & præcepta quibus operationes intellectûs rectè dirigi possunt. Ergo cognitio intellectus vt dirigibilis, assignari debet pro obiecto Logicæ.

Confirmatur 2. nam obiectum formale Logicæ debet esse cognitio intellectus, vel vt recta, vel vt rectificata, vel vt rectificabilis. Non vt recta, quia vt sic est veluti exemplar quod Logica intuetur, vt ad illius imitationem operationes mentis rectificare possit; qua ratione non est illius obiectum, sicut exemplar quod sibi pictor imitandum proponit, non est obiectum artis pingendi. Non etiam vt rectifi-

ata, quia licet vt ſic ſit finis Logicæ, non ta-
en propriè eſt obiectum illius; ſicut domus
nſtructa non tam eſt obiectum Architectu-
,quàm finis illius. Et ratio eſt, quia ars &
entia practica verſantur proximè circa ali-
id vt operabile, etſi rectum opus finaliter
endant. Sequitur ergo cognitionem vt re-
ficabilem ſeu dirigibilem eſſe obiectum
gicæ. Eò vel maximè quia præcepta non
ntur in Logica de cognitione recta, aut re-
ficata, ſed tantùm de rectificabili.

Nota 1. ſpectare quidem ad Phyſicum con-
erare ſpeculatiuè naturam & paſſiones co-
itionis intellectualis, adeóque ipſam diri-
bilitatem quæ eſt quædam illius paſſio: non
nen practicè, quomodo conſideratur à Lo-
a, quatenus tradit varia præcepta quibus
iones mentis dirigi poſſint.

Nota 2. non modo ſecundam, & tertiam
ntis operationem, ſed etiam primam eſſe
acem erroris, adeoque & directionis, cum
ellectus poſſit rem aliter apprehendere
àm ſit, vt ſi concipiat equum, ſub ratione
malis rugibilis. Vnde vt prima apprehenſio
tè procedat, non immeritò Logica modum
itimam definitionem inſtituendi præſcribit.

Nota 3. etſi prima, & ſecunda mentis opera-
referri poſſint, & ſoleant ad tertiam, illæ
nen ſecundum ſe, & independenter à ter-
exiſtunt, ſuntque capaces erroris, & di-
tionis. Vnde ſingulæ per ſe conſtituunt
tem obiecti totalis Logicæ.

Quæri hic poteſt, quodnam ſit obiectum at-
butionis in Logica. Vbi aduerte vocari ob-
tum attributionis id ad cuius maximè co-
tionem cætera referuntur, obiectum verò
ributum id quod ad alterius cognitionem

ordinatur. Quomodo in Theologia Deus eſt obiectum attributionis; Angeli verò, gratia, ſacramenta, & reliqua obiectum attributum.

RESPONDEO plurimos eſſe hac in re dicendi modos, quorum ille probabilior videtur, qui rationem obiecti attributionis definitioni competere exiſtimat. Cùm enim definitio eſſentiam rei clarè explicet, omneſque aliæ cognitiones eò tendere videantur, vt meliùs & perfectiùs rei eſſentia penetretur, hinc ſequitur definitionem eſſe obiectum attributionis in Logicâ.

Nec dicas, definitionem eſſe partem demonſtrationis, ſicque ad illam referri. Nam in primis non niſi pars definitionis neceſſaria eſt in demonſtratione, vt patet, cùm concluditur hominem eſſe riſibilem, ex eo quòd eſt rationalis. Deinde quamuis integra definitio ad conſtructionem demonſtrationis confluat, inde non ſequitur illam ad hanc referri, vt ad quid ſe præſtantius, cùm demonſtratio tendat ad illuſtrandam rei eſſentiam, manifeſtando paſſionem quæ ex illa profluit; ſicque potiùs definitio ſit obiectum attributionis reſpectu demonſtrationis, quàm demonſtratio reſpectu definitionis.

ARTICVLVS V.

An Logica ſit ſcientia practica.

PRÆMONEO I. eam ſcientiam dici Speculatiuam, quæ in ſola ſui obiecti ſpeculatione conquieſcit, practicam verò quæ illius cognitionem ad praxim ſeu opus dirigit. Hoc modo ſcientia de cœlo eſt ſpecula-

ia, cùm sistat in illius cognitione; scientia
rò de moribus est practica, quia ex se ten-
t ad mores probè instituendos.

PRÆMONEO II. Quamcumque scien-
m esse debere aut speculatiuam, aut pra-
cam; quia necessariò debet ferri in suum
iectum aut speculatiuè, aut practicè, seu
odo non operabili, aut modo operabili.
ım enim isti duo modi respiciendi idem
iectum contradictionem inuoluant, necesse
vt alter eorum cuilibet scientiæ formaliter
mpetat.

PRÆMONEO III. Fieri non posse
ıòd eadem scientia simul sit speculatiua
practica, respectu eiusdem obiecti: Siqui-
m apertè repugnat habitum aliquem ferri
nul in idem obiectum modo operabili, &
odo non operabili. Loquor respectu eius-
m obiecti, quia per ordinem ad diuersa ob-
cta id non repugnat, cùm iuxta Philoso-
os, idem intellectus, & iuxta Theologos,
em fidei habitus simul sit speculatiuus, &
acticus. His positis.

RESPONDEO & dico I. *Logicam esse
ntiam absolutè & simpliciter practicam.* Proba-
ex dictis, nam illa scientia est simpliciter
actica, quæ versatur circa suum obiectum,
odo operabili; at Logica versatur hoc mo-
circa suum obiectum, cum tota occupetur
regulis tradendis, quarum beneficio intelle-
ıs noster rectè definire, diuidere, & discur-
re possit. Ergo Logica est scientia simplici-
practica.

Confirmatur, nam cùm, omnium consensu,
ilosophia moralis sit scientia simpliciter
actica, quia versatur practicè circa opera-
nes voluntatis: quidni Logica erit simpli-

citer practica, cùm circa actus intellectus practicè versetur?

Si dicas esse discrimen, quia actus voluntatis sunt praxes, non autem actus intellectus; contra arguo, nam ideò actus voluntatis sunt praxes, quia per rationem diriguntur; at actus intellectus similiter diriguntur per rationem, cur ergo non sunt praxes? Nonnè actus prudentiæ, qui per Philosophiam moralem regulantur, sunt actus intellectus? Si ergo ij sunt praxes, quare non & alij actus intellectus, qui per præcepta Logicæ diriguntur?

Instabis, intellectus iuxta Arist. extensione fit practicus, id est quando se extendit ad opus aliquod diuersæ potentiæ, ac veluti extra se egreditur, adeóque non fit practicus quando intra se operatur, propriósque actus dirigit. Respondeo interpretationem illam gratis verbis Aristotelis affingi, cùm optimè dici possit, illud esse discrimen inter intellectum speculatiuum, & practicum, quod speculatiuus in sola rei cognitione sistit, practicus verò vlterius se extendit ad operationem, sicque extensione fit practicus; quatenùs cognitionem suam destinat ad dirigendum actum aliquem realiter distinctum, siue ab ipsomet, siue ab alia potentia eliciendum.

Dico 2. *Logicam posse dici secundum quid speculatiuam.* Ratio est, quia varias habet cognitiones quæ videntur merè speculatiuæ, cùm non tantùm tradat regulas definiendi, diuidendi, & argumentandi, sed etiam multa circa res quas tractat speculetur, quæ per se ad praxim non tendunt, vt manifestum est ex variis quæstionibus quæ per totam Logicam agitari solent: maximè cum de vniuersalibus, & categorijs disseritur.

ſeque dicas ea quæ ſpeculatiuè traduntur
ogicâ, ſpectare ad alias ſcientias, ac pro-
: illam quantum ex ſe eſt, nullo modo eſſe
:ulatiuam. Licet enim antecedens verum
ſi intelligatur de variis quæſtionibus Phy-
, aut Metaphyſicis quæ iam vulgò in Lo-
m inuehuntur; id tamen non impedit
ı Logica ſecundum quid ſit ſpeculatiua, eò
d etiam ijs ſpeculationibus ſecluſis, quæ
›riè ad alias ſcientias pertinent, reperiun-
n Logica variæ cognitiones ad praxim
imè ſpectantes, quales ſunt iſtæ, definitio
icat naturam rei, diuiſio tollit confuſio-
, demonſtratio generat ſcientiam, aliæ-
id genus quæ in decurſu occurrent.
rum quod Logica non tantùm ſecundum
, ſed ſimpliciter ſit ſpeculatiua, ſic pri-
›ſtendi poteſt. Illa ſcientia eſt ſimpliciter
ulatiua, cuius totale obiectum eſt ſpecu-
›, atqui totale obiectum Logicæ eſt ſpecu-
›; Ergo Logica eſt ſimpliciter ſpeculatiua,
›n tantùm ſecundum quid. Minor proba-
quia tota Logica verſatur circa cognitio-
intellectus, quæ eſt ſpeculatio. Reſpon-
maiorem falſam eſſe, ſi ſcientia, cuius
ctum totale eſt ſpeculatio, non verſetur
ı illud ſpeculatiuè, ſed practicè. At Logi-
:rſatur circa ſpeculationem practicè, non
ulatiuè, cum non ſiſtat in nuda cognitio-
ıoſtrarum intellectionum, ſed regulas
at ad earum directionem neceſſarias.
cundò, idem oſtenditur in hunc modum.
ſt quis addiſcere Logicam eò fine tantùm
iat modum rectè definiendi, diuidendi, &
mentandi; at tunc ſaltem Logica erit
liciter ſpeculatiua. Reſpondeo id non
i, quia quod ſcientia aliqua ſit ſpecula-

tiua, aut practica, id non pendet ex fine scientis, sed ex fine ipsius scientiæ; at proprius & connaturalis finis Logicæ non est nostræ cognitionis speculatio, sed illius ad verum directio, vt sæpè dictum est. Quare Logica ex se, non est scientia simpliciter speculatiua, sed tantùm secundum quid, modo explicato.

Atque ex hactenus dictis in hoc, & præcedentibus articulis facilè colligi potest. 1. Logicam posse hoc modo definiri *Logica est scientia practica, quę versatur circa cognitionem mentis, vt dirigibilem ad verum cognoscendum.* Vbi per particulam, scientia, Logica distinguitur ab habitibus qui non sunt scientiæ; per particulam, practica, distinguitur à scientiis speculatiuis, & per verba sequentia distinguitur à scientiis practicis.

Colligi potest 2. Logicam esse verè & propriè partem Philosophiæ. Cùm per Philosophiam intelligatur omnis cognitio scientifica eorum quæ naturali lumine cognosci possunt. Nec refert quòd Logica dicatur instrumentum, seu organum Philosophiæ, id enim non impedit quin etiam sit pars illius, sicut manus fabri est pars, simulque instrumentum illius

ARTICVLVS VI.

An Logica sit necessaria ad alias scientias acquirendas.

PRÆMONEO I. necessarium illud dici quod aliter se habere non potest, idque vel simpliciter & absolutè, quomodo solus Deus est ens necessarium, vel secundum quid, seu ex suppositione alicuius causæ, quomodo entia creata possunt esse necessaria.

ÆMONEO II. Necessitatem ex cauali, de qua sola hîc agimus, esse dum: aliam simpliciter & absolutè, aliam pothesi, seu ad melius esse. Prior est cùm aliter nequaquam obtineri potest, quo-o cibus est necessarius ad vitam diu conandam, & nauis ad traijciendum mare. erior verò cùm finis aliter quidem haberi est, sed non adeo commodè; quomodo us dicitur homini necessarius ad conficienn iter, quod absolutè sine illo conficere est.

'RÆMONEO III. Duplicem esse Loam, aliam naturalem, quæ nihil est aliud àm lumen ipsum naturale intellectus, quaius per illud sine arte res propositas vtcumie apprehendimus, diuidimus, aut de ijs scurrimus: aliam artificialem, quæ est ientia practica ad illas mentis operationes ectè & sine errore eliciendas instituta. Hic utem non agimus de Logica naturali, cùm erspicuum sit eam absolutè requiri ad scienias comparandas; sed tantùm de artificiali, le qua dubitatur an, & quomodo ad id sit iecessaria.

RESPONDEO & dico I. *Logicam non esse absolutè necessariam ad alias scientias, seu ad eas in statu aliquo imperfecto comparandas.* Ratio est, quia negari non potest quin per solum lumen naturale possimus principia per se nota clarè cognoscere, & ex ijs varias conclusiones deducere: v. c. ex eo quod perspicuè cognoscamus, omne totum esse maius sua parte, concludere totum hominem esse maiorem sua manu, aut pede. Hoc autem sufficit vt verè dicamus, scientias naturales, aliqua saltem ratione imperfecta, seu quoad

nonnullas conclusiones per se euidentissimas, sine Logica artificiali comparari posse.

Obijcies, nemo scit, ex Aristotele, nisi sciat se scire, id est nisi per reflexionem cognoscat demonstrationem qua scit, esse legitimam: illa autem reflexio spectat ad Logicam artificialem, adeóque nemo potest scientiam vel vnius conclusionis acquirere sine Logica artificiali. Respondeo reflexionem illam non esse necessariam in rebus per se euidentibus, sed satis esse quod quis in actu exercito sciat se scire, ipsas nempè præmissas perfectè penetrando, & ex ijs conclusionem manifestè deducendo. Confirmatur, quia si ad certitudinem primi actus qui directè tendit in obiectum ex se euidentissimum, necessarius esset actus secundus suprà primum reflexus, pari iure necessarius esset tertius quo status secundi inspiceretur, sicque res in infinitum abiret.

Dico 2. *Logicam esse necessariam secundum quid ad alias scientias, seu ad eas in statu perfecto assequendas.* Probatur, quia vt aliæ scientiæ eo modo comparentur, necesse est penetrare omnia earum principia, & ex ijs conclusiones omnes per claram & legitimam consequentiam eruere. Hoc autem etsi fortè Physicè loquendo non sit impossibile, spectatis solis viribus naturalibus intellectus humani, & secluso Logicæ subsidio; adeò tamen operosum & difficile apparet, vt moraliter loquendo impossibile iudicetur. Eò vel maximè quia experientia constat, etiam eos qui præceptis Logicæ artificialis probè instructi videntur, in varios errores circa alias scientias impingere.

Vnde refellitur quod obijci solet Hipocratem,

&c quosdam alios in scientijs naturalibus ..isse, antequàm Logica esset instituta, ..que sine illius auxilio. Nam in primis vel ..on callebant perfectè scientias Philoso..as, vel certè pollebant Logica artificia..propria inuentione parta, per quam in ac..itione earum dirigebantur. Deinde vt hoc ..m gratis detur, cùm paucissimi homines . vulgari ingenio præditi, credantur scien.. naturales sine præsidio Logicæ consecuti, hinc perspicuum relinquitur, rem esse ..ò operosam, vt moraliter impossibilis non meritò censeatur.

Nota 1. Logicam non esse vituperandam ..quam inutilem, & noxiam, ob multitudi..m Regularum & Præceptorum quæ in ea ..duntur, quin potius ex eo capite laudan..m: sicut laudatur medicina quod multa re..edia ad valetudinem curandam exhibeat. ..auendum tamen ne illa præcepta confer..m & importune adhibeantur, quia sic magis ..ntellectui nocerent, quàm prodessent.

Nota 2. Patres interdum inuehi in Logicam, ..on quod in se noxia sit, sed quia hæretici ..a abuti solent ad veritates fidei impugnan..las. Vnde Logica valdè vtilis censenda est, ..on modò quâ parte tradit præcepta rectè ..efiniendi, diuidendi, & argumentandi, sed etiam quatenùs tractat de arte Sophistica, docétque modum quo Sophistarum fallaciæ ca..ueri debent.

ARTICVLVS VII.

Qua ratione Logica iuuet alias ſcientias.

PRÆMONEO I. recolendam eſſe diſtinctionem Logicæ ſuperiùs allatam in docentem & vtentem, quarum illa tradit regulas rectè definiendi, diuidendi, & argumentandi, hæc verò eſt vſus & applicatio eiuſmodi regularum in qualibet materia. Ita tamen vt iſte vſus non alium expoſcat habitum à quo oriatur, quam habitum ipſum Logicæ docentis, qui tradit præcepta rectè definiendi, diuidendi, & argumentandi; ſimulque tribuit facilitatem exercendi eiuſmodi operationes, in quacumque materia.

PRÆMONEO II. Dubium eſſe quâ ratione Logica ſuam operam præſtet aliis ſcientiis, eáſque iuuet, quando in propria materia aliquam definitionem, diuiſionem, vel argumentationem eliciunt; an effectiuè, & Phyſicè, an verò tantùm directiuè, & moraliter. Qui duo modi concurrendi in hoc differunt, quod cauſa priori modo concurrens, verè & realiter influit in effectum, vt cùm quis tenet, & ducit manum pueri ad efformandos caracteres; concurrens verò poſteriori dirigit tantùm, & illuminat potentiam à qua effectus realiter procedit, præſcribendo illi regulas operis faciendi; vt dum quis verbis, aut exemplis puero oſtendit modum quo efformandi ſunt caracteres. Dubitatur ergo vtro ex his modis Logica concurrat ad confectionem definitionum, diuiſionum, & argumentationum quæ in aliis ſcientijs conſtrui ſolent.

Nonnulli existimant Logicam ad actus alia-
.m scientiarum concurrere tantùm directi-
: & moraliter, non autem efficienter. Alij
erò putant concurrere efficienter & Physicè.
[alim tamen distinguere, nam cum Logica
ocens duplex sit, alia actualis, alia habitua-
.s, non incongruè fortè dicetur, hanc vno,
llam alio modo influere ad actus aliarum
cientiarum. Itaque vt mens nostra hac in rè
:larius percipiatur,

RESPONDEO, & dico 1. *Si agatur de Logica docente actuali, eam tantùm moraliter seu directiuè concurrere ad actus aliarum scientiarum.* Ratio est, quia Logica docens actualis nihil est aliud quàm actualis cognitio ab habitu Logicæ elicita, quâ tanquam regula intellectus noster de facto dirigitur ad actus scientiarum eliciendos, vt cùm actu cogitans definitionem debere constare ex genere & differentia, construit hanc definitionem Metaphysicam, homo est animal rationale: at cognitio actualis non concurrit nisi directiuè & moraliter ad actus aliarum scientiarum, qui fiunt ex directione illius; cùm ad eam directionem sufficiat ostendere modum quo eiusmodi actus fieri debent.

Confirmatur, nam eo modo concurrit Logica docens actualis ad actus aliarum scientiarum, quo exemplar puero propositum concurrit ad illius scriptionem; atqui exemplar non nisi directiuè concurrit ad scriptionem pueri, ergo etiam Logica docens actualis, non nisi directiuè influit in actus aliarum scientiarum.

Dico 2. *Si quæstio sit de Logica docente habituali, probabilius videri eam concurrere effectiuè & Physicè ad actus aliarum scientiarum.* Probatur ex

ante dictis, nam actus aliarum scientiarum, quibus fiunt definitiones, diuisiones, & argumentationes, non distinguuntur à Logica vtente actuali; at Logica vtens actualis procedit effectiuè ab habitu Logicæ docentis, ergo habitus ille effectiuè influit in actus aliarum scientiarum. Major ab aduersariis admittitur, cùm expressè fateantur Logicam vtentem esse vsum & applicationem regularum à docente præscriptarum in quacumque materia, imò propterea nonnulli putant alias scientias vocari Logicam vtentem, quasi vtentes Logicâ. Minor etiam ab ipsis defendi debet cùm expressè doceant, eumdem esse habitum Logicæ docentis & vtentis. Quare & conclusionem admittere tenentur, si consequenter loqui velint.

Confirmatur, nam habitus effectiuè concurrit ad productionem suorum actuum, atqui Logica vtens ex concessis, eundem habet habitum, ac Logica docens; ergo habitus Logicæ docentis concurrit effectiuè ad Logicam vtentem, adeóque ad actus aliarum scientiarum, qui à Logica vtente non distinguuntur.

Quod vlterius suadetur, tum quia cùm idem sit habitus Logicæ docentis & vtentis, sicut actus Logicæ docentis effectiuè ab illius habitu procedit, ita & Logica vtens ab eodem effectiuè profluere debet. Tum quia cum Logica vtens sit actus realis, illius effectio congruentiùs in proprium habitum refertur, quàm in vllam aliam causam.

Obijcies 1. Logica est ars, atqui ars non efficit suum obiectum, sed tantum potentiam executricem ad illius effectionem dirigit, vt patet in arte pingendi quæ imaginem per se non efficit, sed dirigit manum pictoris ad eam

effingendam. Respondeo minorem non esse generatim veram de omni arte, vt patet ex dictis. Neque exemplum allatum est ad rem, siquidem imago externa non fit ab intellectu, in quo est ars pingendi, sed à manu: at verò definitio, diuisio, & argumentatio sunt actus eiusdem intellectus, in quo est habitus Logicæ docentis. Quare actus illi possunt realiter procedere ab habitu Logicæ docentis, esto opus externum non possit effectiuè profluere ab habitu artis, qui residet in intellectu.

Obijcies 2. Habitus non concurrit effectiuè nisi ad actus similes iis à quibus productus est, vt si habitus productus est per istum actum, *definitio constat ex genere & differentia*, non nisi ad actus similes posteà inclinat. Vnde vt fiant definitiones Physicæ, aut Metaphysicæ, habitus Logicæ non alium influxum quam directiuum subministrare potest, ostendendo nempè per actum à se elicitum definitionem construendam esse ex genere & differentia.

Respondeo habitum per se & immediatè inclinantem ad actum illum generalem, *omnis definitio constare debet ex genere & differentia*, mediatè & consequenter inclinare ad constructionem definitionis in quacumque materia nota; ita vt statim atque, exempli causa, per Metaphysicam innotescit genus & differentia hominis, ex vi Logicæ hominis definitio sine vllo negotio compingi possit in hunc modum, *homo est animal rationale*. Vnde etiam hæc definitio ab habitu Logicæ effectiuè procedere debet.

Confirmatur, quia indubitatum est Physicum habitu Logicæ instructum, longè faciliùs posse definitiones Physicas instituere, quàm si rerum Logicarum sit ignarus. At maior illa

facilitas non aliò commodè referri poteſt, aut debet, quàm in habitum Logicæ realiter & Phyſicè in definitiones Phyſicas influentem. Maximè cum conſtructio definitionis in quacumque materia dicatur effectus proprius habitualis Logicæ docentis, neque ab illa, vt ſic, directiuè procedere poſſit. Siquidem ad definitiones conſtruendas non dirigimur ex eo quod habitualiter ſcimus, quomodo inſtituenda ſit definitio; hæc enim ſcientia in nobis eſt, etiam de nulla definitione inſtituenda cogitantibus, ſed quatenus actu cogitamus de modo quo definitio fieri debet. Quare vt verum ſit, Logicam vtentem pendere ab habitu Logicæ docentis, & eſſe proprium illius effectum, fatendum eſt illam ab hoc pendere in genere cauſæ efficientis.

Obiicies 3. quando Phyſicus conſtruit aliquam definitionem in propria materia, illa definitio procedit effectiuè ab habitu Phyſicæ. Ergo non poteſt etiam procedere effectiuè ab habitu Logicæ, ſed tantùm directiuè, mediante illius actu. Reſpondeo id non ſequi, cùm enim duo conſiderentur in definitione Phyſica, nimirum materia, & forma; & illa ſumatur ab habitu Phyſicæ, hæc verò ab habitu Logicæ, quidni dicemus quòd ſicut habitus Phyſicæ concurrit effectiuè ad definitionem Phyſicam ratione materiæ; ita habitus Logicæ concurrit effectiuè ad eandem, ratione formæ? Siquidem tota ratio cur habitus Phyſicæ concurrit effectiuè ad definitionem Phyſicam, eſt, quia illa definitio fit cum maiori facilitate poſt adeptum Phyſicæ habitum: at etiam fit longè faciliùs cum habitu Logicæ, quàm ſine illo; ergo iſte quoque habitus concurrit ad illam effectiuè, & realiter.

ARTICVLVS VIII.

De Causis Logicæ.

PRÆMONEO quatuor esse causarum genera, vt ex professo in Physica ostendetur, nempè efficientem, materialem, formalem, & finalem; ac posse hîc inquiri quâ ratione in Logica istæ omnes causæ assignari possint. Itaque Respondeo, & dico 1. *preter Deum, qui est prima & vniuersalis causa rerum omnium, intellectum esse causam efficientem Logicæ.* Probatur, nam Logica est habitus intellectiuus, non quidem à Deo infusus, sed per varias intellectiones actuales comparatus, qui proinde ab ipso intellectu, à quo est omnis intellectualis cognitio, procedere debet. Eo modo quo alij habitus acquisiti procedunt à potentiis quarum actibus comparantur, vt latiùs alibi dicetur.

Dico 2. *Logicam, cùm sit qualitas spiritualis, non posse habere materiam ex qua componatur, vt habent res corporeę ex materia & forma constantes.* Dici tamen posse Logicam, quia est accidens, habere materiam in qua, seu subiectum cui inhæret; quod aliud nihil est quàm ipsemet intellectus, qui eam in seipso producit per actionem immanentem. Constat etiam Logicam, vt est scientia, habere materiam circa quam, nempè obiectum in cuius consideratione & directione versatur, de quo suprà actum est.

Dico 3. *Logicam non habere formam intrinsecam per quam constituatur, sed ipsam potius esse formam accidentalem quâ intellectus informatur, & perfi-*

citur : Quia tamen ſcientiæ ſpecificantur per ordinem ad obiecta ſua formalia, hinc dici poteſt actiones mentis, vt dirigibiles ad verum, eſſe formam extrinſecam Logicæ.

Rurſus : quia Logica eſt quodammodo ars, & forma artis illa dici ſolet, quam artifex inducit in materiam circa quam operatur, inde fit vt rectitudo dici poſſit forma Logicæ; eo quod primaria illius cura eſt efficere, vt operationes mentis noſtræ, iuxta regulas à ſe præſcriptas, eliciantur, adeoque rectitudinem in eas inducere.

Dico 4. *Præcipuum finem Logicæ eſſe directionem operationum mentis, quemadmodum medicinæ finis primarius eſt ſanitatis collatio, & artis militaris, victoriæ conſecutio.* Conſtat enim Logicam eo maximè fine inuentam eſſe, vt illius ope mens noſtra dirigatur in ſuis operationibus. Quare eiuſmodi operationum directio dici debet primarius finis Logicæ.

Confirmatur, nam ille eſt primarius finis alicuius artis, vel ſcientiæ, quo obtento ars vel ſcientia ceſſat; vt patet in militari, quæ ceſſat, partâ victoriâ, & in medicina quæ ceſſat collatâ ſanitate. At Logica ceſſat obtenta mentis directione, ergo mentis directio eſt primarius finis Logicæ.

Nota tamen Logicam non eſſe inſtitutam vt in ipſa ſiſtamus, ſed maximè vt illius directione perfectam cognitionem rerum Philoſophicarum aſſequamur. Quare quando dicimus finem primarium Logicæ eſſe directionem operationum mentis, id debet intelligi de earum directione in tota materia Philoſophica; quò fit vt alias ſcientias iuuare, ad primarium Logicæ finem pertineat.

Atque ex his colligi poteſt, Logicam ali-

quo modo subalternari Philosophiæ, primò ex parte finis, quia ad illam ordinatur. Secundò ex parte obiecti, quia habet pro obiecto adæquato cognitionem mentis, quæ est pars obiecti Philosophiæ. Verum deest maximè propria subalternatio, quæ tunc habet locum, quando principia scientiæ subalternatæ probantur ostensiuè in scientia subalternante; vt cùm principium illud medicinæ, *Contraria contrariis curantur*, probatur à Physica, ex eo quod vnum contrarium expellit aliud. Certum enim est principia propria Logicæ eo modo à Philosophia non probari.

Id tamen commune habet Logica cum aliis scientiis, vt Metaphysicæ impropriè subordinetur, quoad sua principia; quatenus ab illa vtcunque defendi possunt, per reductionem ad impossibile. Imò cùm ars Syllogistica maximè fundetur in illo principio Metaphysico, *Impossibile est aliquid simul esse, & non esse*, hinc fit vt Logica speciali titulo Metaphysicæ subordinetur. Si quis autem conditiones ad propriam subalternationem requisitas, accurratius scire desiderat, videat quæ de ijs scripsimus, in Procemio Theologiæ speculatiuæ. *Resol. 5.*

ARTICVLVS IX.

De tribus mentis operationibus à Logica dirigendis.

CVm proprium Logicæ officium sit dirigere mentis operationes ad verum cognoſcendum, operæ pretium eſt, antequam vlterius progrediamur, nonnulla hic de eiuſmodi operationibus, earumque directione prælibare. Itaque

Obſeruandum 1. quod ſicut viſio corporea eſt actus elicitus à potentia viſiua, quo res colorata percipitur, & videnti repræſentatur; ita cognitio intellectiua eſt actus elicitus ab intellectu quo obiectum repræſentatur, ita vt intellectus in ſe exprimat actualem ſimilitudinem rei cognitæ.

Obſeruandum 2. obiectum adæquatum intellectus eſſe omne ens, ſiue ſit ens reale, ſiue non reale, (quamuis hoc nequeat intelligi niſi per ordinem ad ens reale.) Omne enim ens eſt intelligibile, adeoque intellectu cognoſcibile. Vnde intellectus non tantùm alia cognoſcit, ſed etiam ſeipſum, & ſuos actus; non quidem directè, vt alia, ſed reflexè.

Obſeruandum 3. tres actus vel gradus noſtræ cognitionis vulgò aſſignari: quorum primus vocatur ſimplex apprehenſio, ſecundus iudicium, tertius diſcurſus. Primus eſt cùm intellectus ſimpliciter concipit aliquid, vt hominem, aut lapidem, nihil de eo affirmando, aut negando. Secundus quando intellectus de re cognita determinatè aliquid iudicat, vel affirmando, vt hominem eſſe animal; vel negando, vt hominem non eſſe lapidem.

Vnde vocatur compositio & diuisio, quia vnum cum alio componit affirmando, aut ab eo separat negando. Tertius quando intellectus ex vno cognito aliud colligit, vt Petrum esse animal, ex eo quod iudicauit omnem hominem esse animal, & Petrum esse hominem.

Obseruandum 4. tres illas mentis operationes à debita perfectione deficere posse, adeóque directione indigere. Et quidem prima mentis apprehensio deficit, quando intellectus vnam rem pro alia apprehendit, vt lapidem pro ligno, aut multa indistinctè tanquam vnum concipit, vt cum non distinguit substantiam pomi ab accidentibus illius, vel hæc inter se. Iudicium autem errat, quando intellectus falsò aliquid affirmat, vt animam hominis esse mortalem; aut negat, vt eam esse spiritualem. Discursus verò caret debita rectitudine, quando vnum ex alio malè colligitur, vt astra viuere, eo quod mouentur.

Obseruandum 5. tria vulgò assignari instrumenta disserendi, quibus Logica vtitur ad dirigendas mentis operationes, nempè definitionem, diuisionem, & argumentationem; quia de illis multa traduntur præcepta quæ valdè conducunt vt possimus rectè definire, diuidere, & argumentari. Quidam autem ponunt enunciationem, vt quartum instrumentum, quia quæ de illa traduntur non minùs prosunt ad dirigendum iudicium, quàm quæ de diuisione docentur

Obseruandum 6. iam dicta non ita debere intelligi vt definitio, diuisio &c. dicantur instrumenta disserendi, quatenus sunt quidam actus eliciti ab intellectu in certa aliqua materia; sed ita vt modus quo Logica generatim docet v.c. definitionem construendam esse, sit in-

ſtrumentum quo intellectus dirigatur, quoties definitionem aliquam exactè conſtruere voluerit; ſicut artifices in effectione operis diriguntur cognitione modi, quo iuxta regulas artis effici debet.

Obſeruandum denique non alium meliorem poſſe inſtitui ordinem in tractandis rebus Logicis, neque aptiorem ad aſſequendum finem à Logica intentum, quàm ſi primo loco explicentur ſimplices termini, tum vero agatur de Enunciatione, ac tandem modus rectè argumentandi tradatur. Siquidem prima tractatio ſpeciatim conducit ad directionem ſimplicis apprehenſionis, ſecunda ad directionem iudicij, tertia ad directionem diſcurſus.

LIBER I.

DE IIS QVÆ SPECTANT AD DIRECTIONEM primæ mentis operationis.

In hoc libro agemus primò de Terminis, tum de Vniuersalibus, deinde de Categoriis, ac denique de Definitione.

CAPVT PRIMVM.

De Natura variisque diuisionibus Termini.

ARTICVLVS PRIMVS.

De definitione Termini.

PRÆMONEO, ex vsu communi, terminum sumptũ pro fine alicuius rei, quomodo mors est terminus omnium hominum; tum pro fine, & principio illius, quâ ratione duo puncta, quæ lineam claudunt, dicuntur

illius termini. Vnde apud Dialecticos voces illæ quæ sunt extrema in propositione, termini communiter appellantur. Et in ea acceptione

Terminus definitur ab Arist. lib. 1. Priorum cap. 1. *Id in quod resoluitur propositio, vt in prædicatum, vel subiectum.* Verum hæc definitio etsi vulgo admittatur, & vel ob honorem Aristoteli debitum à Philosophis recipienda sit, non satis videtur accurata, tum quia ad exactam definitionem spectat, vt sit clarior definito, at non minus obscurum est quid sit attributum, vel subiectum, quàm quid sit terminus; tum maximè quia terminus gerit vices subiecti & prædicati in ipsa compositione propositionis, adeóque prius ratione quàm propositio in illum resoluatur tanquam in prædicatum, vel subiectum. Quare cùm definitio essentialis alicuius rei à primo illius conceptu sumi debeat, non immeritò aliqui existimant terminum congruentius posse definiri: *Extremum ex quo propositio componitur tanquam ex subiecto vel prædicato*; sumendo compositionem pro potentiali, eo quod in definitionibus actus pro potentia sumi solet, & debet.

Hinc autem excluditur à definitione termini, copula verbalis, etsi ad propositionem concurrat, quia non terminat illam, nec est extremum illius, sed medium quo eius extrema inter se connectuntur. Vnde in illa propositione, *Petrus est animal*, vox *Petrus*, est terminus, quia est subiectum, & vox, *animal*, quia est prædicatum; non autem verbum, *est*, quia neque est subiectum, neque prædicatum, sed copula vtriusque.

Nota tamen 1. quando verbum se habet vt subiectum, aut prædicatum, in aliqua propositione, vt cum dico, *amo est verbum*, sic ratio-

nem termini ei denegandam non esse, sicut neque aduerbiis, coniunctionibus, aliisque particulis quando in propositione eodem modo vsurpantur; quia tunc ista pro seipsis, seu materialiter sumuntur. Verum quoties verbum in propositione gerit vices verbi, cum tunc sumatur formaliter, vt significat vnionem & nexum, qui est inter prædicatum, & subiectum, eo modo nunquam est terminus.

Nota 2. cum subiectum & prædicatum sint termini propositionis, id omne esse terminum Logicum, quod potest gerere vices subiecti, aut prædicati in propositione. Vnde duo collige: 1. non tantum voces aliquid significantes, sed etiam eas quæ nihil significant, posse habere rationem termini; cum in propositione vsurpari possint tanquam attributum, vel subiectum, vt cum dico, *glitta nihil significat.* 2. Etiam propositionem integram posse esse terminum, eo quod potest habere rationem subiecti in propositione, vt si dicam, *Deus est bonus, vera est propositio.* Verba enim illa, *Deus est bonus*, per se sumpta integram propositionem ex attributo & subiecto constantem constituunt; at sumpta in allata propositione habent rationem subiecti, & consequenter termini.

Nota 3. quod iam diximus non habere locum in omni propositione, quæ quouis modo aliam componit, sed in ea tantum quæ sic aliam constituit, vt sit subiectum, aut prædicatum illius. Quo fit vt propositiones categoricæ non sint termini propositionis hypotheticæ quam componunt, vt patet cum dico, *Lepus currit, & canis latrat*; perspicuum enim est latratum canis non esse prædicatum respectu cursus leporis, aut vice versa.

ARTICVLVS II.

De diuisione termini in mentalem, vocalem, & scriptum.

EX dictis præcedenti articulo facilè intelligi potest, terminum adæquatè primò diuidi in mentalem, vocalem, & scriptum. Cùm enim terminus sit extremum ex quo propositio coalescit, sicut propositionum aliæ sunt mentales, aliæ vocales, aliæ scriptæ; ita terminorum alij sunt mentales, alij vocales, alij scripti.

Circa quam diuisionem obseruandum 1. terminum mentalem posse, iuxta definitionem ex Aristotele superiùs allatam, describi, *Id in quod resoluitur propositio mente concepta, tanquam in subiectum, aut prædicatum.* Vocalem vero esse *id in quod resoluitur propositio voce prolata*; scriptum autem esse *id in quod resoluitur propositio scripto exarata.*

Obseruandum 2. conceptum mentalem quo iudico hominem v. c. esse animal rationale, esse simplicem & indiuisibilem actum quo animal cum homine connecto; cum talis connexio nequeat intelligi sine extremis connexis. Vnde conceptus ille non potest constare realiter ex duabus partibus, quarum alia sit subiectum, alia prædicatum, sed tantùm intentionaliter, quatenus etsi realiter vnus sit & simplex, repræsentat id totum quod ex parte obiecti habet rationem subiecti & prædicati, & quatenus repræsentat subiectum, dicitur subiectum, quatenus verò repræsentat prædicatum, dicitur prædicatum.

Vnde patet definitionem allatam meliùs conuenire propositioni vocali, & scriptæ, quàm mentali; cùm propositio vocalis & scripta realiter constet ex duobus terminis, quorum vnus est subiectum, & alius attributum, non autem propositio mentalis. Ex quo vlterius colligi potest, quod nonnullis fortè paradoxum prima fronte videbitur, Logicam per se spectatam non indigere terminis propriè dictis; cùm tota in mente consistere possit, neque vocibus externis, aut scriptura indigeat nisi per accidens, ad instructionem aliorum, vt constat ex Præludio Logicæ, *art.* 4.

Obseruandum 3. conceptum mentalem esse duplicem, alterum non vltimatum, alterum vltimatum. Dicitur conceptus non vltimatus quando concipitur vox aliqua aut scriptura, sed non res per illam significata, vt si quis audita voce, *Leo*, non capiat quid per illam denotetur. Vltimatus verò, quando res ipsa significata mente percipitur, vt cum audita prædicta voce, cogitatio statim fertur in illud animal quod per eam significari solet.

Addunt aliqui conceptum vltimatum esse duplicem, alium directum, alium reflexum; directus est ipsa cognitio, quâ cognoscitur significatum vocis; reflexus est cognitio quâ cognoscens nouit se scire illam vocem, & eius significatum. Verùm hæc diuisio non benè videtur restringi ad solum conceptum vltimatum, cum non vltimato æque aptari possit: si quidem potest quis per actum directum vocem percipere, etsi illius significatum ignoret; potest etiam scire per actum reflexum se illam percipere. Itaque conceptus reflexus est actus intellectûs quo suum actum cognoscit, directus verò est actus quo cognoscit alia.

Obſeruandum 4. terminum vocalem poſſe diuidi in ſignificatiuum, & non ſignificatiuum. Significatiuus dicitur qui ad aliquid ſignificandum eſt impoſitus, vt *lapis, lignum &c.* Non ſignificatiuus qui nihil ſignificat vt *blitiri, Cliſta, &c.*

Nec refert quod eiuſmodi terminus in propoſitione, quæ eſt oratio ſignificatiua, aſſumi poſſit, inde enim non ſequitur quod ipſe per ſe aliquid ſignificet, ſed tantùm quod aliquid de illo ſignificari poteſt, vt cum dico, *Cliſta eſt vox.* Imò quod terminus ille nihil ſignificet, inde colligi poteſt, quod propoſitio vera eſt, quà enuncio illum nihil ſignificare.

Obſeruandum 5. terminum ſignificatiuum latè ſumptum, vel ſignificare à natura, quomodo ſuſpiria ſunt ſigna triſtitiæ, & voces animalium eorum paſſiones repræſentant; vel ex hominum inſtituto, quomodo voces quibus inter loquendum vtimur, ſunt ſigna noſtrorum conceptuum, & rerum quas concipimus. Vnde priora ſigna vbique & apud omnes nationes idem ſignificant, poſteriora verò non niſi apud eas quæ linguam, qua conceptus exprimuntur, callent.

Neque dicas hominem eſſe naturaliter animal politicum & ſociabile, adeoque voces quibus mentem ſuam aliis manifeſtat, debuiſſe inſtitui à natura; non enim id ſequitur, ſed ad ſummum quod natura homini conferre debuerit vim intellectiuam, cuius beneficio modum cum aliis colloquendi excogitare poſſet.

Obſeruandum 6. non tantùm in vocibus, ſed in rebus ipſis eſſe ſigna naturalia, vt fumus eſt ſignum ignis; & ſigna ad placitum, vt hedera appenſa eſt ſignum vini vendibilis. Et inter

ſigna naturalia alia dici formalia, quæ ſcilicet ſine ſui manifeſtatione aliquid formaliter repræſentant, vt cognitio; alia verò inſtrumentalia quæ ita vocari ſolent, quia priùs cognita in alterius rei cognitionem ducunt, vt veſtigium animalis, fumus, & ſimilia. Verùm hoc non competit generatim omnibus ſignis inſtrumentalibus, ſiquidem ſpecies impreſſa cùm formaliter obiectum non repræſentet, ſed tantùm cauſet illius cognitionem cum intellectu, non eſt ſignum formale rei cognitæ, ſed inſtrumentale duntaxat; licet tamen ipſa non percipiatur, quando inducit in cognitionem alterius.

Obſeruandum vltimò prædicta ſigna realia non eſſe terminos, cum ex ijs propoſitio conſtare non poſſit, vt perſpicuum eſt. Quare de eiuſmodi ſignis hoc loco agendum non eſt, ſed tantùm de ijs quæ ſignificant ad placitum, & ex quibus ſimplex propoſitio componi ſolet.

ARTICVLVS III.

De diuiſione termini in terminum primæ, & ſecundæ intentionis; poſitiuum, & negatiuum; communem, & ſingularem.

QVod ſpectat ad primam diuiſionem, obſeruandum eſt terminum primæ intentionis illum dici, qui rem ſignificat vt eſt à parte rei, quales ſunt voces iſtæ, homo, equus, lapis, &c. terminum verò ſecundæ, illum qui rem ſignificat vt ab intellectu noſtro concipitur, vt genus, ſpecies, ſubiectum, prædicatum. Cum enim dico, animal eſt genus, ho-

mo est species, iudico animali & homini competere rationem vniuersalis, quæ non à parte rei, sed per mentis operam, ex communi sententia, ipsis competit. Et similiter cùm dico, in illa propositione, *homo est animal*, hominem esse subiectum, & animal prædicatum, considero hominem & animal quatenus per intellectum tali modo coordinantur in propositione, vt homo subijciatur animali, & animal prædicetur de homine.

Quod attinet ad secundam diuisionem, obseruandum 1. terminum positiuum illum propriè dici, qui rem aliquam positiuam & realem significat vt equus, leo: negatiuum verò qui negationem rei positiuæ & realis significat, vt non equus, non leo.

Obseruandum 2. Terminum positiuum à nonnullis paulò latiùs sumi etiam pro termino non negatiuo; vnde dicunt Chimeram, Hircoceruum, & similia nomina esse terminos positiuos, quia nihil negant, imò significant rem quidem à nobis confictam, sed quæ ad modum entis realis & positiui concipitur. Quò fit vt etiam existiment eiusmodi voces ad terminos primæ intentionis reduci posse.

Obseruandum 3. terminum negatiuum in eo distingui à priuatiuo, quod negatiuus dicit præcisè negationem alicuius rei, vt non homo, non lapis: at priuatiuus dicit negationem rei in subiecto apto, vt tenebræ, cæcitas. Vnde etsi lapis possit dici non videns, quia re vera caret visu; non tamen cœcus, quia non est subiectum capax visionis. Imò catuli ante nonum diem non dicuntur cœci, sed non videntes, quia nondum sunt apti ad videndum.

Denique ad intelligentiam tertiæ diuisionis obseruandum 1. terminum communem, seu

vniuersalem, ex communi Sententia, eum esse, qui plura diuisim significat, aut significare potest, ita scilicet vt singula totam rationem per terminum communem significatam participent: qua ratione homo est terminus communis, quia verè dicitur de Petro, & Paulo, ac de aliis omnibus singularibus hominibus. Dico significat, aut significare potest, nam vox sol, est terminus communis, etsi non nisi vnicus sol existat, quia plures soles creari possunt.

Obseruandum 2. nomen vrbs, Populus, Ciuitas, & similia non esse terminos communes, quatenus significant illam hominum multitudinem quæ vrbem, populum, ciuitatem componit; quia licet vt sic, plura significent, non tamen integra ratio significata singulis competit, cùm non quilibet homo de vrbe, de populo, de ciuitate constituat vrbem, populum, aut ciuitatem. Si tamen vrbs comparetur ad hanc, & illam vrbem, & populus ad hunc & illum populum &c. sic dicendum est eiusmodi terminos esse verè vniuersales, seu communes.

Obseruandum 3. Terminum singularem eum dici, qui vni tantùm rei competit, vt Petrus, Paulus: vel si multis, non nisi coniunctim sumptis, vt vrbs, ciuitas. Vnde terminus singularis alius est determinatus, vt Plato, Socrates; alius indeterminatus, seu vagus, vt aliquis homo; alius demonstratiuus, vt hic homo; alius ex suppositione, vt filius Regis, ex hypothesi quod vnum tantùm genuerit; alius collectiuus vt populus, ciuitas.

ARTICVLVS IV.

De diuisione termini in vniuocum, æquiuocum, & analogum.

QVæritur 1. quomodo isti termini definiri soleant. Respondeo 1. terminum vniuocum illum dici qui significat rem multis æqualiter, & eodem modo conuenientem, vt animal, homo. Quod non ita accipiendum est, vt ad rationem termini vniuoci requiratur, res per illum significatas omnimodam inter se similitudinem habere. Constat enim animal esse nomen vniuocum, etsi innumeræ sint animalium species, aliæ ab aliis essentialiter differentes; sed tantùm vt res sint similes & eiusdem naturæ, sub ea ratione, quâ per terminum vniuocum repræsentantur: quomodo animalia omnia in ratione animalis perfectè & vniuocè conueniunt. Vnde Aristoteles lib. de categorijs cap. 1. Vniuoca seu Synonyma definit, *quorum & nomen commune est, & definitio ad illud nomen accommodata, eadem.*

RESPONDEO II. Terminum æquiuocum illum esse, qui res planè diuersas significat, vt nomen Taurus, quod significat animal, sydus, & montem. Quod non ita accipiendum est, vt nulla sit conuenientia inter res per nomen æquiuocum significatas; constat enim Taurum animal, Taurum sydus, & Taurum montem conuenire vniuocè in ratione substantiæ & corporis; sed ita vt non sit inter illas conuenientia, in ratione per nomen æquiuocum significata; sicut prædicta non conueniunt inter se in ratione animalis, neque in

ratione ſyderis, neque in ratione montis. Vnde ex Ariſt. loco citato, Æquiuoca ſeu Homonyma dicuntur, *quorum nomen ſolum eſt commune, definitio verò tali nomini accommodata, diuerſa.*

RESPONDEO III. Terminum analogum eum dici qui ſignificat plures res diuerſas, habentes tamen inter ſe aliquam habitudinem, vt ſanum dicitur de homine qui eſt ſubiectum ſanitatis, de medicina quæ cauſat ſanitatem, & de vrina quæ eſt indicium ſanitatis. Vnde hæc analogorum definitio vulgò ex Ariſtotele colligi ſolet, *Analoga ſunt, quorum nomen eſt commune, ratio verò per nomen ſignificata partim eadem, partim diuerſa.* Vt autem iſta omnia clarius percipiantur,

Nota 1. Terminum æquiuocum poſſe eſſe vniuocum, ſi nimirum ad vnum tantùm ſignificatum reſtringatur, vt Taurus ad animal: & ſimiliter terminum analogum eſſe vniuocum, ſi vnum tantum ſignificatum reſpiciat, vt ſi ſanum de ſolo homine dicatur.

Nota 2. terminum vniuocum, æquiuocum, & analogum conuenire quoad conceptum primarium, ſeu non vltimatum, quia ſinguli vnum tantum habent, cum non niſi vnica voce exprimantur; diſcrepare verò quoad ſecundarium, ſeu vltimatum, quia vniuocus vnum tantùm habet, alij plures.

Nota 3. æquiuocis ſeu homonymis opponi polyonima, ſeu multiuoca; nam æquiuoca habent nomen commune, & rationem diuerſam, vt patet in voce prædicta Taurus, alijſque ſimilibus quæ multis eſſentialiter differentibus conueniunt. Multiuoca verò habent rationem eandem, & nomina diuerſa vt enſis & gladius, veſtis & indumentum. Quare etiā

ſed conſultò idem nomen imponitur.

Præterea æquiuoca à conſilio ſubdiuiduntur 1. in æquiuoca à memoria, vt cum filio imponitur nomen Patris ad renouandam illius memoriam. 2. in æquiuoca à ſpe, vt ſi quis filium ſuum Alexandrum, vel Cæſarem vocet, quia ſperat eum fore bellicoſum. 3. in æquiuoca propter proportionem, vt cùm nomen pedis tribuitur fulcro ſcamnum ſuſtentanti, propter analogiam quam habet cum pede animalis. 4. in æquiuoca ab vno, cum multa ab vno eandem denominationem accipiunt, vt cùm à medicina hominem, & librum, & inſtrumentum medicum vocamus. 5. in æquiuoca ad vnum, cum multa referuntur ad vnum à quo denominationem eandem accipiunt, vt à ſanitate medicina, dieta, phlebotomia & alia pleraque ſana vocantur. Verùm ſi exactè loquendum ſit, negari non poteſt quin nonnulla ex his æquiuocis valdè impropria ſint, & potius ad analoga reduci debeant, propter habitudinem quam inter ſe habent.

Reſpondeo 3. analoga à multis diuidi in analoga inæqualitatis, attributionis, & proportionalitatis. Analoga inæqualitatis vocantur illa quorum nomen eſt commune, & participant eandem naturam cum dependentia eſſentiali vnius ab alio, qua ratione ens vulgò dicitur analogum reſpectu Dei, & creaturarum, itemque reſpectu ſubſtantiæ, & accidentis. Verùm hoc in Metaphyſica, vbi de ente accuratiùs expendendum erit.

Analoga attributionis dicuntur, quorum nomen commune eſt, ratio autem dicitur de pluribus per ordinem ad vnum, ita vt forma per nomen analogum ſignificata, ſit tantùm re ipſa in principali analogato, reliqua verò

ab illa forma denominentur extrinſecè, propter aliquam habitudinem quam habent ad ſubiectum in quo exiſtit. Vt ſanum primariò dicitur de homine, quia ſanitas realiter in illo exiſtit, ſecundariò verò de medicina, & aliis, quia habent habitudinem cauſæ, vel effectus ad ſanitatem.

Analoga proportionalitatis ſunt quorum nomen commune eſt, & rationes quidem diuerſæ, ſed proportione quadam ſimiles, quomodo viſus analogicè de intellectu, & de oculo corporeo dicitur, principium de patre reſpectu filij, & de fonte reſpectu riui, &c. Vocantur autem analoga proportionalitatis, quia dicunt proportionem ſeu ſimilitudinem inter duas proportiones, v. c. inter eam quam habet oculus ad obiectum viſibile, & eam quam habet intellectus ad obiectum intelligibile; ſicut enim ſe habet oculus ad objectum viſibile, ita ſe habet intellectus ad intelligibile.

ARTICVLVS V.

De diuiſione termini in tranſcendentem, non tranſcendentem, & ſupertranſcendentem: in categorematicum, & Syncategorematicum; in complexum, & incomplexum.

TRes iſtæ diuiſiones hîc breuiter explicandæ ſunt. Quod ſpectat ad primam, Logici vocant terminum tranſcendentem, eum qui de omni re dicitur, vt ens, verum, bonum, &c. non tranſcendentem verò illum qui non conuenit niſi quibuſdam rebus, vt ſubſtantia, quantitas, qualitas, &c. quem pro-

pterea nonnulli vocant categoricum, quia alicuius categoriæ cancellis continetur. Supertranſcendentem autem eum, qui etiam negationibus, & entibus rationis competit.

Quod attinet ad ſecundam, terminus categorematicus ille vocatur, qui per ſe aliquid ſignificat, vt homo, equus, lapis; Syncategorematicus verò, qui per ſe quidem nihil ſignificat, ſed adiectus alteri, illius ſignificationem modificat, ſicque poteſt habere locum in propoſitione, non quidem propriè tanquam terminus, ſed tanquam affectio quædam termini, vt particulæ omnis, nullus, aliquis. Nam vox homo, ſignificat tantùm ex ſe hominem, ſi ei addas particulam, omnis, illius ſignificatio iam extenditur ad omnes homines, ſi particulam, aliquis, illius ſignificatio reſtringitur ad quendam hominem ſingularē.

Nota in hac diuiſione à nonnullis addi terminum mixtum, qui ſignificationem termini categorematici, & Syncategorematici includit, & vbique æquiualet, vt eſt vox, nemo, quæ idem valet ac nullus homo, vox nuſquam, quæ idem ſignificat ac nullo loco; vox vbique, quæ perinde eſt ac omni loco; vox ſemper, quæ ſignificat omni tempore. Et hoc ſenſu terminus mixtus non videtur à ratione veri termini excludendus, cùm per ſe poſſit eſſe extremum propoſitionis, vt ſi dicam, nemo hodie diſputauit, Deus eſt vbique, &c.

Quod attinet ad tertiam, ea ſic intelligitur, vt terminus complexus ille dicatur, cuius partes per ſe ſunt ſignificatiuæ, ita vt ſiue iunctæ, ſiue ſeparatæ, eandem ſignificationem retineant, vt homo doctus: terminus verò incomplexus cuius partes non ſunt per ſe

ſignificatiuæ, ita vt vel nihil ſignificent, vt homo, equus, lapis; vel non idem, vt Dominus, Eraſmus, nam etſi do, & minus, eras, & mus, ſeparatim aliquid ſignificent, non tamen idem quod coniunctim.

Quo loco aduerte 1. ad terminum complexum requiri vnionem quandam inter terminos ſimplices, vt cum dico Socrates, & Plato. Siquidem terminus complexus dicit quandam compoſitionem, adeoque vnionem terminorum ſimplicium: quò fit vt voces illæ Socrates, Plato, terminum complexum non conſtituant.

Aduerte 2. requiri etiam ad terminum complexum, vt partes ex quibus componitur, non ſint ſynonimæ, ſed diuerſa ſignificent; quò fit vt voces illæ Marcus, Tullius, Cicero non conſtituant terminum complexum, ſed incomplexum, quia eundem hominem ſignificant.

ARTICVLVS VI.

De quibuſdam alijs diuiſionibus terminorum.

Diuiditur præterea terminus in concretum, & abſtractum; concretus eſt ille qui ſignificat rem cum forma, vt homo, album, dulce; abſtractus verò qui ſignificat formam ſolam vt humanitas, albedo, dulcedo. Quod ita intellige, vt concretum in rebus creatis plerumque ſignificet compoſitum aliquod ex partibus realiter diſtinctis, vt patet in exemplis allatis; at in Deo concreta & abſtracta planè idem ſunt, nec niſi ratione diſtinguuntur, vt Deus & Deïtas, iuſtus & iuſtitia, vt olim diximus in Idea Theologiæ ſpeculat. *lib*. 1. *cap*. 3.

Diuiditur etiam terminus in abſolutum, & connotatiuum: abſolutus ille eſt qui ſignificat aliquid per modum per ſe ſtantis, vt homo, equus, albedo, dulcedo. Connotatiuus verò, qui ſignificat aliquid per modum adiacentis, ita vt ſignificet formam, ſimulque connotet ſubiectum in quo eſt, vt album ſignificat albedinem, & connotat ſubiectum cui inhæret. Et in idem recidit vulgaris diuiſio termini in ſubſtantiuum & adiectiuum, cùm ille ſignificet aliquid per modum per ſe ſtantis, hic verò per modum adiacentis.

Rurſus alia eſt diuiſio termini iam dictæ valde affinis; in terminum denominatiuum, & denominantem. Denominatiuus eſt qui ab alio deſumitur, denominans verò à quo alius deducitur. Quod vt clariùs percipias,

Aduerte nomina denominatiua, ſeu paronyma ab Ariſt. lib. Categor. cap. 1. definiri in hunc modum. *Paronyma dicuntur quę ab aliquo nominis appellationem accipiunt, ita tamen vt differant caſu, ſicut à grammatica denominatur grammaticus, & à fortitudine fortis.* Quibus verbis innuitur denominatiuum & denominans debere conuenire in initio dictionis, & differre in fine illius: quæ tamen duo non ſufficiunt ad veram denominatiuorum conſtitutionem, ſed præterea requiritur vt in principali ſignificatione conueniant cum termino denominante, vt patet in exemplis allatis.

Vnde virtus & probus non ſunt propriè paronyma, eſto à virtute quis denominetur probus, quia inter illa nulla eſt nominis cognatio. Hinc etiam nomen grammatica dictum de fœmina, non eſt denominatiuum reſpectu artis quæ grammatica dicitur; quia terminatione non differunt. Ac deinde ſtudium & ſtu-

diosius non sunt propriè paronyma, etsi habeant duas conditiones in definitione indicatas, quia non conueniunt in significatione; cùm studium significet laborem & industriam, studiosus verò dicatur de eo qui virtutem, vel amicitiam colit.

Obseruanda quoque est diuisio termini in denominantem intrinsecè, & extrinsecè. Dicitur denominans intrinsecè ille qui significat formam in subiecto denominato realiter existentem, vt album denominat parietem cui re ipsa albedo inhæret; denominans verò extrinsecè, qui significat formam non existentem in subiecto denominato, vt paries denominatur extrinsecè visus à visione, quæ non est in pariete, sed in oculo.

Denique termini inter se comparati diuiduntur à nonnullis in repugnantes, conuertibiles, magis & minus communes, excedentes, & excessos. Repugnantes dicuntur qui de se vniuersaliter negari possunt, vt homo, & equus. Conuertibiles qui de se inuicem affirmari possunt, vt rationale, & risible. Magis & minus communes; quorum vnus potest de altero vniuersaliter affirmari, vt animal de homine, non vice versâ. Excedentes & excessi, quorum alter potest de altero particulariter affirmari, non vniuersaliter, vt equus & albus; est enim quidam equus albus, & quoddam album quod est equus, non tamen omnis equus est albus, nec omne album est equus.

Alij verò dicunt, terminos inter se comparatos alios esse impertinentes, alios pertinentes. Impertinentes dicuntur qui nec se excludunt, nec se inferunt, vt diues & doctus. Pertinentes verò qui vel se inferunt vt homo

infert animal, vel se excludunt, idque aut tanquam termini disparati, qui res diuersas simulque incompossibiles significant, vt lapis & lignum: aut tanquam contrarij, qui se mutuò expellunt, vt calidum & frigidum; aut tanquam priuatiui, quorum vnus dicit carentiam formæ in subiecto apto, vt cæcitas & visus; aut tanquam negatiui & contradictorij, quorum vnus dicit negationem alterius, vt album & non album: aut tanquam relatiui, quorum vnus dicit ordinem ad alium, vt Pater & Filius.

Quo loco aduerte ideo relatiua poni inter terminos pertinentes, qui se excludunt, quia fieri non potest vt duo termini relatiui eidem competant respectu eiusdem, v. c. vt idem sit Pater & Filius per ordinem ad eandem personam. Quare etsi proprium relatiuorum sit se mutuò ponere, & tollere, non ideo illa reducuntur ad terminos pertinentes qui se inferunt; quia relatiua non se inferunt in eodem subiecto, sed in diuersis.

ARTICVLVS VII.

De variis suppositionibus terminorum.

MVltæ sunt terminorum affectiones in hoc & sequenti articulo tradendæ, inter quas primum locum obtinet suppositio, quæ ex communi sententia nihil aliud est quàm, *acceptio vocis pro se, vel pro re quam significat.* Pro se, vt cum dico, *Deus est nomen*, pro re quam significat, vt cum dico, *Deus est infinitus.* Vnde suppositio termini duplex est, materialis, & formalis: materialis est in qua ter-

minus pro se ipso supponitur, formalis verò quando pro re significata Addunt aliqui mixtum, tanquam tertium membrum, vt cum dico, *nomen est vox*, tunc enim nomen videtur supponere pro seipso, adeoque materialiter, & pro omnibus vocabulis quæ nomina vocantur, sicque formaliter.

Suppositio formalis duplex est, propria, & impropria; propria dicitur quando terminus supponit pro re quam propriè significat, vt homo pro vero homine, lapis pro vero lapide; impropria quando pro re quam impropriè significat, vt leo pro viro forti, agnus pro mansueto.

Propria duplex est, simplex & personalis: simplex dicitur, quando terminus supponit pro suo immediato significato, vt cum dico *animal est genus*, ibi enim ex communi sententia, animal sumitur in genere, non autem pro animalibus in particulari; personalis verò quando supponit pro significato mediato, vt cum dico, *homo disputat*, id enim intelligitur de hoc vel illo particulari homine. Aliqui addunt absolutam, quæ habet locum quando terminus sumitur pro significato mediato, & immediato, vt cum dico, animal sentit: hoc enim non tantùm de animali in genere, sed etiam de singulis animalium speciebus & indiuiduis verum est.

Personalis duplex est; discreta seu singularis, & communis: Discreta est, quando terminus singularis supponit pro suo singulari significato, vt *Aristoteles docet*, aut quando termino communi apponitur nomen demonstratiuum, vt, *Hic homo disputat*. Communis verò quando nomen commune supponit pro suis inferioribus. Hæc autem ponitur quadruplex; nempè

distributiua, copulata, determinata, & confusa.

Distributiua habet locum quando significatum extenditur ad omnia inferiora distributiuè sumpta, ita vt de quolibet in particulari intelligatur, vt cum dico, *omnis ignis est calidus.* Copulata, quando significatum intelligitur de omnibus inferioribus collectiuè sumptis, non autem de singulis per se, & seorsim, vt cum dico, *omnia elementa sunt quatuor.* Determinata, quando terminus communis sumitur pro aliquo inferiori determinato, vt cum dico, *homo currit*, sensus est hunc, vel illum determinatè currere, ita vt propositio illa de aliquo particulari verificetur. Confusa, quando terminus accipitur disiunctim pro inferioribus, pro nullo tamen determinatè, vt si dicam, *penicillus est necessarius ad pingendum*; hæc enim propositio de nullo penicillo in particulari est vera, cùm quolibet deficiente, alter sufficiat.

Rursus distributiua duplex est, absoluta & accommoda: absoluta dicitur cùm nulla est exceptio, vt si dicam, *omnis homo est animal:* accommoda cùm aliquid excipitur, vt si dicam, *Deus creauit omnia*, intellige, præter se ipsum. Eadem quoque diuiditur in completam, & incompletam: completa dicitur quando terminus supponit pro singulis generum, id est pro omnibus sub genere contentis, vt cum dico, *omnis homo est animal*; incompleta verò quando terminus supponit pro generibus singulorum, id est pro aliquo indiuiduo omnium generum, vel specierum, vt cum dico, *omne animal, fuit in arca Noe:* sensus enim est aliquem equum, aliquem leonem, aliquem bouem in ea fuisse.

Nota interdum à terminis inferioribus ad ſuperiorem fieri quandam progreſſionem quæ vocatur aſcenſus, & à ſuperiori ad inferiores, quæ vocatur deſcenſus. Eſt autem quadruplex aſcenſus, & deſcenſus, iuxta ſupradictam diuiſionem termini communis, nempè diſtributiuus, copulatus, determinatus, & confuſus.

Aſcenſus diſtributiuus eſt cum dico v. c. hic ignis eſt calidus, iſte ignis eſt calidus, & ille eſt calidus, & ita de reliquis, ergo omnis ignis eſt calidus. Deſcenſus verò cum dico omnis ignis eſt calidus, ergo hic ignis eſt calidus, & ille eſt calidus, & iſte &c.

Aſcenſus copulatus eſt cum dico terra, aqua, & alia elementa ſimul ſumpta ſunt quatuor, ergo omnia elementa ſunt quatuor. Deſcenſus verò cum dico, omnia elementa ſunt quatuor, ergo terra, aqua, & reliqua elementa ſimul ſumpta ſunt quatuor Ex his autem facilè eſt intelligere aſcenſum, & deſcenſum determinatum, & confuſum.

ARTICVLVS VIII.

De reliquis terminorum affectionibus.

Pleræque aliæ terminorum affectiones, ſeu proprietates à Summuliſtis afferri ſolent, nempè ſtatus, ampliatio, diſtractio, reſtrictio, diminutio, alienatio, & appellatio.

Status termini eſt cùm terminus non extenditur niſi ad tempus per verbum importatum, vt cum dico, *Plato docet*, terminus Plato refertur tantùm ad tempus præſens, quod indicatur verbo, docet.

Ampliatio eſt quando terminus refertur etiam ad aliud tempus, vt cum dico, *animal viuit*, terminus animal extenditur ad omnia animalia quæ fuerunt, ſunt, & erunt, etſi verbũ viuit ad tempus tantum præſens referatur.

Diſtractio eſt quando terminus refertur tantùm ad aliud tempus, vt cum dico, *cæci vident*, ſenſus enim eſt eos qui de præſenti vident, non quidem iam eſſe cœcos, cum vident, ſed tempore præterito cœcos fuiſſe.

Reſtrictio eſt quando terminus coarctatur à maiori ad minorem ſignificationem, vt cum dico, *Omnis homo qui perſeuerauerit vſque in finem, ſaluus erit*; nam terminus, omnis homo, qui de ſe omnes homines ſignificat, per verba ſequentia reſtringitur ad ſolos perſeueraturos.

Diminutio eſt, cùm per additionem fit vt ſignificatio termini ex abſoluta fiat ſecundum quid, vt cum dico, *Aethiops eſt albus, ſecundùm dentes*.

Alienatio eſt, quando aliquid additur quo terminus transfertur à propria ſignificatione ad impropriam, vt cum dico, *homo marmoreus*, terminus homo qui ex ſe verum hominem ſignificat, transfertur ad ſignificandam hominis ſtatuam, quæ metaphoricè homo dicitur.

Appellatio eſt, quando vnus terminus ſuam ſignificationem alteri applicat, vt cum dico, *Ariſtoteles eſt Philoſophus magnus*, vox magnus, appellat terminum Philoſophus, tùmque magnus eſt dictio appellans, Philoſophus verò dictio appellata.

Duplex eſt appellatio; formalis, & materialis, formalis eſt quando formale ſignificatum termini appellantis applicatur ſupra formale ſignificatum appellati, vt in exemplo allato;

Aristoteles enim dicitur magnus, quatenus est Philosophus: materialis verò est quando significatum formale termini appellantis applicatur supra significatum materiale appellati, vt cùm dico, *Aristoteles Philosophus est musicus*; ibi enim musicus appellat supra Aristotelem, non supra Philosophum.

CAPVT II.

DE QVINQVE VOCIBVS, seu Prædicabilibus Porphyrianis.

ARTICVLVS PRIMVS.

Continens summam eorum quæ tradit Porphyrius de quinque prædicabilibus in communi, & speciatim de genere.

PRæmittit Porphyrius in cap. 1. suæ Introductionis tractationem quinque vocum esse necessariam, tum ad intelligentiam categoriarum Aristotelis in quibus sæpè earum fit mentio; tum ad construendas definitiones, quia definitio constat ex genere & differentia: tum ad rectè diuidendum, eo quod genus diuiditur in species per differentias, imo interdum per propria & accidentia: tum ad conficiendas demonstrationes, siquidem in demonstratione concluditur proprium de specie, per differentiam illius, vt cùm de-

monſtratur hominem eſſe riſibilem, quia eſt rationalis.

Deinde in cap. 2. docet genus tripliciter accipi, primò pro collectione aliquorum qui ad vnum quiddam, & inter ſe quodammodo affecti ſunt, qua ratione vocamus Heraclidarum genus eos omnes qui ab Hercule originem trahunt. Secundò pro ipſo principio à quo multi ortum ducunt, ſiue conſideretur ortus ab eo qui genuit, quomodo dicimus Oreſtem à Tantalo genus ducere, & illum ab Hercule: ſiue à patria in qua genitus eſt, quomodo Pindarus dicitur genere Thebanus, & Plato Athenienſis. Tertiò ad horum fortè ſimilitudinem, genus apud Philoſophos id appellari cui ſubijcitur ſpecies;tale enim genus eſt principium quoddam eorum quæ ſub ſe ſunt, & videtur etiam vniuerſam multitudinem continere quæ ſub ſe eſt.

Tandem ait, genus hoc tertio modo ſpectatum deſcribi, *quod pluribus & differentibus ſpecie attribuitur in quaſtione quid eſt*, quomodo animal dicitur genus, quia prædicatur in quid de homine & bruto. Vnde colligit 1. genus diſtingui ab indiuiduo, cuiuſmodi eſt Socrates, hic homo, hoc lignum, quia indiuidua vni tantum attribuuntur. 2. à ſpeciebus, quia hæ non dicuntur de multis ſpecie differentibus, ſed tantum numero, vt homo de Socrate, & Platone. 3. à proprio, quia hoc vni tantùm ſpeciei, illiuſque indiuiduis competit, vt aptum ad ridendum ſoli homini, & particularibus hominibus 4. à differentia, & accidente, quia etſi dicantur de multis ſpecie differentibus, non tamen in quid, ſed in quale quid, vt ſi quis interroget quale quid eſt homo, Reſpondemus, rationale: quale quid

est coruus, dicimus esse nigrum.

Quo loco tria obseruanda sunt: 1. definitionem illam generis, *genus est quod pluribus & differentibus specie attribuitur in quæstione quid est*, sumptam esse ex Arist. lib. 1. Topic. cap. 5. vbi ad eius explicationem hoc subijcit, *In quæstione quid est, ea dicuntur attribui*, quæ aptè respodentur cùm rogatur quid sit res proposita, vt ad interrogationem quid sit homo, aptè respondentur esse animal.

Obseruandum 2. non immerito Porphyrium prius varias generis acceptiones tradidisse, quàm illud definierit, eò quòd ambigua prius distinguenda sunt, quàm definienda, ex Arist. 6. Topic. cap. 2. quia scilicet frustrà laboratur in rei alicuius natura inuestiganda, nisi constet in quo sensu vox eam significans accipiatur.

Obseruandum 3. modum loquendi Porphyrij cum ait, *differentiam & accidens prędicari in quale quid*, ab interpretibus communiter non vsurpari quoad accidens, cùm dicant differentiam quidem prædicari in quale quid, accidens verò in quale; quia illa spectat ad rei essentiam; hoc minimè.

ARTICVLVS II.

Summa eorum quæ tradit Porphyrius de Specie.

PORPHYRIUS cap. 2. suæ Introduct. postquam egit de genere, multa tradit de specie, quæ hic accuratè obseruanda sunt. Docet 1. speciem duobus modis accipi, primò pro forma seu pulchritudine, iuxta illud, *species di-*

gna eſt imperio. Secundò pro vniuerſali quod ſub genere ante explicato conſtituitur, quo ſenſu homo dicitur ſpecies animalis, album coloris, triangulus figuræ.

Docet 2. Tres ſpeciei definitiones tradi poſſe; quarum prima eſt, *ſpecies eſt quę ſubijcitur generi*. Secunda, *ſpecies eſt de qua genus prędicatur in quæſtione quid eſt*. Tertia, *ſpecies eſt quæ de pluribus differentibus numero prædicatur in quæſtione quid eſt*.

Inter quas ait illud eſſe diſcriminis, quòd vltima conuenit tantùm ſpeciei ſpecialiſſimæ, ſeu quæ tantùm eſt ſpecies, nunquam genus; aliæ verò competunt etiam ſpeciebus quæ non ſunt ſpecialiſſimæ, ſeu quæ ſimul ſunt genera & ſpecies. Vt autem hoc clariùs percipiatur,

Docet 3. In qualibet Categoria eſſe genus generaliſſimum, ſpeciem ſpecialiſſimam; & inter illa mediare nonnulla quæ ſimul ſunt genera, & ſpecies diuerſo reſpectu. Sic enim in ſubſtantiæ Categoria, ſubſtantia eſt genus generaliſſimum, ſeu quod tantùm eſt genus; homo verò eſt ſpecies ſpecialiſſima, ſeu quæ tantùm eſt ſpecies, habens ſub ſe particulares homines. Inter illud autem genus, & hanc ſpeciem conſtituuntur, quæ ſimul ſunt genera & ſpecies. Et quidem, ſub ſubſtantia eſt corpus quod eſt ſpecies reſpectu ſubſtantiæ, & genus reſpectu viuentis: viuens eſt ſub corpore tanquam ſpecies illius, & ſuprà animal cuius eſt genus. Rurſus animal eſt ſpecies viuentis, & genus hominis qui eſt vltima ſpecies, nullam aliam ſub ſe ſpeciem habens, ſed ſola indiuidua naturæ humanæ.

Ex quo patet media habere duas habitudines, ſeu reſpectus; alterum ad priora quo-

rum sunt species; alterum ad inferiora, quorum sunt genera: extrema verò vnum duntaxat, nam genus generalissimum cùm sit primum & summum, nullum quidem suprà se habet genus, omnia tamen inferiora respicit cùm sit eorum summum genus. Species autem specialissima vnam etiam dicitur habere habitudinem, quia etsi superiora & inferiora respiciat, ea respicit tanquam species, inferiora quidem vt ea continens, superiora verò vt ab iis contenta.

Docet 4. Genus generalissimum sic definiri posse, *quod cùm sit genus, non est species*, & rursus, *quo non potest esse superius genus*: speciem autem specialissimam seu infimam, *quæ cùm sit species, non est genus*, vel, *quam, cùm sit species, in species diuidere non possumus.* Item, *quæ pluribus & differentibus numero attribuitur in quæstione quid est*, vt suprà dixerat. Media verò extremorum vocari species & genera subalterna, & vnum quodque eorum genus & speciem esse respectu diuersorum.

Atque hoc totum declaratur exemplo genealogiæ, nam v. c. Iupiter collatus cum Tantalo, Pelope, Atride, & Agamemnone est tantum Pater, non autem filius: Agamemnon verò si cum iisdem conferatur, solùm est filius, & non Pater; at medij sunt simul parentes posteriorum, & filij priorum. Verùm genealogiæ interdum etsi multæ sint, ad vnum principium referuntur, prædicamenta verò non reducuntur omnia ad vnum principium, sed quodlibet eorum habet suum summum genus: nam quamuis omnia dicantur entia, non propterea ens constituitur summum eorum genus, eò quòd non prædicatur de illis omnibus vniuocè, sed analogicè

iuxta Aristotelem,qui non vnum duntaxat,sed decem summa genera constituit, vt patebit infrà ex libro Categoriarum.

Docet 5. Illud esse discrimen inter descensum & ascensum prædicamentalem, quòd descensus fit diuidendo genus in plures species per differentias, vt cùm substantiam diuidimus in corpoream, & incorpoream: ascensus verò colligendo plura indiuidua in vna specie, vt cùm Socratem, & Platonem colligimus in specie hominis; aut plures species in vno genere, vt cùm hominem, & equum colligimus in genere animalis. Vim enim multa in vnum colligendi habet species, & multò magis genus, quia plura sub hoc, quàm sub illa continentur; cùm è contra particularia & singularia vnum in multa semper diuidant.

Docet 6. Prædicta non eodem modo se habere quoad prædicationem, nam genus quidem attribuitur speciei, & superiora inferioribus, species autem nec generi proximo, nec superioribus directè attribuitur, quia cum iis non reciprocatur. Oportet enim aut æqualia æqualibus attribui vt hinnibile equo, aut maiora seu vniuersaliora minoribus, vt animal homini, sed non minora maioribus; non enim dicere potes animal esse hominem, sicut dicis hominem esse animal.

Hinc autem colligit iis quibus species attribuitur, & genus speciei, & genus generis vsque ad generalissimum attribui. Nam si verè dicitur Socratem esse hominem, cùm homo sit animal, animal sit viuens, viuens sit corpus, & corpus sit substantia; verè etiam animal, viuens, corpus, & substantia de Socrate dicuntur. Cum enim superiora inferio-

ribus semper attribuantur, species quidem dicetur de indiuiduo, genus tam de specie, quàm de indiuiduo; generalissimum verò de omnibus generibus, speciebus, & indiuiduis sub se contentis.

ARTICVLVS III.

Illustrantur quæ tradit Porphyrius de Indiuiduo.

QVæritur 1. quid sit indiuiduum. Respondeo præmissa distinctione, nam indiuiduum duobus modis spectari potest, vel primò intentionaliter, id est secundum ea quæ ex natura rei illi conueniunt; vel secundò intentionaliter, id est quatenus subijcitur intellectus conceptui, qui secunda intentio vocari solet: sicut enim in natura specifica homo, taurus, aquila, sunt nomina primæ intentionis; & species, vniuersale, prædicabile, nomina secundæ: ita in natura indiuiduali Plato, Socrates, hic homo, sunt nomina primæ intentionis; at verò indiuiduum, singulare, particulare, & similia, sunt nomina secundæ. Hoc posito

RESPONDEO, & Dico 1. *Indiuiduum spectatum primò intentionaliter, definiri à Porphyrio, quòd constat ex proprietatibus, quarum collectio nunquam in aliquo alio eadem esse potest.* Vnde Socrates est indiuiduum, quia illius proprietates non possunt in aliquo alio eædem esse, etsi hominis communis proprietates sint in omnibus particularibus hominibus, qua homines sunt. Verùm vt hoc melius intelligas,

Nota 1. in Socrate esse aliquas proprietates omnibus hominibus, vt homines sunt,

communes, vt quod ſit admiratiuus, diſciplinæ capax, riſibilis, *&c.* Iſta enim æquè Platoni, Ariſtoteli, aliiſque omnibus hominibus conueniunt ac Socrati.

Nota 2. in eodem Socrate eſſe alias proprietates particulares, quæ toti ſpeciei humanæ non conueniunt: inter quas tamen eſt nonnullum diſcrimen. Nam ſunt multæ ex illis quæ ſigillatim ſumptæ poſſunt competere omnibus indiuiduis, omnes verò collectiuè ſumptæ vni tantùm Socrati competere poſſunt. Explico, proprietates illæ quæ ſimul ſumptæ conſtituunt indiuiduum, hoc verſu comprehendi ſolent.

Forma, figura, locus, ſtirps, nomen, Patria, tempus.

Licèt autem plura indiuidua in aliqua earum, imò & in multis conuenire poſſint, non tamen in omnibus. Siquidem, exempli cauſa, etſi multi poſſint eſſe Philoſophi, vel Athenienſes, vel ſimi, vel gibboſi, vel calui, vel diſtortis cruribus; vix tamen vnus in toto orbe occurret præter Socratem, cui hæc omnia, aliaque id genus competant. Nullique alij quàm Zoilo hi verſus aptari poſſunt.

Crine ruber, niger ore, breuis pede, lumine luſcus,
Rem magnam præſtas Zoile, ſi bonus es.

Nota 3. definitionem prædictam non eſſe eſſentialem, ſed tantùm deſcriptiuam, cùm fiat per accidentia extrinſeca, quæ non conſtituunt formaliter ipſam differentiam indiuidualem, ſed illam tantùm indicant. Neque competere indiuiduis accidentalibus, ſed tantum ſubſtantialibus.

Dico 2. *Indiuiduum ſpectatum ſecundo intentionaliter ſic à Porphyrio definiri, quod de vno tantùm prædicatur.* Item, *id quod ſubiicitur ſpe-*

ciei. Circa quas definitiones nonnulla breuiter obſeruanda ſunt.

Obſeruandum 1. cùm indiuiduum prædicatur de ſeipſo, prædicationem iuxta nonnullos eſſe identicam, quia idem eſt ſubiectum & prædicatum. Verùm dummodo aliter ſubiectum, aliter prædicatum explicetur, vt cum dico, *Petrus eſt indiuiduum*, *Petrus eſt hic homo*, ſententia communis aduertit identitatem illam non ſufficere vt propoſitio ſit identica; quia aliàs, omnes propoſitiones eſſent identicæ, cùm debeat eſſe identitas inter attributum & ſubiectum.

Obſeruandum 2. definitionem priorem indiuidui non pugnare cum iis quæ habet Ariſtoteles in Antepædicamentis cap. 2. vbi ait, *indiuidua, & quæ ſunt vnum numero de nullo dici*, ſenſus enim Philoſophi eſt, indiuiduum non dici de alio quàm de ſeipſo.

Obſeruandum 3. circa poſteriorem definitionem, indiuiduum, vt ſubiicibile, diuerſa ratione ad genus, & ad ſpeciem referri, cùm ſpeciei ſubiiciatur completè, & generi incompletè. Quemadmodum genus & ſpecies conſtituunt diuerſa prædicabilia, quia illud prædicatur incompletè, hæc completè. Nec refert quod genus eadem relatione referatur ad ſpecies, & ad indiuidua; ſiquidem ad illa refertur eodem modo, nempe incompletè.

Quæritur 2. quotuplex ſit indiuiduum. Reſpondeo varias poſſe aſſignari diuiſiones indiuidui, inter quas illa præcipuè hîc notanda, eſt, qua indiuiduum aliud dicitur certum & determinatum, aliud incertum ſeu indeterminatum; quod frequentiùs vagum appellari ſolet, & à nonnullis diſiunctiuum vocatur.

Quod ſpectat ad priorem partem huius diuiſionis, indiuiduum certum illud dicitur, cuius certa eſt ſignificatio. Hoc autem eſt multiplex, vt indicatur à Porphyrio cùm ait: *Indiuiduum dicitur Socrates, & hoc album, & hic qui accedit, & Sophroniſci filius, ſi modo ſolus ei Socrates filius ſit.* Quibus verbis continentur trià indiuiduorum genera, in primis indiuiduum determinatum ex propria appellatione, vt Socrates: deinde indiuiduum demonſtratiuum, vt hoc album, hic qui venit: tertiò indiuiduum per periphraſim deſignatum, vt Sophroniſci filius, ſuppoſito quod alium non genuerit; quod etiam vocatur indiuiduum ex hypotheſi, ſeu ex ſuppoſitione.

Vbi nota 1. indiuiduum determinatum non tantùm dici de hominibus, ſed etiam de brutis, de vrbibus, de fluuiis, de montibus,aliiſque rebus quibus nomina determinata ex hominum impoſitione aſſignantur.

Nota 2. in eiuſmodi nominum vſurpatione attendendum eſſe vſum, quo per certum nomen talis res ſignificari ſolet; quia ſi attendatur ad primam nominum inſtitutionem, interdum contingit ea quæ ad certum indiuiduum denotandum deſtinata ſunt, ex ſe aliquid commune ſignificare; vt patet in nomine Adam, quod etſi ex vſu communi, primum parentem deſignet, hominem tamen ex terra compactum ex primæua ſua origine ſignificat.

Nota 3. indiuiduum demonſtratiuum, quod etiam per rerum omnium genera vagatur, deſignari tantùm per pronomina demonſtratiua primæ ſpeciei, hic,hæc,hoc, vt ſi dicas hic homo, hæc veſtis, hoc lignum; non autem per pronomina poſſeſſiua, meus, mea,meum.

Quia quando dicis, meus liber, ex vi istorum verborum non magis designatur iste liber, quàm quiuis alius à te possessus.

Nota 4. nomen impositum ad significandum indiuiduum ex hypothesi, ex se multa significare, & esse commune. Nam si Sophroniscus viginti habeat filios, quisque eorum dicitur Sophronisci filius: ex hypothesi tamen quòd non alium quàm Socratem genuerit, per Sophronisci filium non alius intelligitur quàm Socrates.

Quod attinet ad posteriorem partem diuisionis allatæ, indiuiduum vagum, cuius non meminit Porphyrius, est incertum & indeterminatum quoad significationem. Quia cum dico, *aliquis homo*, ex vi modi significandi non magis denoto Petrum, quàm Paulum, sed hunc vel illum disiunctiuè; sicut neque cùm dico, *Petrus, vel Paulus*. Interdum tamen additis quibusdam particulis, quod vagum ex se erat fit determinatum, vt cum dicitur, *Mulier quædam Martha nomine*.

Obijcies, quando eminus video currentem Petrum, quem distinctè non cognosco; Vera est illa propositio, *aliquis homo currit*, ideo autem est vera, quia est conformis obiecto, seu quia verè aliquis homo currit; at indiuiduum vagum non currit, sed certum & determinatum, nempè Petrus: ergo verba illa, *aliquis homo*, non significant indiuiduum vagum. Respondeo illam propositionem esse veram, non quia indiuiduum vagum currit, sed quia illud indiuiduum certum & determinatum quod currit, mihi aliter notum non est quàm sub ratione alicuius indiuidui vagi, & indeterminati.

ARTICVLVS IV.

De varijs diuisionibus differentia à Porphyrio allatis.

POstquam Porphyrius egit de duobus primis prædicabilibus, genere nimirum & specie, quibus propter connexionem materiæ aliqua adiunxit de indiuiduo, progreditur cap. 3. ad differentiam, quam constituit tertium prædicabile; ac primo quatuor illius tradit diuisiones, seu potiùs duas diuisiones, & totidem subdiuisiones; tum verò quinque illius definitiones profert, de quibus agetur sequenti articulo.

In primis differentia diuiditur in communem, propriam, & propriissimam. Communis dicitur quando aliquis differt ab alio, accidente communi, vt Petrus loquens, vel sedens, à Paulo tacente, vel stante; aut etiam à seipso, quomodo quis vir effectus differt à seipso vt erat puer; & qui operatur differt à seipso vt ab opere cessat. Propria dicitur, quando vnum differt ab alio per accidens aliquod inseparabile, quale est oculorum cæsius color, aut nasi aduncitas, aut cicatrix cùm ex vulnere quasi callum obduxit. Hoc sensu dicimus coruum propriè differre à cygno, quia ille niger, hic albus; & tam nigredo est inseparabilis ab illo, quàm albedo ab hoc. Maximè propria dicitur, cùm vnum ab alio specifica differentia distat vt homo per rationale differt ab equo. Et hæc sola differentia propria est huius loci, constituitque tertium prædicabile; nam propria ad

quartum, communis verò ad quintum pertinet.

Ex quibus colligit Porphyrius tres illas differentias conuenire inter se, quatenus omnes illud in quo sunt, varium faciunt; differre autem, quod duæ priores diuersum efficiunt, id est distinctum quoad aliquod accidens, postrema verò facit aliud, seu distinctum quoad substantiam. Item quod prima, & secunda tantum differentiæ dicuntur, sine adiunctione; tertia verò differentia specifica vocatur. Ac denique quod differentiæ maximè propriæ diuidunt genera in species, & specierum definitiones cum generibus constituunt; non autem propriæ, vel communes.

Diuiditur secundò in separabilem, & inseparabilem, nam moueri & quiescere, ægrotare & valere, & id genus alia, separabilia, sunt; naribus autem esse aduncis, vel simis, aut ratione præditum, vel rationis expers sunt inseparabilia.

Tertiò differentia inseparabilis subdiuiditur in differentiam per se, & differentiam per accidens; nam rationale per se inest homini, & mortale, & disciplinæ capax esse: naribus autem esse aduncis vel simis ex accidente, non per se.

Inter has autem nonnulla discrimina obseruanda sunt. 1. quod quæ per se adsunt in definitione adhibentur, non autem quæ sunt ex accidenti. 2. quod illæ faciunt aliud, hæ diuersum. 3. quod posteriores intensionis & remissionis sint capaces, quamuis sint inseparabiles, non autem priores. Vnus enim potest habere nasum magis aut minus aduncum, aut simum, quàm alius; at cùm rei essentia

ſentia non intendatur, nec remittatur, conſequenter differentia ex qua conſtituitur, intenſionem & remiſſionem admittere nequit.

Quartò differentia per ſe ſubdiuiditur in eam quæ diuidit genus, & eam quæ conſtituit ſpeciem. Verum hæc diuiſio non petitur à natura rei, ſed à diuerſo officio eiuſdem differentiæ, quæ ſimul eſt generis diuiſiua, & ſpeciei conſtitutiua, vt patet exemplo vulgari; Nam rationale,& irrationale ſunt differentiæ diuiſiuæ animalis, quia per eas animal diuiditur in varias ſpecies: eædem etiam ſunt conſtitutiuæ ſpecierum, ſiquidem rationale conſtituit hominem, & irrationale conſtituit brutum. Vt autem iſta clariùs percipiantur.

Obſeruandum 1. differentiam indiuidualem ſubſtantiæ nec eſſe differentiam propriam, nec communem, cùm non ſit accidens; nec propriiſſimam, cum non ſit eſſentialis, eò quòd nec à gradu generico, nec à ſpecifico, ex quibus eſſentia adæquatè conſtat, ſumitur; ad hanc tamen reduci poſſe ob aliquam ſimilitudinem quam cum illa habet.

Obſeruandum 2. quod ait Porphyrius, differentiam maximè propriam non ſuſcipere magis & minus, verum eſſe non tantum in differentiis ſubſtantiarum, ſed etiam accidentium, etſi hæc ſuſcipiant magis & minus. Licet enim v. c. poſſit vnum corpus eſſe magis album quàm aliud, quia poteſt plures gradus albedinis participare; non tamen poteſt magis participare rationem eſſentialem albedinis, eò quod eſſentiæ rerum ſunt planè inuariabiles, & in indiuiſibili conſiſtunt.

Obſeruandum 3. non ideo dicere Porphyrium differentiam communem, & propriam vocari abſolutè & ſine addito differentiam,

quòd putet illas esse perfectiores propriissima, sed vice versa, quia sunt longè imperfectiores. Interdum enim nomen pluribus inæqualiter conueniens absolutè prolatum intelligitur de ignobiliori, vt patet in voce, *animal*, absolutè prolata, qua non homo, sed brutum intelligi solet. Quia tamen plerumque oppositum contingit, congruentius videtur vt differentiæ illæ imperfectiores, cùm addito, differentiæ accidentales vocentur, quàm simpliciter differentiæ.

ARTICVLVS V.

De varijs definitionibus differentiæ à Porphyrio assignatis.

Differentia definitur 1. *qua species superat genus*, vt homo excedit animal per rationale, & mortale. Differentia enim non est actu in genere, sicut est in specie, quia aliàs cùm genus diuidatur per oppositas differentias, sequeretur quod opposita simul essent in eodem, v. c. idem animal simul esset rationale, & irrationale, quod repugnat. Est tamen differentia potestate in genere; quia cùm species eam non accipiat ex nihilo, necesse est vt illam à suo genere accipiat, adeoque vt in illo potestate contineatur.

Definitur 2. *quæ pluribus & differentibus specie attribuitur in quæstione quale quid est.* Rationale enim & mortale de homine dicitur in quæstione quale quid est, non in quæstione quid est. Nam interrogati quid est homo, aptè respondebimus animal; Interrogati autem quale quid est homo, aptè respondebimus

esse rationale & mortale. Cuius ratio est, quia cùm genus proportione quadam respondeat materiæ, & differentia formæ, sicut interroganti quid v. c. sit statua ex ære, respondetur materia, nempè æs; interroganti verò qualis sit, respondetur forma, seu figura: ita interroganti quid sit homo, respondetur animal, & interroganti quale sit animal, respondetur esse rationale.

Definitur 3. *Id quod naturalē vim habet separandi ea quæ sub eodem genere collocantur*: v.c. rationale & irrationale separant hominē, & equum quæ sunt sub eodem genere, nempe sub animali.

Definitur 4. *Id quo quidque differt*, sic homo & equus ratione generis non differunt, nam & nos, & equi, sumus animalia, sed rationale adiunctum animali nos ab illis sejungit. Item ratione præditi sumus & nos & Angeli, sed mortale adiectum nos ab illis distinguit.

Definitur tandem accuratiùs hoc modo, *differentia est id quod ita separat ea quæ sunt sub eodem genere, vt spectet ad quidditatem, seu essentiam eorum.* Ex quo patet aptum esse ad nauigandum, non esse differentiam hominis, quia non est pars complens illius essentiam, sed quædam aptitudo, seu proprietas, per quam separatur ab alijs animalibus. Ad pleniorem autem horum intelligentiam.

Obseruandum 1. cùm Porphyrius ait in prima definitione, differentiam esse id, ratione cuius species superat genus, id duobus modis intelligi posse: primo ita vt si genus præcisè accipiatur secundum sua prædicata essentialia, species superet genus per differentiam, accessione noui & perfectioris gradus. Secundò ita vt si genus accipiatur vt totum potentiale, continens confusè omnes species, earumque

differentias, species superet genus ratione differentiæ, non quidem accessione noui gradus, sed clariori tantùm eiusdem gradus expressione; quà ratione homo superat animal per rationale, & brutum per irrationale: quia distinctè dicunt gradum differentialem qui tantùm confusè in animali includitur.

Obseruandum 2. Porphyrium errasse cum Platonicis, quatenus existimauit Angelum esse animal rationale, & immortale; quamuis enim Angelus sit immortalis, non tamen est animal, cum corpore & sensibus careat; nec rationalis, seu discursiuus, cùm effectus in causis, & conclusiones in principijs vnico simplici intuitu peruadat, vt patet ex dictis lib. 3. Theologiæ speculat. cap. 5.

Obseruandum 3. secundam definitionem non comprehendere nisi differentias genericas, cum illæ tantùm de multis specie differentibus prædicari possint: quare vt differentijs specificis, quæ propriè spectant ad tertium prædicabile, aptari possit, hoc modo construi potest. *Differentia est qua prædicatur de multis in quale quid.*

Nec mireris quòd differentia eo modo prædicetur, quia enim concipitur ad modum cuiusdam qualitatis, ideo prædicatur in quale, in quid verò vt indicetur non esse à parte rei veram qualitatem accidentalem, sed quid essentiale. Vnde distinguitur à genere, & specie, quia cùm significent non modo rem essentialem, sed etiam per modum per se stantis, vt animal, & homo, prædicantur in quid purum, non autem in quale quid. Quod coincidit cum modo loquendi eorum qui dicunt, ea quæ prædicantur in quid, prædicari substantiuè, quæ vero prædicantur in quale, prædicari adiectiuè.

Obſeruandum 4. tertiam & quartam definitionem eſſe valde imperfectas, cùm proprio competant, & accidenti: homo enim & equus differunt, quia ille eſt aptus ad ridendum, iſte ad hinniendum; cygnus verò & coruus diſtinguuntur inter ſe, quia ille eſt albus, hic niger. Quare vt integra detur differentiæ eſſentialis definitio, Porphyrius aſſumit tertiam definitionem, eique addit quaſdam particulas, quibus differentia eſſentialis, ſeu maximè propria, diſtinguitur à propria, & communi, vt ex dictis perſpicuum eſt.

ARTICVLVS VI.

Summa, & illuſtratio eorum quæ tradit Porphyrius de Proprio.

PRoprium dicitur duobus modis, primò vt diſtinguitur ab improprio, & Metaphorico, qua ratione homo viuus, vt diſtinguitur à picto, eſt propriè homo: Secundò vt diſtinguitur à communi, & ſignificat id quod ſpeciali aliquo modo competit rei, qua ratione hic ſumitur.

Et in hac ſignificatione proprium quatuor modis ſumitur à Porphyrio cap. 4. ſuæ Introductionis. Primò pro eo quod ſoli alicui ſpeciei accidit, etſi non omni, vt homini mederi, aut geometræ officio fungi. Secundò pro eo quod accidit omni ſpeciei, etſi non ſoli, vt homini eſſe bipedem. Tertiò pro eo quod ſoli, & omni, & aliquando, non ſemper, vt omni homini accidit in ſenectute caneſcere. Quartò pro eo quod ſoli, & omni, & ſemper conuenit, vt homini aptum eſſe ad ridendum, equo

aptum esse ad hinniendum. Addit Porphyrius hoc vltimum esse proprium maximè propriè dictum, quia reciprocatur cum suo subiecto; si quid enim est equus, id aptum est ad hinniendum; & si quid est aptum ad hinniendum, id est equus.

Ista autem sunt consentanea ijs quæ habet Aristoteles lib. 1. Topic. cap. 5. vbi proprium definit hoc modo: *Proprium est quod non declarat quidditatem, sed soli inest, & cum re reciprocatur*, qua ratione grammaticæ susceptiuum esse, proprium hominis est: quia si homo est, grammaticæ susceptiuus est, & vice versa si grammaticæ susceptiuus est, homo est. Et per primam particulam sejungit proprium à definitione, per secundam à genere, & accidente, per tertiam à proprio impropriè accepto, quale est illud quod tantum est proprium aliquo tempore, vel per relationem ad aliquid, quomodo sedere est proprium Socratis, cùm solus sedet, & esse bipedem est proprium hominis per relationem ad equum, & canem.

Iam dubium est quodnam ex his proprijs constituat quartum prædicabile. Qua in re certum est apud omnes, proprium quarto modo spectatum ab hoc prædicabili excludendum non esse, quia sicut præcedentia prædicabilia constituuntur per genus, speciem, & differentiam in stricta & propria acceptione; ita æquum est vt quartum prædicabile constituatur per proprium maximè propriè sumptum, seu quarto modo spectatum. Est autem difficultas an aliqua ex alijs proprijs, vel etiam omnia in eo includi debeant, ita vt non solum esse risibile, vel hinnibile, sed etiam esse musicum, esse bipedem, esse canum ad quartum prædicabile pertineat.

RESPONDEO cum sententia communi, solum proprium in quarta acceptione constituere hoc prædicabile. Probatur ex ante dictis, nam iuxta Aristotelem, & Porphyrium, solum proprium quarto modo acceptum, est verè & simpliciter proprium, alia verò tantùm impropriè, & secundum quid; ergo solum proprium quarto modo acceptum constituit quartum prædicabile. Sequela patet, quia sicut in primo prædicabili non ponitur nisi verum & proprium genus, in secundo non nisi vera & propria species, in tertio non nisi vera & propria differentia; ita in quarto non nisi verum proprium constitui debet.

Confirmatur, nam proprium quod constituit quartum prædicabile, est illud quod emanat à rei essentia, & necessariam cum illa habet connexionem; hoc autem non conuenit nisi proprio in quarta acceptione, vt inductione facilè probari potest. Si quidem proprium primo modo spectatum quamuis soli conueniat, non tamen dicitur de omni, quod falsum esset si oriretur à rerum essentia, cùm hæc eadem sit in omnibus. Proprium verò secundo modo spectatum dicitur quidem de omni specie, at non de sola, ac proinde non potest fluere ab essentia illius; quia quod fluit ab essentia aliqua extra illam reperiri nequit. Proprium autem tertio modo non dicitur semper, etsi conueniat omni, & soli, quod indicio est illud non esse proprietatem ab essentia fluentem; quia proprietates ab essentia fluentes non potius vno tempore quàm alio ab ea fluunt, adeóque semper, quamdiu est essentia, fluere debent.

Obijcies, Vt proprium quarto modo sit prædicabile, sufficit quod inquantum dicit apti-

tudinem, fluat ab essentia; at reliqua etiam propria quoad aptitudinem spectata, fluunt ab essentia, ergo similiter constituunt quartum prædicabile. Maior perspicua est, quia non actu ridere, vel hinnire, sed aptum esse ad ridendum, vel hinniendum, in hoc prædicabili constituitur. Probatur minor, quia etsi esse medicum actu, vel habitu, non sit passio fluens ab essentia hominis, esse tamen capacem medicinæ, est propria illius passio. Item licet actu duos pedes habere non sit proprietas hominis; esse tamen aptum ad habendos duos pedes, est proprietas necessario consequens naturam, & essentiam hominis: & rursus posse canescere est proprietas consequens naturam hominis, licet actualis canicies sit accidens illius: ex quo sequitur proprium tribus prioribus modis acceptum spectare ad quartum prædicabile. Respondeo negando minorem, & ad primam illius probationem dico, esse capacem medicinæ, aliarumve scientiarum, non spectare ad proprium primo modo acceptum, vt falso supponitur, sed ad quartam acceptionem illius; aptitudo enim ad scientias sicut & risibilitas, omnibus & solis hominibus competit, adeoque ad vltimam proprij speciem pertinet. Ad secundam dico, esse bipedem oriri ex principijs materialibus, sicut & esse masculum, aut fœminam, propriam verò passionem oriri ex principijs formalibus; siquidem esse risibilem, & disciplinæ capacem homini competit, præsertim quia est rationalis. Ad tertiam dico similiter caniciem non oriri ex hominis essentia, sed ex tali illius complexione, vt docetur in Physica.

Dubitatur etiam, qua ratione definiatur proprium quarto modo sumptum. Respondeo il-

lud ex dictis posse hoc modo definiri, *Id quod omni, soli, & semper, speciei conuenit, & cum ea reciprocatur.* Licet enim Porphyrius agendo de hoc proprio, speciem non nominauerit, quod tamē debeat subintelligi ex eo manifestum est, quia in alijs proprij acceptionibus species exprimitur. Sicut ergo proprium in prima acceptione sumitur pro eo quod soli alicui speciei cōuenit, etsi non omni; & in secunda pro eo quod accidit omni speciei, etsi non soli; ita in quarta sumi debet pro eo quod omni, & soli speciei cōpetit, esto vox speciei ibi prętermissa fuerit. Vnde nomen speciei sumi solet in dicta definitione pro specie infima, siquidem Porphyrius voluit tantū definire proprium maximè propriè sumptum, quale non est nisi proprium specificum. Nam illud dicitur proprium alicui, quod alteri commune non est; quare propriū genericum cùm multis essentialiter distinctis cōpetat, non tam propriè proprium dici potest, quàm proprium specificum, quod non nisi vni speciei conuenit.

Si tamen definitionem prædictam, etiam ad propria generica extendi velis, nomen speciei sumendum erit pro natura, vel essentia rei, vt sensus sit, proprium esse id quod alicui naturæ quæcunque sit, ita competit, vt omni, & soli, & semper conueniat. Neque propterea existimes dari duo prædicabilia proprij, alterum specifici, alterum generici. Cùm enim eodem modo prædicentur de natura ad quam spectant, nempè in quale necessarium, non nisi vnum prędicabile constituunt, vt infrà dicetur.

Verum quod proprium non rectè definiatur, id quod soli, & semper competit, ex eo probatur; quia primæ qualitates sunt propria elementorum, neque tamen ijs solis, aut semper competunt, cum ex vna parte calor, frigus, hu-

miditas, & ſiccitas in mixtis reperiantur, & ex alia, aqua non ſit ſemper frigida, nec aër ſemper humidus, nec terra ſemper ſicca. Reſpond. 1. qualitates elementares in ſummo gradu eſſe propria elementorum, eoque modo mixtis non competere, ſed tantùm in aliquo gradu remiſſo; aut ſi ijs interdum in ſummo gradu competunt, vt ſummus calor ferro candenti, id non oriri ex principijs internis, ſed ab extrinſeco.

Reſpondeo 2. non eſſe proprium aquæ quod actu ſit frigida, ſed quod ex natura ſua ſummam frigiditatem poſtulet, quemadmodum non eſt proprium hominis quod actu rideat, ſed quod ex natura ſua ſit aptus ad ridendum. Ea autem exigentia competit aquæ, etiam cum intensé calida eſt; & ſimiliter alia elementa exigunt qualitates connaturales, etiam cùm ijs actu priuatæ ſunt.

Dubitatur tandem per ordinem ad quid proprium dicatur vniuerſale. Reſpondeo non conſtitui per ordinem ad ſpeciem, vt nonnulli exiſtimant, ſed per ordinem ad inferiora illius. Siquidem vniuerſale eſt vnum aptum ineſſe multis, ſpecies autem de qua proprium prædicatur, eſt quid vnum, non multa; quare non dicitur vniuerſale reſpectu ſpeciei, ſed per ordinem ad illius inferiora, quę multa ſunt. Eodemque argumento probari poteſt differentiam, de qua ſuprà actum eſt, non conſtitui in ratione vniuerſalis, per ordinem ad ſpeciem quam conſtituit, ſed per ordinem ad inferiora ſpeciei. Confirmatur: nam vniuerſale dicit ex ſe aliquid ſuperius, & latiùs patens reſpectu eorum in quibus eſſe poteſt; at nec differentia, nec proprium ſunt aliquid ſuperius reſpectu ſpeciei, eaque latiùs patens, ſed tantum reſpectu in-

diuiduorum; quare sunt vniuersalia per ordinem duntaxat ad indiuidua.

Obijcies 1. Etsi species sit formaliter vna, est tamen virtualiter multiplex ratione inferiorum, quod sufficit vt proprium, aut differentia sit vniuersale respectu illius. Respondeo non sequi, tum quia vniuersale respicit formaliter multa, non autem vnum quod sit virtualiter multa: tum quia cùm species non sit multa nisi ratione indiuiduorum, hinc fit vt differentia & proprium debeant potiùs dici vniuersalia respectu indiuiduorum, quàm speciei.

Obijcies 2. quando differentia, aut proprium prædicantur de specie, prædicatio illa vel est vniuersalis, vel singularis; non singularis, cùm subiectum non sit singulare, ergo vniuersalis. Respondeo neque esse singularem, neque vniuersalem, quia vt sit prædicatio vniuersalis, debet superius prædicari de inferioribus, quod hic non contingit, vt ostendimus; est ergo prædicatio æqualis, quia subiectum & attributum æquè latè patent, vt cùm dico, homo est rationalis, homo est risibilis.

Obijcies 3. Vniuersalia constituuntur per ordinem ad id de quo immediatè prædicantur, at differentia & proprium immediatè prædicantur de specie, non de indiuiduis. Ergo sunt vniuersalia respectu speciei, non ratione indiuiduorum. Respondeo 1. maiorem negari posse, quia de ratione vniuersalis tantùm est quod possit inesse multis, aut de illis prædicari, siue immediatè illis insit, siue mediatè duntaxat.

Respondeo 2. minorem etiam negari posse, si intelligatur de differentia, & proprio, vt sunt vniuersalia, quia etsi differentia sit immediatè in specie, vt formale constitutiuum illius, & proprium vt passio ab illa fluens; vt tamen ha-

bent rationem vniuersalis, & prædicabilis, sic sunt immediatè in ipsis indiuiduis, non autem in specie, vt probatum est.

ARTICVLVS VII.

De varijs acceptionibus, definitionibus, & prædicabilitate accidentis.

PRÆMONEO accidens tripliciter sumi apud Philosophos. 1. pro eo quod est extra rei essentiam, eique accidit, siue sit substantia, siue accidens. Qua ratione homo est accidens ad animal, & Petrus ad hominem, adeoque illæ prædicationes sunt accidentales, animal est homo, homo est Petrus. 2. pro eo quod non est substantia, siue ab ea fluat, siue non; quomodo ens diuiditur in substantiam, & accidens, propriumque sub accidente collocatur. 3. Pressius pro eo quod nec est substantia, nec à principijs essentiæ fluit, quomodo albedo est accidens hominis, quod ad distinctionem proprij de quo suprà, commune vocari solet; & de hoc accidente vt constituit quintum prædicabile, hic breuiter agendum est. Itaque

Quæritur 1. quid de accidente statuat Porphyrius cap. 5. suæ Introductionis. Respondeo 1. accidens ab illo diuidi in separabile, & inseparabile, *vt puta*, inquit, *dormire est accidens separabile, nigrum autem esse ita accidit coruo, & Aethiopi vt separari nequeat.* Monet tamen posse intelligi coruum album, & Æthiopem abiecta nigredine, sine interitu subiecti.

RESPONDEO 2. accidens tripliciter à Porphyrio definiri: primo sic, *Accidens est quod adest, & abest sine subiecti interitu* Secundo hoc modo, *accidens est quod contingit eidem inesse, & non*

inesse. Tertiò his verbis, *quod neque est genus, neque differentia, nec species, nec proprium, semper autem in subiecto inhæret*. Addi potest quarta definitio accidentis, vt est quintum prædicabile, nimirum hæc. *Accidens est quod aptum est inesse pluribus, vel prædicari de pluribus contingenter, seu non necessariò, & per se*.

Vbi aduerte secundam & tertiam definitionem sumptas esse ex 1. Topic. cap. 5. vbi Aristoteles monet secundam esse meliorem tertia, quia vt tertiam intelligas, priùs scire debes quid sit genus, quid species, quid differentia, quid proprium. At secunda per se est sufficiens ad notificandum, quidnam sit id quod dicitur.

Quæritur 2. per ordinem ad quid accidens sit quintum prædicabile. Respōsio communis est, constitui per ordinem ad subiecta, de quibus accidentariò prædicatur, non autem per ordinem ad inferiora, de quibus essentialiter dicitur. Sensus est, album v. c. non pertinere ad hoc prædicabile, quatenus dicitur de hoc, vel illo albo, sed quatenus dicitur de homine, de pariete, aliisque subiectis, quæ alba sunt. Vnde quando dico, *hoc album est album*, prædicatio illa spectat ad speciem, quemadmodum & illa, *hic homo est homo*, quia prædicatum dicit totam essentiam subiecti: at quando dico, *Petrus est albus, paries est albus*, eiusmodi prædicationes sunt quinti prædicabilis, cùm album prædicetur de Petro, & de pariete in quale contingenter.

Quæritur 3. an vt accidens sit vniuersale, debeat respicere plura subiecta actu existentia. Respondent aliqui id non requiri, sed sufficere quod ea subiecta sint possibilia, vt quod plura possint esse corpora alba: Quia ad rationem vniuersalis non requiritur actu prædicari, sed

bent rationem vniuerſalis, & prædicabilis, ſic ſunt immediatè in ipſis indiuiduis, non autem in ſpecie, vt probatum eſt.

ARTICVLVS VII.

De varijs acceptionibus, definitionibus, & prædicabilitate accidentis.

PRÆMONEO accidens tripliciter ſumi apud Philoſophos. 1. pro eo quod eſt extra rei eſſentiam, eique accidit, ſiue ſit ſubſtantia, ſiue accidens. Qua ratione homo eſt accidens ad animal, & Petrus ad hominem, adeoque illæ prædicationes ſunt accidentales, animal eſt homo, homo eſt Petrus. 2. pro eo quod non eſt ſubſtantia, ſiue ab ea fluat, ſiue non; quomodo ens diuiditur in ſubſtantiam, & accidens, propriumque ſub accidente collocatur. 3. Preſſius pro eo quod nec eſt ſubſtantia, nec à principijs eſſentiæ fluit, quomodo albedo eſt accidens hominis, quod ad diſtinctionem proprij de quo ſuprà, commune vocari ſolet; & de hoc accidente vt conſtituit quintum prædicabile, hic breuiter agendum eſt. Itaque

Quæritur 1. quid de accidente ſtatuat Porphyrius cap. 5. ſuæ Introductionis. Reſpondeo 1. accidens ab illo diuidi in ſeparabile, & inſeparabile, *vt puta*, inquit, *dormire eſt accidens ſeparabile, nigrum autem eſſe ita accidit coruo, & Æthiopi vt ſeparari nequeat.* Monet tamen poſſe intelligi coruum album, & Æthiopem abiecta nigredine, ſine interitu ſubiecti.

RESPONDEO 2. accidens tripliciter à Porphyrio definiri: primo ſic, *Accidens eſt quod adeſt, & abeſt ſine ſubiecti interitu.* Secundo hoc modo, *accidens eſt quod contingit eidem ineſſe, & non*

inesse. Tertiò his verbis, *quod neque est genus, neque differentia, nec species, nec proprium, semper autem in subiecto inhæret.* Addi potest quarta definitio accidentis, vt est quintum prædicabile, nimirum hæc. *Accidens est quod aptum est inesse pluribus, vel prædicari de pluribus contingenter, seu non necessariò, & per se.*

Vbi aduerte secundam & tertiam definitionem sumptas esse ex 1. Topic. cap. 5. vbi Aristoteles monet secundam esse meliorem tertia, quia vt tertiam intelligas, priùs scire debes quid sit genus, quid species, quid differentia, quid proprium. At secunda per se est sufficiens ad notificandum, quidnam sit id quod dicitur.

Quæritur 2. per ordinem ad quid accidens sit quintum prædicabile. Respōsio communis est, constitui per ordinem ad subiecta, de quibus accidentariò prædicatur, non autem per ordinem ad inferiora, de quibus essentialiter dicitur. Sensus est, album v. c. non pertinere ad hoc prædicabile, quatenus dicitur de hoc, vel illo albo, sed quatenus dicitur de homine, de pariete, aliisque subiectis, quæ alba sunt. Vnde quando dico, *hoc album est album,* prædicatio illa spectat ad speciem, quemadmodum & illa, *hic homo est homo*, quia prædicatum dicit totam essentiam subiecti: at quando dico, *Petrus est albus, paries est albus,* eiusmodi prædicationes sunt quinti prædicabilis, cùm album prædicetur de Petro, & de pariete in quale contingenter.

Quæritur 3. an vt accidens sit vniuersale, debeat respicere plura subiecta actu existentia. Respondent aliqui id non requiri, sed sufficere quod ea subiecta sint possibilia, vt quod plura possint esse corpora alba: Quia ad rationem vniuersalis non requiritur actu prædicari, sed

posse saltem remotè de pluribus prędicari. Verùm quidquid sit de alijs vniuersalibus, hoc certè falsum videtur in accidente; quomodo enim prædicabitur album de pariete, & de lapide, si nullus sit paries, aut lapis albus?

Nec dicas veram esse illam prædicationem, Petrus est homo, etsi non existat Petrus, non enim est par ratio, quia propositio illa vera est tantùm in sensu conditionato, non in absoluto; Siquidem cùm Petrus, vt supponitur, non existat, non est verum absolutè quod sit homo, sed dici tantùm potest conditionatè, si Petrus existit, est homo. At si nullus paries existat, non potest dici absolutè, paries est albus, quia quod caret existentia, caret à fortiori accidentibus communibus, quæ supponunt existentiam. Nec etiam sub conditione, si paries existit est albus, quia nulla est connexio necessaria inter parietem & albedinem, sicut est inter Petrum, & humanitatem, potestque fieri vt paries non sit albus, etsi existat. Cùm ergo aliquid immeritò dicatur vniuersale, pro statu quo non potest de multis prædicari, hinc fit vt vniuersalitas accidentis necessariò exigat plurium subiectorum, de quibus prædicari possit, existentiam.

Quæritur 4. an vt album v. c. sit vniuersale, requiratur quod respiciat plura subiecta habentia plures albedines, vel sufficiat quod vnica & eadem albedo in pluribus subiectis diuinitus constituatur. Nonnulli existimant id sufficere, quia non obstante illa identitate albedinis, plura subiecta dicentur plura habentia albedinem, sicque ex ijs abstrahi poterit vna ratio communis subiecti habentis albedinem.

Verùm hoc etiam patitur difficultatem, nec

ſatis conſequenter à præfatis autoribus dictum videtur. Illi enim dum explicant qua ratione vniuerſale ſit vnum in multis, ſedulò inculcant ad illud requiri, vt inferiora ſint plura in ratione ipſa vniuerſali, v. c. vt Petrus & Paulus ſint plures in ratione hominis, id eſt plures homines, adeo vt quilibet habeat ſuam humanitatem realiter diſtinctam ab humanitate alterius. Hoc autem non ſatis cohæret cum doctrina quam hic tradunt, cùm aiunt vt album ſit vniuerſale, ſatis eſſe quod reſpiciat multa ſubiecta habentia eandem albedinem. Perſpicuum enim eſt ea non eſſe multa in ratione vniuerſali albi, ſed vnum, cùm vnica ſit albedo in omnibus, vt ſupponitur. Quemadmodum Petrus & Paulus, non eſſent multi in ratione vniuerſali hominis, ſi eadem eſſet in vtroque humanitas.

ARTICVLVS VIII.

An numerus Vniuerſalium, ſeu Prædicabilium à Porphyrio rectè ſit aſſignatus.

EX hactenus dictis patet quinque prædicabilia aſſignari à Porphyrio; nempe genus, ſpeciem, differentiam, proprium, & accidens. Dubitatur autem an iſte numerus rectè ſit aſſignatus, ita vt nec plura ſint prædicabilia quàm quinque memorata, nec pauciora.

RESPONDEO, & Dico 1. *Non eſſe admittenda plura vniuerſalia, ſeu prædicabilia quàm quinque*. Probatur, quia cùm vniuerſale ſit vnum aptum ineſſe multis, vel prædicari de multis, non debent plura aſſignari vniuerſa-

lia, quàm ſint varij modi quibus vnum in multis eſſe poteſt, vel prædicari de multis: at modi illi non ſunt plures quàm quinque relati, quia nihil poteſt ineſſe multis, vel de ijs prædicari, niſi aut tanquam tota eſſentia, quomodo conſtituit ſpeciem; aut tanquam pars eſſentiæ veluti materialis, quomodo conſtituit genus; aut tanquam pars illius formalis, quomodo conſtituit differentiam; aut tanquam accidens neceſſariò fluens ab eſſentia, quomodo conſtituit proprium; aut tanquam ei contingenter adueniens, quomodo conſtituit accidens quinti prædicabilis. Neque alius modus eſſendi in multis, aut de ijs prædicandi excogitari poteſt, qui ad aliquem ex iſtis facilè non reducatur.

Obijcies 1. Indiuiduum vagum dicitur de multis, vt aliquis homo de multis hominibus, ergo ſunt ſex vniuerſalia, cum hoc ad alia non referatur. Reſpondeo indiuiduum vagum dici de multis disiunctiuè, non tamen copulatiuè, vt requiritur ad vniuerſale. Exempli cauſa aliquis homo dicitur de Petro, vel de Paulo, non tamen de Petro & Paulo ſimul; cùm illi non ſint aliquis homo, ſed aliqui homines, nempe duo.

Obiicies 2. ſicut genus & ſpecies conſtituunt duo vniuerſalia, ita differentia generica & ſpecifica duo alia conſtituere debent. Itemque proprium genericum & ſpecificum. Et idem dicendum de accidente generico & ſpecifico, ſicque erunt octo vniuerſalia. Reſpondeo non ſequi & ratio diſcriminis eſt, quia genus prædicatur vt pars materialis, ſpecies vt totum, adeoque conſtituunt duo vniuerſalia; at differentia generica & ſpecifica prædicantur eodem modo, nempe vt pars eſſentia-

lis respondens formæ; proprium genericum & specificum prædicantur in quale necessariò & reciprocè: accidens verò genericum & specificum prædicantur in quale contingenter, quò fit vt vnum sit tantùm vniuersale differentiæ, vnum proprij, & vnum accidentis.

Dico 2. *Duo tantùm vniuersalia strictè & propriè loquendo admittenda esse, absolutè tamen quinque vulgaria esse recipienda.* Prior pars probatur, quia vniuersale strictè loquendo sumi solet, ex communi sententia, pro eo quod immediatè respicit multa tanquam inferiora, à quibus abstrahitur per mentis operationem; sic autem non dantur nisi duo vniuersalia, nempe genus, & species, quia non potest natura abstrahi ab inferioribus nisi specie, aut numero distinctis.

Confirmatur, nam cùm series categoriarum, ex communi Philosophorum consensu constituta sit, & in recta earum linea non alia ponantur vniuersalia quàm genera & species, hinc perspicuè videtur colligi, differentiam, proprium, & accidens non censeri propriè vniuersalia, nisi quatenus participant rationem generis, aut speciei. Ita vt differentia non sit propriè vniuersale, quatenus respicit subiectum constitutionis, sed quatenus dicit ordinem ad inferiores differentias, v.c. rationale ad hoc & illud rationale. Proprium sit vniuersale, non quatenus respicit subiectum reciprocationis, sed quatenus dicit ordinem ad hoc, & illud proprium, risibile v.c. ad hoc & illud risibile. Accidens sit vniuersale, non vt respicit subiectum inhæsionis, sed hæc & illa accidentia, vt color hunc & illum colorem, albedo hanc & illam albedinem.

Posterior pars ostenditur, quia vniuersale latius sumptum dicitur de eo omni quod quouis modo potest prædicari de multis, siue mediatè, siue immediatè; siue tanquam de subiectis, siue tanquam de inferioribus, qua ratione clarum est dari quinque vniuersalia. Confirmatur, quia in hac quæstione quæ magis est de modo loquendi, quam de re ipsa, communis sententiæ amplectenda est, quæ quinque prædicabilia cum Porphyrio admittit.

CAPVT III.

De collatione quinque Prædicabilium à Porphyrio tradita, à capite sexto suæ Introductionis.

ARTICVLVS I.

De generali collatione quinque Vniuersalium.

ETsi sequentes collationes à Logicis omitti soleant, à nobis non videntur prætermittendæ, cùm multa scitu digna contineant, quæ ad maiorem vniuersalium intelligentiam non parum conducunt. Prædicta quinque vniuersalia in hoc conueniunt, quod omnia de pluribus prædicantur. Differunt autem inter se quod genus attribuitur speciebus, & indiuiduis sub ea contentis. Itemque differentia, scilicet generica; species autem

indiuiduis sub se constitutis. Proprium verò dicitur de specie cuius est proprium, & de indiuiduis illius; Accidens autem speciebus & indiuiduis attribuitur. Exempli causa, animal attribuitur equo, & boui; & huic equo, & huic boui; itemque rationis expers: at homo solis particularibus hominibus attribuitur, aptum autem ad ridendum & homini, & huic, illique homini; moueri verò homini & equo, itemque huic homini, & huic equo.

Vbi aduerte ex Porphyrio cap. 6. Introduc. accidens primò attribui indiuiduis, secundo autem loco ijs quæ continent indiuidua, quibus verbis innuit illud esse discrimen inter accidens, & proprium, quod accidens primò dicitur de indiuiduis, secundò verò de specie; ideo enim homo est albus, quia Petrus est albus: proprium verò è contra primò dicitur de specie, secundò de indiuiduis; ideo quippe Petrus est risibilis, quia homo est risibilis.

ARTICVLVS II.

De collatione generis & differentiæ.

TRia sunt generi & differentiæ communia: primò habere vim continendi species, sed cum discrimine, nam differentia constitutiua continet tot species, quot genus, v. c. sensitiuum quot animal; diuisiua verò pauciores, vt rationale hominem tantùm.

Secundo quæcunque attribuuntur generi vt genus est, etiam speciebus ei subiectis at-

tribuuntur, & similiter quæcunque attribuuntur differentiæ vt differentia est, etiam speciei ex ea ortæ attribuuntur. Verùm hoc intellige de iis quæ attribuuntur generi, & differentiæ essentialiter, non vt sunt secundæ intentiones, aut voces.

Tertiò sublato genere, aut differentia, tolluntur etiam quæ sub eis sunt: vt enim nisi sit animal, non est equus, aut homo; ita nisi sit rationale, nullus erit ratione vtens.

Sunt autem sex in quibus genus à differentia distinguitur, Primò genus de pluribus dicitur quàm differentia generis diuisiua. Nam animal dicitur de homine, & equo, alijsque speciebus animalium; at rationale non nisi de homine prædicatur.

Secundo genus differentiam continet potestate, nam animal partim est rationale, partim irrationale; differentiæ verò non continent genera.

Tertiò, genera sunt priora differentijs sub se positis, vnde ablato genere tolluntur differentiæ, non vice versa; sublato enim animali simul tollitur rationale, & irrationale, at ijs differentis ablatis intelligitur substantia animata, sentiendi facultate prædita, adeoque animal manet saltem per operationem intellectus.

Quartò, genus attribuitur in quæstione quid est, differentia verò in quæstione quale quid est.

Quintò, in quacunque specie vnum est genus, vt hominis genus est animal, differentiæ autem multæ, vt rationale, intelligentiæ, aut scientiæ capax, quibus homo differt ab alijs animalibus.

Sextò, genus assimilatur materiæ, & dif-

ferentia formæ; quod qua ratione intelligendum ſit, in Metaphyſica expendetur.

ARTICVLVS III.

De collatione generis, & ſpeciei.

GEnus & ſpecies infima tria habent communia inter ſe, primò pluribus attribui, ſeu de multis prædicari, vt patet ex ſupra dictis.

Secundò, priora eſſe ijs quibus attribuuntur, vt prius eſt animal quàm homo, & homo quàm Petrus.

Tertiò, vtrumque eſſe totum quoddam continens inferiora, genus quidem ſpecies, & ſpecies indiuidua.

Differunt autem 1. quia genus continet ſpecies, at ſpecies continentur, non continent genera. Quod intellige adæquatè, & ſecundum totam eorum potentialitatem.

Secundò, hinc oritur alia differentia, nimirum genus de pluribus prædicari quàm ſpecies.

Tertio, differunt, quod genus eſt prius natura quàm ſpecies, cum ex illo & differentiis ſpecificis conſtituantur ſpecies.

Quartò, differunt, quia ſi ſpecies ſit, eſt etiam genus; at quamuis genus ſit, non ideo eſt ſpecies. Vt poſito homine ponitur animal, non vice verſa.

Quintò, genera dicuntur vniuocè de ſpeciebus ſibi ſubiectis, non autem ſpecies de generibus, de quibus prædicantur tantùm indirectè, & per accidens, vt cùm dico, *animal eſt homo.*

Sextò, genera ſuperant ſingulas ſpecies ſibi ſubiectas comprehenſione,ſeu poteſtate, quia alias complectuntur; ſpecies autem ſuperant genera proprijs differentijs.

Septimo, ſpecies non poteſt fieri genus generaliſſimum, nec genus ſpecies ſpecialiſſima.

ARTICVLVS IV.

De collatione generis & proprij.

TRia ſunt generi & proprio communia, primò ſequi ſpecies, nam ſi quid eſt homo, eſt animal; & ſi quid eſt homo, eſt aptum ad ridendum.

Secundò, genus æquè attribui ſpeciebus, & proprium indiuiduis quæ ipſum participant, animal enim æquè dicitur de boue & equo, & riſibile æquè de Socrate & Platone.

Tertiò, genus Synonymè attribui proprijs ſpeciebus, & proprium ijs quorum eſt proprium.

Differunt autem primò,quia genus eſt prius, & proprium poſterius; primùm enim oportet eſſe animal, & poſtea diuidi differentiis, & propriis.

Secundò, quia genus pluribus ſpeciebus attribuitur, proprium vero de vna tantùm ſpecie prædicatur. Quod intellige de proprio ſpecifico, ſiquidem genericum de multis ſpeciebus dici perſpicuum eſt.

Tertiò, quia proprium reciprocatur cum eo cuius eſt proprium, genus autem cum nullo reciprocatur. Neque enim ſi quid eſt animal,

continuo est homo, aut aptum ad ridendum; at si quid est homo, est aptum ad ridendum, & vice versa.

Quartò, quia proprium inest in tota specie cuius est proprium, & sola, & semper; genus verò inest quidem in tota specie cuius est genus, & semper, non tamen sola, cùm de pluribus dicatur, iisque insit.

Quintò, quia proprio sublato non tollitur genus, sed ablato genere tolluntur species, adeoque earum propria. Vt ablato animali tollitur homo, & consequenter admiratiuum, risibile, &c.

ARTICVLVS V.

De collatione generis, & accidentis.

Conueniunt, quia de multis prædicantur, quod verum est tam de accidentibus separabilibus, vt currere, moueri; quàm de inseparabilibus, vt nigrum esse, quod Æthiopibus, coruis aliisque competit.

Differunt autem primò, quia genus est prius propriis speciebus, accidentia verò sunt speciebus posteriora. Nam etsi accipiatur accidens inseparabile, prius est id cui accidit, quàm accidens.

Secundò, quia quæ genus participant, æque illud participant; accidens autem non æquè, cùm possit intendi, & remitti.

Tertiò, quia accidentia primùm sunt in indiuiduis, genera verò & species naturâ priora sunt indiuiduis substantiis.

Quartò, quia genera prædicantur in quæstione quale est, aut quomodo se habet vnum.

quodque. Interrogatus enim qualis eſt Æthiops, dices eſſe nigrum; aut quomodo ſe habet Socrates, dices eum ægrotare, aut valere.

ARTICVLVS VI.

De collatione differentiæ & ſpeciei.

COnueniunt primò, quod æquè communicantur, homo enim & rationale æquè participantur à particularibus hominibus. Secundò, quia ſemper adſunt iis quibus communicantur, Socrates enim eſt ſemper homo, & ſemper rationalis.

Differunt autem primò, quod differentia attribuitur in quæſtione quale quid eſt, & ſpecies in quæſtione quid eſt. Quod ſi illud interdum tribuitur ſpeciei, id fit non quatenus eſt ſpecies, ſed quia ex differentia componitur.

Differunt ſecundò, quod differentia in multis ſpeciebus ſæpe cernitur, vt quadrupes in multis ſpeciebus animalium; ſpecies autem, ſcilicet ſpecialiſſima, in ſolis indiuiduis ſibi ſubditis.

Differunt tertiò, quod differentia eſt prior ſpecie quam conſtituit, ablato enim rationali tollitur homo, ſed ablato homine non tollitur rationale, cùm Angelus ſit. Vbi nota hoc exemplum procedere ex errore Porphyrij, de quo ſupra.

Differunt quartò, quòd vna differentia coniungitur cum alia, v. c. rationale & mortale ad hominem conſtituendum; ſpecies verò non coniungitur cum alia ſpecie, vt ex iis

tertia

tertia constituatur. Nam etsi ex coitione cuiusdam equæ cum quodam asino mulus oriatur, equus tamen simpliciter asino coniunctus, nequaquam mulum efficiet.

ARTICVLVS VII.

De collatione differentiæ, & proprij.

COnueniunt primò, quod æque communicantur iis quibus insunt, nam rationalia sunt æquè rationalia, & apta ad ridendum sunt æquè apta ad ridendum.

Secundò quòd semper, & omni adsunt, scilicet secundum aptitudinem, non secundum actum; quatenus homo v. c. ex natura sua semper postulat vt sit bipes, & aptus ad ridendum, etsi non semper sit actu bipes, nec semper actu rideat.

Differunt autem primò, quòd differentia de pluribus speciebus sæpe dicitur, vt rationale de Angelo, & homine; at proprium de vna specie cuius est proprium.

Secundò, quòd differentia non reciprocatur cum specie, sed latiùs patet, proprium autem cum ea reciprocatur. Quo loco aduerte ista discrimina procedere de differentiis genericis, & propriis specificis.

ARTICVLVS VIII.

De collatione differentiæ, & accidentis.

COnueniunt primò differentia & accidens quodcunque sit, quòd de pluribus dicātur.

Secundò differentia & accidens inseparabile id commune habent, quod semper, & omni adsunt; nam v. c. rationale semper adest homini, & nigredo omnibus coruis.

Differunt autem primò, quia differentia continet species, nec ab eis continetur, quod intellige de generica: at accidentia partim continent subiecta, quia in pluribus existunt; partim ab iis continentur, quia subiecta plura accidentia recipere possunt.

Secundò, quia differentia non potest intendi aut remitti, accidentia verò intensionem & remissionem admittunt.

Tertiò, quòd differentiæ contrariæ misceri non possunt, at contraria accidentia interdum possunt.

ARTICVLVS IX.

De collatione speciei, & proprij.

Conueniunt primò in mutua attributione, si quid enim est homo, est aptum ad ridendum; & vice versa.

Secundò, quod æqualiter adsunt iis quibus insunt, esse enim hominem, & aptum ad ridendum, æquè Socrati, & Platoni conuenit, non autem secundum magis & minus.

Differunt autem primò quòd species, scilicet subalterna, possit etiam esse genus respectu aliorum: at proprium ita est vnius speciei proprium, vt non possit esse alterius proprium: quod intellige de proprio specifico, cùm genericum multis speciebus conueniat.

Secundò, quòd species ante proprium subsistit, proprium verò speciei adnascitur, cùm aptum ad ridendum supponat hominem esse.

Tertiò, quòd species semper adest actu subiecto, proprium verò interdum potestate; Socrates enim semper est actu homo, at non semper actu ridet, quamuis semper natura sit aptus ad ridendum.

Quartò, quòd habeant diuersas definitiones, vt patet ex dictis.

ARTICVLVS X.

De collatione speciei, & accidentis.

Conueniunt quòd de pluribus dicantur. Raræ autem sunt aliæ communitates, quia plurimum inter se distant accidens, & id cui accidit.

Differunt primò, quòd quælibet substantia vnius tantùm speciei particeps esse potest, plurium verò accidentium tam inseparabilium, quàm separabilium.

Secundò, quòd species priùs intelliguntur quàm accidentia, etiam inseparabilia; oportet enim esse subiectum, vt ei aliquid accidat: accidentia verò natura sunt posteriora, & naturam in eo habent constitutam, vt substantiæ inhæreant.

Tertiò, quòd speciei participatio est æqualis, non autem accidentis etiam inseparabilis; etenim vnus Æthiops potest esse nigrior alio.

ARTICVLVS XI.

De collatione proprij, & accidentis.

Conueniunt primò proprium & accidens inseparabile; quòd sine illis ea non consistunt in quibus spectantur.

Secundò, quemadmodum & omni, & semper accidit proprium, ita & accidens inseparabile.

Differunt autem primò, quod proprium vni tantùm speciei adest, at accidens inseparabile multis, vt nigrum coruo, & aliis.

Secundò, quod proprium reciprocatur cum eo cuius est proprium, & æquè latè patet, inseparabile autem accidens non reciprocatur.

Tertiò, quia propriorum æqualis est participatio, accidentium verò alia maior, alia minor. Atque hæc pro captu tyronum de Vniuersalibus satis; quæstiones enim difficiliores ad hanc materiam spectantes, congruentiùs, & maiori cum fructu in Metaphysica expendētur.

CAPVT IV.

De Prædicamentis in genere.

ARTICVLVS PRIMVS.

Duas diuisiones Ante-prædicamentales complectens.

Aristoteles lib. Categoriarum cap. I. tradit definitiones & exempla homonymo-

tum, ſynonymorum, & denominatiuorum de quibus egimus, vbi de terminis. Capite autem 2. tradit duas diuiſiones quæ hic breuiter explicandæ ſunt.

Prima diuiſio ad voces ſpectans, hæc eſt: *Eorum quæ dicuntur, alia ſunt coniuncta, alia ſine coniunctione*. Id eſt, verborum alia ſunt complexa, ſeu compoſita; alia incomplexa, ſeu ſimplicia, vt homo currit, homo vincit, ſunt voces complexæ; at homo, currit, vincit, incomplexæ.

Aliquis fortè exiſtimabit in iſta diuiſione haberi rationem ſolius vocis, ita vt ille dicatur terminus complexus, qui conſtat duabus vocibus, incomplexus verò qui vnica. Verùm cùm ex communi interpretum ſententia, ad vocum ſignificationem præcipuè hic attendamus, ille terminus dicitur complexus, qui ſiue ex vna tantùm, ſiue ex pluribus dictionibus conſtet, aliquid complexum ſignificat, incomplexus verò qui aliquid incomplexum. Vnde voces illæ legitur, curritur, pluit, grandinat, & ſimiles, cùm multa ſignificent, ad terminos complexos reducuntur; iſtæ verò, corpus animatum, animal rationale, aliæque eiuſmodi ad incomplexos, quia eorum ſignificatum eſt ſimplex; quò fit vt locum habeant in Categoriis, etſi termini complexi ab iis excludi ſoleant.

Poſterior diuiſio, eaque quadripartita, talis eſt: primò, *Eorum quæ ſunt, alia de ſubiecto aliquo dicuntur, ſed in nullo ſubiecto ſunt*, vt homo de ſubiecto dicitur, nempe de aliquo homine, ſed in nullo ſubiecto eſt. Secundò, *alia in ſubiecto aliquo ſunt, de ſubiecto autem nullo dicuntur*, vt quædam grammatica eſt in ſubiecto, nempe in anima, ſed de nullo ſubiecto dicitur; & hoc album eſt in ſubiecto,

nempe in corpore, verùm de ſubiecto nullo dicitur. Tertiò, *quædam & de ſubiecto dicuntur, & in ſubiecto ſunt*, vt ſcientia eſt in ſubiecto, nimirum in anima, diciturque de ſubiecto, nempe de grammatica. Quartò, *nonnulla nec in ſubiecto ſunt, nec de ſubiecto aliquo dicuntur*, vt quidam homo, & quidam equus.

Vbi obſeruandum 1. in hac quadrimembri diuiſione primum membrum intelligi de ſubſtantiis Vniuerſalibus, eæ enim vt vniuerſales, dicuntur de ſubiecto, id eſt prædicantur eſſentialiter de ſuis inferioribus, quæ reſpectu illarum dicuntur ſubiecta attributionis; vt autem ſunt ſubſtantiæ, non ſunt in ſubiecto, ſcilicet inhæſionis. Secundum, de accidentibus ſingularibus, ea enim quatenus accidentia, ſunt in ſubiecto inhæſionis; & quia ſunt ſingularia, non poſſunt dici de inferioribus, cùm nulla habeant. Tertium de accidentibus Vniuerſalibus, ea enim vt accidentia ſubiecto inſunt, & vt vniuerſalia de inferioribus prædicantur. Quartum de ſubſtantiis particularibus, eæ enim neque ſubiecto inſunt, cùm ſint ſubſtantiæ, neque dicuntur de inferioribus, cùm ſint particulares.

Ex quo patet prædictam diuiſionem eò tendere, vt detur generalis diuiſio entis in ſubſtantiam, & accidens; in vniuerſale, & particulare, idque per proprias horum quatuor membrorum deſcriptiones. Inter quæ illa connexio obſeruanda eſt, vt ſubſtantia non poſſit connecti cum accidente, neque vniuerſale cum particulari; poſſit tamen ſubſtantia, itemque accidens coniungi cum vniuerſali, & particulari

Obſeruandum 2. id quod eſt eſſe in ſubiecto, quod proprium eſt accidentis, his

verbis ab Arist. explicari, *In subiecto esse dicto, quod cùm in aliquo non quasi pars sit, non potest esse sine eo in quo est.* Circa quæ verba occurrit difficultas, tum quia forma substantialis corporea est in materia, non tanquam pars, nec extra illam naturaliter existere potest: tum quia res materialis est in loco, & in tempore, non tanquam pars, nec ab eis separari potest. Vnde videtur colligi descriptionem prædictam non solum accidentibus, sed & aliis competere.

Verùm hæc facilè soluuntur, nam in primis, quando dicimus accidens esse in subiecto, non vt partem, sensus non est tantùm, accidens non esse partem subiecti in quo recipitur, sed etiam non esse partem alicuius tertij, quod ex ipso & subiecto coalescat: at quamuis forma substantialis materialis non sit pars materiæ, est tamen pars essentialis compositi, quod ex ipsa & materia constituitur.

De imò accidens est in alio tanquam in subiecto inhæsionis, res verò corporeæ non sunt in loco, aut tempore tanquam in subiecto inhæsionis, sed tanquam in mensura externa. Vnde accidens vt sic, non potest naturaliter existere sine subiecto singulari cui inhæret, at corpus potest modo in hoc loco, modo in alio existere, & sub variis temporibus conseruari.

ARTICVLVS II.

Duas regulas Ante-prædicamentales continens.

DVas etiam tradit Regulas Ariſtoteles cap. 3. quarum prima ad rectam lineam prædicamentalem ſpectans, eſt. *Cùm alterum alteri attribuitur tanquam ſubiecto, quidquid dicitur de attributo, dicitur & de ſubiecto*; vt homo cuidam homini attribuitur, & animal homini, ergo & alicui homini animal attribuitur, nam quidam homo eſt homo, & animal. Quæ verba ita communiter intelliguntur vt ſenſus ſit, quando aliquid eſſentialiter tanquam genus, aut ſpecies prædicatur de ſuo inferiori, tunc quidquid eſſentialiter conuenit prædicato, conuenire etiam ſubiecto illius. Vnde quia ſubſtantia tanquam genus, eſſentialiter prædicatur de corpore, corpus de viuente, viuens de animali, animal de homine, & homo tanquam ſpecies de Petro, hinc fit vt animal, viuens, corpus, & ſubſtantia de Petro eſſentialiter prædicentur.

Vbi nota ex hac Regula intelligi poſſe ſub quo genere prædicamentali res quælibet conſtitui debeat, vt ſi ſcire velis in qua Categoria ponatur Petrus, inquirere debes quid de Petro prædicetur primum eſſentialiter tanquam ſpecies, ac rurſus quid illius prædicato eſſentialiter competat, ſicque tandem aſcendendo deprehendes illum in prædicamento ſubſtantiæ collocandum eſſe; cùm eſſentialiter ſit homo, & homo eſſentialiter ani-

mal, & animal eſſentialiter viuens, & viuens eſſentialiter corpus, & corpus eſſentialiter ſubſtantia.

Secunda Regula, ſpectans ad ordinationem lineæ indirectæ, ſeu collateralis prædicamentorum duas partes complectitur, quarũ prior hæc eſt; *Heterogeneorum, ſeu diuerſorum generum, quorum alterum ſub altero non collocatur, diuerſæ ſpecie ſunt etiam differentiæ, vt animalis, & ſcientiæ.* Animalis enim differentiæ ſunt terreſtre & bipes, & volucre, & aquatile; quarum nulla eſt differentia ſcientiæ, non enim ſcientia à ſcientia differt eò quòd bipes ſit.

Senſus eſt, eorum generum quæ ſunt prorſus diuerſa, ſeu quæ in diuerſis Categoriis conſtituuntur, differentias eſſe diuerſas. Hoc patet exemplo animalis, & ſcientiæ quæ ſunt genera planè diuerſa, cùm animal ſit in Categoria ſubſtantiæ, & ſcientia in Categoria qualitatis. Eorum enim differentiæ non modo conſtitutiuæ, de quibus dubitari non poteſt, cùm per ſe notum ſit aliud eſſe quod conſtituit animal, aliud quod conſtituit ſcientiam, ſed etiam diuiſiuæ, omnino ſunt diuerſæ, & eſſentialiter inter ſe diſtinguuntur: ſiquidem animal diuiditur per rationale, & irrationale, ſcientia verò per has aliaſve animalis differentias diuidi non poteſt, ſed per ſpeculatiuam & practicam, &c.

Suppoſita autem hac doctrina, quæ vulgò vt vera ab omnibus recipitur, fieri non poteſt vt in duabus lineis collateralibus diuerſorum prædicamentorum, occurrant differentiæ inter ſe eſſentialiter conſentientes. Quare differentia corporeum, quæ conſtituit corpus in prædicamento ſubſtantiæ, non niſi voce conſentit cum differentia corporeum, qua conſti-

tnitur corpus in prædicamento quantitatis. Et rationale quod conuenit homini, essentialiter differt à rationali quod de scientia dicitur.

Posterior pars eiusdem secundæ Regulæ hæc est, *Subalternorum autem generum, seu quorum vnum sub altero ponitur, vt brutum sub animali, & animal sub viuente, nihil prohibet easdem differentias esse:* nam superiora inferioribus generibus attribuuntur, quare quotcunque attributi differentiæ sunt, totidem etiam subiecti erunt. Verum vt clarius intelligatur, quomodo hæc pars Regulæ locum habeat non modo in differentiis constitutiuis, sed etiam in diuisiuis,

Obseruandum 1. omnes differentias quæ constituunt genus superius, constituere etiam inferius, quomodo esse corporeum & animatum, quæ sunt differentiæ viuentis constitutiuæ, constituunt animal, cui tamen additur sensibile, tanquam differentia propria. Et ratio quam assignat Aristoteles ea est, quia hæ differentiæ dicuntur essentialiter de generibus superioribus, quod autem dicitur essentialiter de superioribus, dicitur eodem modo de inferioribus, iuxta primam regulam ante explicatam.

Obseruandum 2. vnam ex differentiis oppositis quæ diuidunt genus superius, constituere inferius; quomodo cum viuens diuidatur per sensibile & insensibile, animal per sensibile constituitur.

Obseruandum 3. genus superius & inferius iisdem interdum differentiis diuidi, quomodo animal diuiditur per carniuorum, herbiuorum, & seminiuorum; auisque similiter quæ est genus sub animali positum, diuiditur in carniuoram, herbiuoram, & seminiuoram.

Obseruandum 4. non tamen esse necesse vt genus superius & inferius per easdem differentias semper diuidantur. Nam viuens diuiditur in sensibile & insensibile, qua ratione animal quod sub viuente continetur, diuidi nequit, vt perspicuum est; cùm omne animal necessario sit sensibile.

ARTICVLVS III.

Qua ratione series prædicamentalis constituenda sit.

PRæmoneo, vndecunque nomen Categoriæ deductum sit, de quo non satis conuenit inter autores, illud communiter à Philosophis Græcis, vt & nomen prædicamenti à Latinis vsurpari, pro serie & coordinatione prædicatorum essentialium, à supremo genere vsque ad indiuidua, qua ratione describi solet, *Alicuius generis summi realis, & eorum quæ sub ipso sunt naturalis quædam dispositio.* Vbi non dicitur dispositio naturalis, quòd à parte rei existat coordinatio illa generum, specierum, & indiuiduorum, sed quia fit ab intellectu cum fundamento in re: quatenus consentaneum est naturis rerum, vt à conceptibus Vniuersalioribus & simplicioribus ad minus vniuersales, magisque compositos descendamus. Iam verò quæritur quâ ratione series illa, seu coordinatio prædicamentalis constituenda sit.


RESPONDEO, & Dico 1. *In prædicamento constituendas esse duas lineas, vnam rectam, & aliam indirectam seu lateralem.* In

quarum prima ponuntur indiuidua, species infimæ, & genera omnia intermedia vsque ad summum, v. c. in prædicamento substantiæ Petrus & Paulus, homo, animal, viuens, corpus, & substantia, hocque à nonnullis vocatur profunditas prædicamenti. In secunda vero linea, seu in lateribus lineæ rectæ ponuntur differentiæ tam diuidentes, quàm constituentes ea quæ in recta linea ponuntur. Et sic à lateribus substantiæ ponuntur corporea & incorporea, quæ sunt differentiæ illius diuisiuæ. A lateribus corporis quòd constituitur per priorem ex illis differentiis, ponuntur animatum & inanimatum; A lateribus viuentis constituti per animatum, ponuntur sensitiuum, & non sensitiuum: A lateribus animalis constituti per sensitiuum, ponitur rationale quo constituitur homo, & irrationale quo constituitur brutum.

Dico 2. *Rectam lineam prædicamentalem duobus modis posse construi, nempe per ascensum, & per descensum.* Vt per ascensum rectè constituatur, sic procedendum est. Cùm vides Petrum & Paulum non differre inter se essentialiter, sed tantùm penes differentias indiuiduales, ab iis abstrahis rationem communem hominis, quâ species infima constituitur. Et similiter videndo plures equos quoad essentiam similes, abstrahis ab illis communem rationem equi; tum verò comparando hominem cum equo, aduertis eos conuenire in eo quòd sentiant, sicque ab iis abstrahis rationem illam communem sensibilis, facisque genus animalis vniuocè prædicabile de homine, & de equo. Deinde comparando animal cum planta,

cognoſcis vtrumque viuere, adeoque conſtituis genus viuentis ſupra animal. Rurſus aduertens lapides, aliaque corpora inanimata id habere commune cum viuentibus, quod ſint corpora, ab ijs abſtrahis rationem corporis, & ita corpus conſtituis genus ſupra viuens. Ac tandem videns corpora in eo conuenire cum ſpiritibus, quod ſint ſubſtantiæ, hinc ſupra corpus conſtituis ſubſtantiam, tanquam genus ſummum in quo ſiſtendum eſt, ſaltem iuxta communiorem ſententiam quæ ait, ens non eſſe genus vniuocum reſpectu ſubſtantiæ, & accidentis.

In deſcenſu verò contraria via procedendum eſt, vt à ſupremo genere peruenias ad Petrum & Paulum. Nam in primis cùm ſubſtantia diuidatur in corpoream, & ſpiritualem, dimiſſa ſpirituali ſumis corpoream, quæ corpus vocari ſolet. Deinde quia corpus aliud eſt viuens, aliud non viuens, relicto non viuente, aſſumis viuens. Prætereà quia viuentium alia ſenſibilia ſunt, alia minimè, relictis inſenſibilibus, aſſumis ſenſibilia. Rurſus quia ſenſibile ſeu animal diuiditur in rationale, & irrationale, miſſo irrationali, aſſumis rationale quod eſt homo, ſub quo tanquam ſub ſpecie infima, Petrum, & Paulum collocas, vt patet ex hoc paradigmate.


Arbor Porphiry
substantia
Corporea
Incorporea
Corpus
Animatum
Inanimatum
Vivens
Sensitivum
Insensitivum
Animal
Rationale
Irrationale
Homo
Petrus Paulus

Quo loco aduerte 1. quod ſicut à Petro & Paulo, ita & ab indiuiduis aliarum ſpecierum ſubſtantialium lineæ rectæ ad ſubſtantiam duci poſſunt, idque totidem quot ſunt eiuſmodi indiuidua; cum eo tamen diſcrimine, vt quò aliquod indiuiduum plures gradus entis participat, eò plura genera & ſpecies in linea ab illo ad ſupremum genus tendente conſtituantur, adeoque eò longior ſit linea. Vnde à Bucephalo ad ſubſtantiam longior eſt linea, quàm à Petro ad illam, eò quod inter Bucephalum & animal mediat genus bruti, quod in varias ſpecies diuidi debet, vt ſub equina Bucephalus reperiatur; cùm tamen inter Petrum & animal nullum mediet genus, ſed ſola ſpecies humana, ſub qua Petrus immediatè collocatur. Contra verò linea à Michaële tendens ad ſubſtantiam, breuior eſt quàm linea à Petro ad ſubſtantiam ducta. Quia Michaël eſt ſub ſpecie Archangeli, Archangelus ſub genere ſpiritus, & ſpiritus ſub genere ſubſtantiæ, cùm hæc immediatè diuidatur in ſpiritualem, & corpoream.

Aduerte 2. non ſolùm in prædicamento ſubſtantiæ, de quo prædicta exempla procedunt, ſed etiam in alijs reperiri lineas ex prædicatis ſuperioribus, & inferioribus conſtitutas. Exempli cauſa, quantitas ex communi ſententia, vel eſt continua, vel diſcreta; continua vel eſt permanens, vel ſucceſſiua; permanens vel eſt linea, vel ſuperficies, vel corpus, & linea hæc, vel illa &c. Qualitas eſt vel habitus, vel vis naturalis &c. habitus eſt vel acquiſitus, vel infuſus; acquiſitus vel eſt moralis, vel intellectualis; moralis aut eſt virtus, aut vitium; virtus aut temperantia,

aut fortitudo, &c temperantia hæc, vel illa. Idem in alijs prædicamentis obseruari potest; verùm quia in categoria substantiæ res est facilior & certior, illius tantùm paradigma placuit hoc loco, iuxta morem consuetum, proponere.

ARTICVLVS IV.

De numero, & distinctione Prædicamentorum.

DVbitatur 1. quotnam sint prædicamenta. Respondeo ex communi sententia decem assignari, totidem enim assignantur ab Arist. lib. Categoriarum cap. 4. his verbis. *Eorum quæ sine complexione dicuntur, vnumquodque aut substantiam significat, aut quantum, aut quale, aut ad aliquid, aut vbi, aut quando, aut situm esse, aut habere, aut agere, aut pati:* Quorum omnium subijcit exempla dicens, *Est autem substantia velut homo, equus; quantum, vt quod est duorum, aut trium cubitorum; quale vt album, grammaticum; ad aliquid, vt duplum, dimidium, majus; vbi, vt in foro, in liceo; quando, vt heri, superiori anno; situm esse, vt iacet, sedet; habere, vt calceatum esse, armatum esse: facere, vt secare, vrere: pati, vt secari, vri.*

Variis autem modis numerus ille prædicamentalis colligi solet, sed alijs prætermissis duos tantùm, qui commodiores videntur, hic apponemus. Prior ita procedit. Numerus prædicamentorum sumi debet ex modis essendi in prima substantia, & prædicandi de illa, quidquid autem est in prima substantia, v. c. in Socrate, vel prædicatur de illa essen-

tialiter, vel accidentaliter, si essentialiter constituit prædicamentum substantiæ, si accidentaliter vel inhæret ipsi substantiæ, vel est omnino extra illam, vel partim est in illa, partim extra illam. Si inhæret, vel est relatiuum, vel absolutum; si relatiuum constituit prædicamentum relationis, si absolutum, vel conuenit ratione materiæ, & est quantitas, hæc enim non reperitur nisi in rebus materialibus, quò fit vt Angeli quantitatis sint expertes, quia materia carent; vel ratione formæ, & est qualitas, hæc enim puris formis inest, vt patet in Angelis qui varijs habitibus scientiarum, & virtutum præditi sunt. Si non inhæret substantiæ, sed est omnino extra illam, vel est illius mensura, vel non; si non est mensura substantiæ; sed illi circumjacet, est prædicamentum habere, vt esse vestitum, calceatum, &c. Si est mensura, vel est mensura quantitatis subiecti, & sic constituit vbi, vel est mensura corporis secundum ordinem partium, & est situs; vel mensura durationis rei, & est quando. Si autem partim est in subiecto, partim extra illud, vel est in eo secundum principium, vel secundum finem; si secundum principium, est actio, hæc enim procedit ab agente; si secundum finem est passio, quia hæc in subiecto recipitur, vt patet in calefactione, quæ vt actio ab igne procedit, vt passio in ligno calefacto recipitur.

Posterior modus breuiùs & faciliùs rem sic conficit. Tot sunt Categoriæ quot modi essendi, at hi sunt decem: nam quidquid est in Petro, vel illum substantialiter constituit, vel tantùm accidentaliter perficit; si substantialiter constituit, est substantia; si tan-

tùm accidentaliter perficit, vel id facit illius substantiam extendendo, & est quantitas; vel illam qualificando & determinando; & est qualitas; vel illam aliò referendo, & est relatio; vel illam agentem constituendo, & est actio; vel patientem, & est passio; vel illam ponendo in tempore, & est quando; vel in loco, & est vbi; vel disponendo certo modo illius partes in ordine ad locum, & est situs; vel illam circumuestiendo, & est habere. Atque hic modus non valdè distat ab eo qui numerum prædicamentorum colligit ex varijs quæstionibus quæ de Petro fieri possunt, nam quæri potest quid sit, quantus, qualis, quo referatur, quid agat, quid patiatur, vbi sit, quomodo ad locum se habeat, quo existat tempore, qua veste indutus sit.

Nota 1. nonnulla posse obijci contra numerum assignatum Categoriarum, itemque contra modos eum colligendi iam traditos. Verùm in ijs obiectionibus soluendis immorandum non est, quia libenter fatemur numerum denarium prædicamentorum esse arbitrarium, adeoque plura, aut pauciora quàm decem prædicamenta constitui posse. Maximè cum nonnulla ex assignatis non dicant nisi denominationem extrinsecam, vt ex singulorum tractatione constabit.

Nota 2. vulgarem tamen prædicamentorum numerum retinendum esse, tum quia ab Arist. constitutus est, & ab illius Interpretibus magno consensu admissus; tum quia satis commodus est ad dirigendum intellectum nostrum in prima rerum omnium apprehensione, ad quem maximè finem Categoriæ institutæ sunt.

Nota 3. vt prædictus numerus memoriæ me-

liis insigatur, hos duos versus in gratiam tyronum fuisse excogitatos

Arbor, sex, seruos, ardore, refrigerat, vstos,
Ruri, cras, stabo nec tunicatus ero.

Vbi *arbor* significat substantiam, *sex* quantitatem, *seruos* relationem, *ardore* qualitatem, *refrigerat* actionem, *vstos* passionem, *ruri* vbi, *cras* quando, *stabo* situm esse, *tunicatus* habere.

Dubitatur 2. quodnam discrimen inter prædicamenta constituendum sit. Respondeo 1. nonnulla prædicamenta de facto ab aliis distingui realiter. Probatur, quia ex communi sententia substantia realiter distinguitur à quantitate, & à qualitate, & hæc duo accidentia inter se.

RESPONDEO 2. non tamen esse absolutè necessariam realem distinctionem inter prædicamenta, sed formalem seu rationis ratiocinatæ ad id sufficere. Probatur, tum quia multa sunt prædicamenta quæ non habent inter se distinctionem realem, vt actio & passio, relatio, & fundamentum, &c. tum quia Categoriæ præsertim institutæ sunt ad distinguendas varias formalitates, quæ in eadem re confusè reperiuntur, ad quod distinctio formalis sufficit.

RESPONDEO 3. distinctionem formalem ad diuersorum prædicamentorum constitutionem omnino esse necessariam. Ratio est, quia in diuersis prædicamentis constitui non debent nisi quæ habent diuersum genus, & diuersam differentiam, adeoque diuersam definitionem essentialem, quod sine distinctione formali constare non potest.

ARTICVLVS V.

De conditionibus requisitis vt aliquid ponatur in prædicamento.

DVbitatur 1. an quod ponitur directè, & per se in prædicamento, debeat esse ens per se, seu vnius naturæ. Responsio communis est affirmatiua, quia cùm prædicamenta sint instituta ad res omnes in varias classes distinguendas, vt faciliùs & certiùs apprehendi possint; in eorum ordinatione id obseruari debet, vt non nisi entia per se & vnius essentiæ in illis constituantur. Quia si entia per accidens, quæ ex varijs essentijs constituta sunt, in ijs ponerentur, hinc non exigua rerum perturbatio, & intellectus confusio nasceretur: Siquidem substantia misceretur cum accidentibus, & accidentia inter se confunderentur, sicque intellectus vnum ens pro alio omnino diuersæ naturæ conciperet.

Verùm etsi hæc responsio ostendat, quid iure fieri debuerit in prædicamentorum ordinatione, dubitari tamen potest an quod ea præscribitur, in constitutione omnium Categoriarum religiosè hactenus fuerit obseruatum, cùm multi inter species quantitatis reponant numerum, & orationem, quæ sunt entia per accidens; sit etiam probabilius relationem nihil reale dicere præter entitates extremorum, vt suo loco ostendetur; & pleraque ex vltimis prædicamentis inter entia per se vix constitui possint. Imò & ipse Aristoteles concreta accidentium vt quantum, quale, & similia in prædicamento reponat.

Dubitatur 2. an quod ponitur in prædicamento debeat esse ens completum. Responsio communis est etiam affirmatiua, quâ statuitur entia incompleta & partialia cuiusmodi sunt materia, & forma; itemque partes integrantes, vt caput, manus, à directa seriè prædicamentali excludi. Quod autem congruum sit ita fieri, ea ratione à nonnullis probatur, quia cùm entia totalia & completa sint per se & directè in prædicamentó, & consequenter partes in eo sint ratione totius quod constituunt, frustrà illæ iterum per se & separatim in eadem serie collocarentur, vt corpus humanum & anima rationalis in recta linea substantiæ in qua est homo.

Verùm ista non carent difficultate, cùm constet ex vna parte animal supra hominem in recta linea substantiæ constitui, & aliunde manifestum sit animal esse partem hominis essentialem, quæ cum rationali illum intrinsecè constituit. Hinc enim euidenter sequitur non esse verum generatim, quod omnia entia incompleta excludantur à recta linea Categoriæ: & rationem congruentiæ qua probatur excludenda esse vulgò à Philosophis, paruipendi, cùm nullus sit qui animas in recta linea substantiæ, supra hominem non constituat.

Dici tamen potest ab, illa regula generali excipiendum esse genus, quia præter quam quod est pars speciei, qua ratione non ponitur per se in prædicamento; omnes fatentur illud se habere tanquam totum potentiale, quod prædicatur de multis speciebus in quid, sicque per se locum habere in prædicamento. Eò vel maximè quia ita prædicatur de specie, vt ab illo directè ascendi possit ad summum

genus per prædicationes formales; homo enim est formaliter animal, animal formaliter viuens, viuens formaliter corpus; & corpus formaliter substantia

Atque hinc refellitur quod obijciunt aliqui; si genus ponitur in recta linea Categoriæ, in ea etiam differentiam esse collocandam. Non enim est par ratio, quia recta linea Categoriæ, non constituitur nisi ex gradibus superioribus, & inferioribus, quorum illi de istis formaliter prædicantur; at quamuis rationale v. c. prædicetur formaliter de homine, gradus tamen superiores non prædicantur formaliter de rationali, sed tantùm identicè, adeoque non potest ab homine duci linea recta ad substantiam per rationale, sicut ducitur per animal.

Dubitatur 3. an quod directè ponitur in prædicamento, debeat esse vniuersale. Respondeo cum distinctione, nam si quæratur quidnam ponatur in serie prædicamentali tanquam attributum, seu prædicatum essentiale, dicendum est, quidquid eo titulo ponitur in prædicamento, debere esse vniuersale; Si verò quæratur quidnam possit constitui in prædicamento tanquam fundamentum, aut subiectum prædicatorum essentialium, dubitari nequit quin eo modo indiuidua in recta serie prædicamentali constitui possint. Quod intellige non modo de indiuiduis substantialibus, sed etiam de accidentalibus proportione seruata; quia hæc se habent ad suas species, & genera, sicut illa ad sua.

Obijcies, non ponuntur in prædicamento nisi vniuoca, at indiuidua non sunt vniuoca, cùm non dicantur eadem ratione de pluribus: ergo indiuidua non debent poni in præ-

dicamento. Respondeo hinc tantùm colligi indiuidua non poni in prædicamento vt prædicabilia, id tamen non impedire quin debeant in eo constitui vt subiecta, de quibus omnia prædicata superiora enunciantur. Vnde hoc discrimen aduerte inter illa quæ in prædicamento collocantur, nam summa genera vniuocè participantur à pluribus, sed non participant; indiuidua è contra vniuocè participant, & non participantur: at genera intermedia vniuocè participant, & participantur.

CAPVT V.

DE PRÆDICAMENTO Substantiæ,

ARTICVLVS PRIMVS.

De diuisione Substantiæ in primam, & secundam.

CElebris est diuisio substantiæ in primam & secundam, de qua agit Aristot. lib. Categoriar. c.5. Et quidem de prima hæc habet. *Substantia autem quæ propriè & primùm & maximè dicitur, ea est quæ neque de subiecto dicitur, neque in subiecto aliquo est, vt quidam homo, & quidam equus.* Quorum verborum sensus est, primam substantiam, quæ comparata cum secunda, propriè & principaliter, & maximè est substantia, vt posteà explicabitur, eam esse quæ nec de inferioribus prædicatur, nec est in

ſubiecto inhæſionis; id eſt, quæ neque eſt ſubſtantia vniuerſalis, neque accidens.

De ſecundis verò ſubſtantiis ita ſcribit: *Secundę autem ſubſtantia dicuntur ſpecies, in quibus inſunt quę primùm ſubſtantiæ dicuntur, & harum ſpecierum genera, vt quidam homo eſt tanquam in ſpecie in homine, genus verò ſpeciei eſt animal: hę igitur ſecundę ſubſtantię dicuntur vt homo, & animal.* Quibus verbis duo tradit, primò ſecundas ſubſtantias eſſe ſubſtantiàs vniuerſales, nempè genera & ſpecies; Secundò primas ſubſtàntias ſeu indiuidua ineſſe in ſecundis, quod ita intellige vt ſint in illis, non vt in ſubiecto inhæſionis, cùm ita ineſſe ſit proprium accidentium, ſed vt partes ſubjectiuæ ſunt in toto potentiali, ſeu attributiuo, quod ſcilicet eas aliquo modo continet, & de ijs prædicatur, vt homo, & animal de Socrate.

Vt autem tam iſta, quàm quæ de varijs collationibus harum ſubſtantiarum ſequuntur in textu, clariùs percipias, aduerte 1. primam ſubſtantiam dici maximè & principaliter ſubſtantiam, quæ maximè & principaliter ſubijcitur. Maximè quidem, cætera enim omnia vel de primis ſubſtantijs, tanquam de ſubiectis, ſeu de inferioribus dicuntur, puta ſubſtantiæ ſecundæ; vel ijs tanquam ſubiectis inhærent, nempè accidentia. Principaliter verò, quia ſi ſubſtantiæ ſecundæ ſuſtentant accidentia, hoc habent virtute primarum; at primæ propria virtute, & per ſeipſas illa ſuſtentant. Quòd ſi ſubſtantia propriè ſumatur pro eo quod per ſe exiſtit, ſic etiam prima ſubſtantia eſt principaliter ſubſtantia, cùm per illam omnia reliqua exiſtant.

Aduerte 2. Illud eſſe diſcrimen inter ea quæ dicun-

dicuntur de primis ſubſtantijs, & ea quæ illis inſunt, quod quæ dicuntur de primis ſubſtantijs, & nomen & definitionem ijs tribuunt, vt homo ſecundum nomen, & definitionem dicitur de Petro, & Paulo. Eorum verò quæ inſunt primis ſubſtantiis, alia nomen illis tribuunt, ſed non definitionem, vt albedo quæ Petrum denominat album, ſed eum eſſentialiter album non conſtituit; alia neque nomen, neque definitionem, vt virtus quæ ineſt Petro, nec tamen apud Latinos eum denominat virtuoſum.

Hinc autem colligit Ariſtoteles nullam rem aliam poſſe exiſtere ſine primis ſubſtantiis, quia quod eſt aliarum omnium rerum ſubiectum, ſine eo res aliæ exiſtere non poſſunt; atqui primæ ſubſtantiæ ſunt aliarum omnium rerum ſubiectum, cùm alia quæcunque vel dicantur de primis ſubſtantijs tanquam de ſubiectis, vt animal & homo de particularibus hominibus, vel ſunt in illis tanquam in ſubiectis, vt colores in corporibus particularibus.

Aduerte 3. primas ſubſtantias eſſe perfectione, & tempore priores ſecundis; perfectione quidem, quia non modo ſecundæ habent à primis quòd ſubſtent accidentibus, ſed etiam primæ ipſis ſecundis ſubſtant: tempore verò, quia primæ exiſtunt in rerum natura independenter ab intellectu, ſecundæ autem non niſi per operationem mentis. Secundæ tamen ſubſtantiæ dicuntur priores naturâ primis, inquantum ab ijs ad primas non valet ſubſiſtendi conſequentia; non enim valet, eſt homo, ergo eſt Petrus; licet valeat vice verſa, eſt Petrus, ergo eſt homo.

Aduerte 4. ſpeciem eſſe magis ſubſtantiam

quàm genus, tum quia magis accedit ad primam ſubſtantiam, eiuſque naturam diſtinctiùs explicat. Si enim quæratur quid ſit Petrus, meliùs naturam illius explicabis reſpondendo eſſe hominem; quàm ſi dicas eſſe animal; quia quò prædicatum eſt communius, eò magis confuſè per ſe loquendo naturam rei explicat. Tum quia ſpecies plura ſupra ſe habet quàm genus, quibus ſubijciatur; ſpecies enim ſubijcitur ipſi generi, at genus è contra non ſubijcitur ſpeciei.

Aduerte 5. omnes ſpecies infimas inter ſe collatas, eſſe æquè ſubſtantias, quia æquè attribuuntur primæ ſubſtantiæ, v.c. homo Socrati, & equus Bucephalo. Et ſimiliter indiuidua dicuntur eſſe æquè ſubſtantiæ; nam aliquis homo non eſt magis ſubſtantia, quàm aliquis bos.

Aduerte 6. nomen ſubſtantiæ non extendi ad accidentia, ſed tantùm ad genera & ſpecies, tum quia hæc ſola declarant naturam primæ ſubſtantiæ, tum quia ſubſtantia dicitur à ſubſtando, quo fit vt indiuidua ſint maximè ſubſtantiæ, quia alijs omnibus ſubſtant: cùm ergo genera & ſpecies ſubſtent accidentibus, accidentia verò non ſubſtent, ſed ſubſtantijs inhæreant, hinc fit illa dici ſubſtantias, non hæc.

Aduerte 7. quod iam diximus, accidentia non ſubſtare, intelligendum eſſe de ſubiecto ſubſtante vt quod; nam quòd accidens aliquod ſubſtet vt quo, perſpicuum eſt in ſententia communi quæ docet, qualitates immediatè inhærere quantitati, hancque à materia realiter diſtingui, vt ex conuerſione, quæ fit in Euchariſtia, ſufficienter colligi videtur.

ARTICVLVS II.

Quid ſentiendum ſit de diuiſione allatæ ſubſtantiæ in primam, & ſecundam.

NOn immeritò ſanè exiſtimabit aliquis, Ariſtotelem loco citato non diuidere aliquam ſubſtantiam in primam & ſecundam, cùm ſtatim ordiatur à prima, tum verò ad ſecundam procedat quam ait complecti ſpecies & genera. Vnde hæc videtur mera enumeratio ſubſtantiarum quæ in recta ſerie Categoriæ reponuntur, nempè generum, ſpecierum, & indiuiduorum, non autem diuiſio propriè dicta, cùm hæc aliquod diuiſum neceſſariò ſupponat. Quòd ſi, cùm communi ſententia, contendas ibi veram eſſe diuiſionem alicuius ſubſtantiæ,

RESPONDEO, & dico 1. *diuiſum huius diuiſionis non eſſe genus generaliſſimum ſubſtantiæ, nec ſubſtantiam vniuerſalem, nec particularem.* Non primum, quia cum genus generaliſſimum ſubſtantiæ ſit ſubſtantia ſecunda ſeu vniuerſalis, totum diuiſum coïncideret cum altero ex membris diuidentibus, quod repugnat legibus rectæ diuiſionis.

Non etiam ſecundum, aut tertium propter eandem rationem. Cùm enim ſubſtantia diuidatur in primam & ſecundam, ſeu in vniuerſalem & particularem, ſi diuiſum eſſet ſubſtantia vniuerſalis, aut particularis, illud coïncideret cum altero membro diuidente. Sequeretur etiam eandem ſubſtantiam eſſe ſimul vniuerſalem, & particularem, quod repugnat

diuiſioni eorum quæ ſunt, traditæ cap. præcedenti.

Dico 2. diuiſum in ea diuiſione poſſe dici ſubſtantiam prædicamentalem. Cùm enim hoc loco agatur de coordinatione prædicamenti ſubſtantiæ, nullum congruentius aſſignari poteſt diuiſum, quàm ſubſtantia prædicamentalis, ſeu quæ directè in hac Categoria conſtitui poteſt. Eò vel maximè, quia membra diuidentia cum illo diuiſo optimè conſentiunt; ſiquidem nihil ponitur in recta linea ſubſtantiæ præter ſubſtantias primas & ſecundas, id eſt particulares & vniuerſales. Eſt autem non leuis difficultas, ſub qua ratione ſubſtantia prædicamentalis diuidatur in primam & ſecundam, an ſecundum rationem realem, ſeu primò intentionaliter, an ſecundum rationem rationis, ſeu ſecundò intentionaliter.

Dico 3. *Subſtantiam prædicamentalem hic diuidi ſecundum ſuam rationem realem & eſſentialem, non autem ſecundum aliquam proprietatem, vel ſecundum rationem intentionalem.* Ratio eſt, quia ſubſtantia debet diuidi prout conſtituitur in prædicamento, at conſtituitur in prædicamento ſecundum ſuam rationem realem, & eſſentialem, non autem ſecundum aliquam proprietatem, vel rationem intentionalem; cum prædicamenta ſint claſſes quædam inſtitutæ ad ordinandas, & cognoſcendas rerum omnium naturas, & quidditates; ergo debet diuidi ſecundum rationem realem & eſſentialem, nimirum quatenus eſt ens per ſe exiſtens, vt probabitur in Metaphyſica, non autem ſecundum alias rationes minimè eſſentiales, ſiue ſint reales, vt eſt ratio ſubſtandi accidentibus, ſiue rationis, vt eſſe prædicatum, & ſubiectum.

Neque dicas 1. Aristotelem toto cap. 5. libri Categor. agere tantùm de substantia, vt substat accidentibus, hoc enim falsum est; nam etsi expressiùs agat de substantia eo modo, quia ratio substandi est clarior quàm ratio per se existendi, tamen inter proprietates quas substantiæ assignat, primam numerat non esse in subiecto; & suprà in diuisione eorum quæ sunt, docet esse commune substantijs tam particularibus, quàm vniuersalibus non esse in subiecto, quæ negatio supponit modum realem & positiuum existendi per se, in quo fundetur.

Neque dicas 2. in prædicamento substantiæ poni species & genera quæ sunt substantiæ vniuersales, & indiuidua quæ sunt substantiæ particulares, quod autem substantia aliqua sit vniuersalis, aut particularis id esse opus rationis nostræ, adeóque substantiam non diuidi per rationem suam essentialem, sed per rationem intentionalem. Respondeo enim id non sequi, nam quamuis substantia vt est totum diuisum, consideretur secundum suam essentiam, nihil impedit quin diuidatur in substantiam particularem, & vniuersalem, hoc modo; *substantia vt est ens per se existens, alia est particularis, alia vniuersalis.* Siquidem per se existere vtrique substantiæ competit, quamuis non planè eodem modo, vt patet ex dictis.

Dico 4. *Diuisionem illam substantiæ in primam & secundam, seu in particularem & vniuersalem, posse dici diuisionem subiecti in accidentia.* Siquidem substantia secundum rationem essentialem considerata, est subiectum cui singularitas & vniuersalitas adueniunt: quare sicut cum diuido parietem in album, & nigrum, ea

est diuisio subiecti in accidentia; ita & cùm diuido substantiam in particularem, & vniuersalem; quia singularitas & vniuersalitas se habent vt rationes accidentales, aduenientes substantiæ per se spectatæ; sicut albedo., & nigredo sunt formæ accidentales quæ inhærent parieti secundum se sumpto.

ARTICVLVS III.

De proprietatibus substantiæ ab Aristotele allatis.

ARistoteles cap. citato proponit sex proprietates substantiæ, quarum prima est non esse in subiecto. Et hæc conuenit omni substantiæ; primæ quidem, quia nec in subjecto est, nec de subiecto aliquo dicitur; secundæ etiam, quia etsi de quodam subiecto dicatur, vt homo de quodam homine, non tamen est in subiecto; homo namque non est in quodam homine, eo scilicet modo quo accidentia sunt in subiecto, ei inhærendo. Confirmatur, quia si secunda substantia esset in subiecto, ea nomen suum & propriam definitionem ei non attribueret, quod repugnat ante dictis.

Verùm Aristoteles notat hanc proprietatem conuenire non modo substantiæ, sed etiam differentiæ; nam terrestre & bipes de subiecto quidem dicitur, nempè de homine, non tamen est in subjecto; non enim in homine est bipes, aut terrestre, more scilicet accidentium. Hocque confirmat, quia definitio differentiæ competit ei de quo differentia prædicatur, vt definitio terrestris homini,

quod autem est in aliquo vt in subiecto, ei definitionem suam seu rationem essentialem non communicat, vt suprà diximus. Cæterùm ideo Aristoteles separat differentiam à substantia, quia etsi in re sit substantia, habet tamen modum qualitatis.

Secunda proprietas est, dici Synonymè de suis inferioribus, id est secundum nomen, & definitionem. Verùm hæc proprietas non competit primis substantijs, cum ea nullum habeant inferius de quo dicantur; sed secundis quæ & nomine, & definitione de primis enuntiantur.

Vbi nota non competere solis substantijs secundis dici vniuocè de inferioribus, siquidem etiam accidentia de suis inferioribus vniuocè dicuntur, v. c. qualitas de colore, & color de albedine. Proprium ergo illarum est dici vniuocè de primis substantijs, cùm accidentia non nisi denominatiuè de illis enuntientur.

Tertia est, significare hoc aliquid, id est rem aliquam singularem, & quæ veluti digito demonstrari possit, quæ proprietas propriè conuenit primæ substantiæ, quia significat rem indiuiduam & vnam numero, non autem secundæ, quia etsi secundis substantijs tribuantur nomina quæ videntur significare hoc aliquid, ea tamen potius significant quale quid, quia significant aliquid multis commune.

Neque propterea putandum est secundas substantias ad ordinem accidentium reuocari; nam accidentia significant quale simpliciter, vt album quod solam qualitatem significat, at verò secundæ substantiæ vt homo, animal, aliquam substantiæ qualitatem, nempè communitatem illius significant.

Quo loco obſeruandum eſt, ex eo quod nomina naturarum communium videntur ſignificare hoc al quid, oriri Sophiſma illud quod vocatur figuræ dictionis, de quo infrà agetur, vt cum dico, *quod ego ſum, tu non es, ego ſum homo, ergo tu non es homo*; Ibi enim particulæ *ego*, & *tu*, ſignificant aliquid ſingulare, at vox homo ſignificat aliquid commune vtrique, etſi videatur ſignificare aliquid ſingulare, eo quod profertur in ſingulari. Quare ex eo quod tu non ſis quod ego ſum, malè colligitur te non eſſe hominem, ſed inde tantum colligi debet, te non eſſe mecum eundem hominem.

Quarta eſt, ſubſtantiæ nihil eſſe contrarium, quod tam primæ, quam ſecundæ ſubſtantiæ competit; nihil enim eſt contrarium, Petro, aut Bucephalo; nihil homini, vel equo.

Nec dicas ignem eſſe contrarium aquæ, & aquam igni, nam iſta contrarietas non eſt ratione ſubſtantiarum, ſed ratione qualitatum, vt patet ex Ariſtot. lib. 2. de ortu & interitu cap. 4. neque enim ſubſtantia ignis contrariatur ſubſtantiæ áquæ, ſed illius calor iſtius frigori aduerſatur.

Quinta eſt, non recipere magis aut minus vt homo non magis nunc homo eſt aut minus quàm fuerit antea, aut poſtea futurus ſit. Nec vnus homo eſt magis aut minus homo quàm alius. Cuius oppoſitum contingit in pleriſque accidentibus, nam poteſt aqua eſſe nunc magis, nunc minus calida, & vna aqua eſt calidior aut minus calida aliâ. Dico in pleriſque, nam non omnia accidentia ſuſcipiunt magis aut minus, vt ex tractatione ſequentium Categoriarum intelligetur.

Neque obiicias ista non cohærere cum iis quæ supra ex Arist. retulimus, scilicet primas substantias esse magis substantias quàm secundas, & inter istas, species esse magis substantias quàm genera; nam primæ ibi dicuntur magis substantiæ, quia magis substant, seu quia pluribus subiiciuntur, non autem quòd in entitate substantiæ reperiatur quædam gradûum latitudo, quæ magis participetur à prima substantia quàm à secunda, eo modo quo calor magis participatur ab vno corpore calido quàm ab alio: qua ratione hic negatur substantiæ secundæ secundum se competere magis & minus.

Sexta proprietas, eaque maximè propria substantiæ, est, quod eadem numero substantia potest sui mutatione contraria suscipere, vt idem homo potest interdum esse calidus, interdum frigidus, & improbus, ac probus. Neque hoc vlli alteri rei competit, nam non idem numero color est albus & niger, neque eadem actio est vitiosa & recta.

Quòd si obiicias eandem illam orationem Petrus sedet, Petro sedente esse veram, & stante falsam; Respondeo 1. dubium esse an hæc sit eadem oratio. 2. etsi eadem sit, eam non fieri falsam ex vera, per intrinsecam sui mutationem, sed ob solam extrinsecam mutationem obiecti falsam denominari. Ab eo enim quod res est, vel non est, oratio vera, vel falsa est, seu dicitur.

Quòd si rursus opponas, non videri verum quod ait Arist. eandem actionem non posse esse vitiosam & rectam; Respondeo, etsi hoc admittatur, quod tamen alibi expendendum erit, inde nihil colligi contra proprietatem substantiæ assignatam; quia dici poterit ean-

dem actionem voluntatis non fieri malam ex bona per intrinsecam sui mutationem, sed per mutationem externæ cogitationis: substantiam verò mutari intrinsecè, quando suscipit denominationes oppositas.

ARTICVLVS IV.

Quanam poni debeant in prædicamento substantiæ.

PRæmoneo, certum esse in prædicamento substantiæ directè constitui substantias corruptibiles, completas, vt sunt elementa, lapides, plantæ, animalia, & homines. Ista enim & similia componuntur ex materia & forma, & à fortiori ex genere & differentia, eò quòd hæc compositio multò minor est illa; quare nulla est ratio, cur sub genere substantiæ non constituantur. Dubitatur autem an idem de cœlis, de Angelis, ac de Deo ipso dici debeat.

RESPONDEO, & Dico 1. *Cælos ponendos esse in Categoria substantiæ.* Ratio est, quia cùm cœli sint corpora substantialia, composita ex materia & forma, vt ex communi sententia alibi dicetur, fatendum est nihil impedire quin in Categoria substantiæ cum aliis substantiis materialibus reponantur.

Confirmatur, quia quamuis gratis daretur cælos non componi ex materia & forma, cùm tamen sint substantiæ corporeæ completæ, in hoc vniuocè conueniunt cum substantiis corruptibilibus, & ab iis per proprias differentias distinguuntur; sicque constant ex genere sub-

ſtantiæ aliis communi, & propria differentia per quam ab aliis diſtinguuntur.

Contra hanc aſſertionem duo ſolent obiici, primò, corruptibile & incorruptibile genere differunt ex 10. Metaph. cap. vlt. atqui cæli ſunt incorruptibiles, & hæc inferiora ſunt corruptibilia, ergo genere differunt, adeoque non collocantur ſub eodem genere ſubſtantiæ. Reſpondeo priorem partem minoris propoſitionis à nonnullis negari, ſicque corruit argumentum. Verum ea admiſſa, ad maiorem dico, corruptibile & incorruptibile genere Phyſico differre, id eſt materia, ſiquidem materia cælorum ex ſententia communi, eſt alterius rationis à materia ſublunarium, non tamen differre genere Logico, ſeu Metaphyſico, cùm in ratione ſubſtantiæ corporeæ & completæ conueniant, idque ſufficere vt in eodem prædicamento conſtituantur.

Obiicitur 2. ſubſtantia prædicamentalis poteſt ſucceſſiuè ſuſcipere contraria ex dictis, at cæli non poſſunt ſuſcipere contraria, cùm ſint inalterabiles, & immutabiles, ergo non ſpectant ad prædicamentum ſubſtantiæ. Reſpondeo cælos capaces eſſe aliquorum contrariorum, cùm moueantur ab Oriente in Occidentem, & è contra ab Occidente in Orientem; cùm motum aliquem incrementi & decrementi circa lucem recipere poſſint; cùm partes alias habeant rariores, alias denſiores, ſaltem ex communiori ſententia. Quare id ſufficit vt cæli à prædicamento ſubſtantiæ non excludantur.

Confirmatur, quia cum cæli habeant quod neceſſarium videtur ad eſſentiam ſubſtantiæ prædicamentalis, vt oſtenſum fuit, ſatius eſt

negare proprietatem allatam intelligi de contrarietate strictè sumpta, quàm illius defectu cælos à Categoria excludere.

Dico 2. *etiam Angelos debere constitui in prædicamento substantiæ.* Probatur 1. quia cum ens finitum & completum diuidatur, ex communi Philosophorum consensu, in decem summa genera, necesse est vt omnis substantia finita & completa ad primum ex his generibus pertineat. Atqui Angeli sunt substantiæ finitæ & completæ: ergo sub genere substantiæ constitui debent.

Probatur 2. quia quæ constant genere & differentia, sub aliquo genere constitui debent, atqui intelligentiæ constant genere & differentia, ergo sub aliquo genere constitui debent, non sub vllo genere accidentis, ergo sub genere substantiæ. Maior probatur, quia compositio ex genere & differentia nihil est aliud quàm vnio gradus generici variis speciebus communis, cum proprio quo talis species constituitur; vt in homine compositio ex animali & rationali nihil est aliud quàm vnio gradus generici omnibus animalibus communis, cum proprio quo homo constituitur, & ab aliis animalibus distinguitur. Minor verò suadetur, nam ea dicuntur constare ex genere & differentia, quæ possunt terminare duos conceptus, alterum communem quo vniuocè cum aliis conueniant, alterum specialem & determinatum quo ab iis distinguantur. Id autem reperitur in intelligentiis; nam quatenus sunt quædam substantiæ creatæ & finitæ, in hoc conueniunt vniuocè cum aliis substantiis creatis, etiam corporeis: quælibet verò habet quod sit talis substantia per propriam differentiam, qua ab aliis substantiis essentialiter distinguitur.

Obiicies 1. Angeli non constant ex materia & forma, ergo neque ex genere & differentia, adeoque non ponuntur in prædicamento. Prior sequela probatur, quia genus sumitur à materia, & differentia à forma. Respondeo 1. antecedens à nonnullis negari qui compositionem quandam ex materia spirituali in Angelis agnoscunt 2. eo admisso negandam esse priorem consequentiam, & ad illius probationem dicendum, genus etiam in rebus materialibus non sumi præcise à materia, & differentiam à forma, vt in Metaphysica ostendemus, sed vtrumque sumi à tota natura, genus quidem ab illa, vt habet rationem potentiæ, & determinabilis, differentiam vero vt habet rationem actus & determinantis; quod à fortiori sufficit in substantiis spiritualibus, esto careant materia & forma.

Obiicies 2. Substantia quæ constituit summum genus, vel est corporea, vel incorporea, si est corporea, non potest conuenire vniuocè substantiis incorporeis, si vero est incorporea, non potest esse communis substantiis materialibus, adeoque vel substantiæ spirituales, vel materiales à Categoria substantiæ excludendæ sunt. Respondeo hoc argumentum retorqueri posse contra genera prædicamentalia quæ ab omnibus admittuntur, nam vel corpus est viuens, vel non viuens, si viuens, non potest conuenire vniuocè non viuentibus, si non viuens, viuentibus conuenire nequit. Animal etiam vel est rationale, vel irrationale, si rationale non potest dici de irrationali, si irrationale de rationali prædicari nequit. Sicut ergo in hoc casu respondendum est, corpus prædicamentale abstrahere à viuente & non viuente, & animal à rationali & irra-

tionali; ita dicimus ſubſtantiam ex ſe abſtrahere à corporea, & incorporea, & eſſe indifferentem ad vtramque.

Dico 3. *Deum, ex probabiliori ſententia, in Categoria ſubſtantiæ non eſſe conſtituendum.* Probatur 1. ex Ariſt. qui ponit tantùm in hoc prædicamento, ſubſtantias quæ ſubſtant accidentibus; at Deus non ſubſtat accidentibus, vt conſtat ex 12. Metaph. tex. 41. & ex iis quæ in Idea Theologiæ ſpeculat. lib. 1. cap. 3. docuimus. Docet etiam non poni in hoc prædicamento niſi ſubſtantiam primam, vel ſecundam; at Deus non eſt prima ſubſtantia, quia hæc ſubſtat ſecundis, & accidentibus; nec ſecunda, cùm nec ſit genus, nec ſpecies.

Probatur 2. quia ſi Deus poneretur in prædicamento ſubſtantiæ, poneretur in illo vel tanquam ſpecies ſub genere, vel tanquam indiuiduum ſub ſpecie; at neutrum dici poteſt; non primum, quia ſi Deus poneretur vt ſpecies ſub genere, ſequeretur Deum vt ſic eſſe ſpeciem, adeoque plures eſſe, vel eſſe poſſe Deos numero diſiunctos, quod repugnat ſummæ & illuminatæ Dei perfectioni, quia ſi plures eſſent dij, quilibet haberet aliquam perfectionem ſibi propriam, per quam ab aliis diſtingueretur, & qua proinde ipſi carerent, ſicque nullus eorum eſſet infinitè perfectus. Non etiam ſecundum, quia cùm repugnet Deum eſſe ſpeciem, repugnat etiam quòd Deus ponatur in Categoria ſubſtantiæ, tanquam indiuiduum ſub ſpecie.

Probatur 3. quia ſi Deus poneretur ſub genere ſubſtantiæ, ſequeretur creaturas omnes rationem illam genericam ex æquo cum illo participare, quod ſanè nobis valdè durum videtur; eò quòd Deus quoad conce-

ptum ſubſtantiæ, eſt eſſentialiter infinitè perfectus, & ens à ſe; ſubſtantia verò creata eſt eſſentialiter finita, & ens à Deo dependens.

Vnde refelluntur qui dicunt, ſubſtantiam ſecundum ſe abſtrahere à finita, & infinita, à dependente, & non dependente; ſicut animal abſtrahit à rationali, & irrationali, quia hæc ſunt differentiæ, quæ non includuntur in ratione generica. Non enim eſt par ratio, ſiquidem Deus ſecundum quamlibet formalitatem ſuam eſt eſſentialiter infinitus, & ens à ſe; quare cùm ab illo abſtrahis rationem ſubſtantiæ, debes ſimul cum ſubſtantia preſcindere infinitatem, & independentiam tanquam aliquid ad intrinſecam illius conſtitutionem ſpectans. Et contrà, creatura ſecundum quamlibet formalitatem ſuam eſt eſſentialiter finita & dependens, adeoque cùm ab illa præſcinditur ratio ſubſtantiæ, ſimul etiam debet præſcindi aliquid finitum & participatum. Quare rationes abſtractæ à Deo, & à creatura non poſſunt in vnum genus vniuocum ſubſtantiæ, inferioribus ex æquo competens, coaleſcere. At verò homo ſecundum rationem animalis non eſt quidditatiue rationalis, ac proinde poteſt ab illo præſcindi ratio generica animalis, in qua non includatur rationalitas, quæque ex conſequenti ab equo & boue vniuocè participari poſſit; cùm aliunde conſtet animalitatem brutorum non pendere eſſentialiter ab animalitate hominis.

Probatur 4. quia vt præſcindam rationem communem vniuocam à ſingularibus, oportet vt ratio illa non ſit eſſentialiter ſingularis; quia ſi ſingularitas eſſet de eſſentiali illius conceptu, non magis poſſet ab ea abſtrahi,

quàm à qualibet alia ratione sibi intrinseca & essentiali. At ratio substantiæ, vt & quæcunque alia, est in Deo essentialiter singularis, cùm absolutè repugnet eam multiplicari. Quare non potest à Deo abstrahi ratio substantiæ communis, quæ vniuocè ipsi, rebusque creatis conueniat.

Confirmatur, nam cùm non nisi singularia actu existant, qui abstrahit rationem communem à singularitate, abstrahit etiam illam ab actuali existentia; vnde homo abstractus à Petro, & Paulo, non est vt sic quid actu existens. At impossibile est quod ratio substantiæ, vel cuiusuis alterius formalitatis diuinæ abstrahatur ab actuali illius existentia; eò quòd quidquid est in Deo, est essentialiter actu existens. Ergo fieri nequit vt à Deo, & creaturis abstrahatur communis ratio substantiæ, quæ illis vniuocè conueniat.

Obiicitur 1. definitionem substantiæ prædicamentalis, qua dicitur ens per se existens, Deo competere, ac proinde Deum esse substantiam prædicamentalem. Verùm negandum est antecedens, quia substantia prædicamentalis non est quodcunque ens per se existens, sed finitum, & limitatum, vt patet ex dictis.

Obiicitur 2. infinitas non potest impedire quin Deus ponatur in prædicamento substantiæ, quia si daretur linea infinita, ea in prædicamento quantitatis sedem haberet. Respondetur non esse parem rationem, quia etsi linea illa esset accidentario infinita, nempe quoad longitudinem, essentialiter tamen esset finita; quia esset vera quantitas habens longitudinem sine latitudine, adeoque vt sic

poneretur in Categoria quantitatis. Deus autem est essentialiter infinitus, omniumque prædicamentorum perfectiones eminenter continet, sicque nullius Categoriæ cancellis concludi potest.

Obiicitur 3. Christus ponitur in prædicamento substantiæ, ergo & Deus, sequela patet, quia Christus est Deus. Respondeo Christum non vt Deum, sed vt hominem poni in prædicamento substantiæ, quia vt sic, verè est animal, viuens, corpus, substantia, vniuocè quoad hæc conueniens cum aliis substantiis prædicamentalibus.

Nec dicas Christum vt hominem, includere suppositum diuinum, sicque vt Deum poni in Categoria substantiæ; non enim id sequitur, quia homo non ponitur in prædicamento ratione suppositi, sed ratione naturæ, & attributorum essentialium. Vnde quia Christus vt homo, conuenit vniuocè cum aliis hominibus in prædicatis essentialibus naturæ humanæ, hinc fit vt sub eo respectu ponatur in prædicamento substantiæ, esto suppositum sit diuinum.

Obiicitur 4. ex August. quædam prædicamenta dici de Deo propriè, nempe substantiam, relationem, & actionem; quædam metaphoricè & abusiuè vt tempus, locum, situm esse, habere. Respondeo Augustinum nihil aliud velle quàm in Deo verè esse substantiam, seu essentiam, relationem, & actionem; non autem quod hæc sint in illo eodem modo ac in creaturis. Siquidem substantia diuina nullis substat accidentibus, & quæ ponuntur in Deo relationes, vel actiones; sunt ipsamet substantia diuina; cum tamen in creatis relationes, & actiones sint accidentia. Quo fit vt interdum Augustinus dicat substantiam esse in

Deo abuſiuè, ſumpta ſcilicet ſubſtantia pro ſubiecto accidentium. Imò perfectiones omnes quæ ſunt in Deo tanto exceſſu ſuperant quidquid eſt in creatis, vt non immeritò Patres frequenter dicant, Deum non eſſe ens, nec ſubſtantiam, ſed aliquid ſupereminentius ente & ſubſtantia.

Quæret hic aliquis, an Deus poſſit ſaltem reductiuè conſtitui in aliquo prædicamento, aut in omnibus ſimul tanquam principium illorum. Reſpondeo etſi eo ſenſu hoc vtcunque tolerari poſſit, ſatius tamen eſſe negare abſolutè Deum conſtitui reductiuè in aliquo prædicamento, quia illud ſolet poni reductiuè in aliquo prędicamento quod imperfectè participat rationem illius: Deus autem omnes perfectiones prædicamẽtorum eminentiſſimè includit, quare potiùs dicendum eſt Deum eminere ſupra omnia genera, quàm eſſe reductiuè in aliquo illorum. Quo refertur illud Auguſtini lib. 5. de Trinit. cap. 1. *Intelligamus Deum ſi poſſumus, quantum poſſumus, ſine qualitate bonum, ſine quantitate magnum, ſine indigentia creatorem, ſine ſitu præſentem, ſine habitu omnia continentem, ſine loco vbique totum, ſine tempore ſempiternum, ſine vlla ſui mutatione mutabilia facientem, nihilque patientem.*

CAPVT VI.

DE PRÆDICAMENTO Quantitatis.

ARTICVLVS PRIMVS.

Summa eorum quæ tradit Aristoteles de quantitate.

CApit 6. libri Categoriarum in duas partes diuiditur, in quarum prima agitur de diuisionibus quanti, in secunda verò de proprietatibus illius.

Quod spectat ad priorem partem, quantum primo diuiditur in discretum & continuum Discretum est *cuius partes nullo communi termino copulantur*, quale est numerus; non enim v. c. in numero denario quinque priores vnitates communi aliquo colligantur cum quinque posterioribus, nec tres cum septem. Idem dicendum de oratione vocali, quæ quidem est quanta, quia sillaba breui & longa mensuratur, est autem discreta, quia syllabæ ex quibus constat, nullum inter se habent commune vinculum, sed singulæ sunt ab alijs seiunctæ.

Continuum verò dicitur, *cuius partes aliquo termino communi inter se vniantur*, vt linea cuius partes puncto copulantur, superficies cuius partes linea coniunguntur, corpus cuius partes mediante superficie connectuntur; vt etiam tempus, quia præsens coniungitur cum præterito, & futuro: Imò & locus, quia sicut

in corpore locato sunt partes, eæque coniunctæ, ita & in loco proportione seruata.

Quantum diuiditur secundò in ea quæ situm & positionem partium inter se habent, & alia quæ non habent; prioris generis sunt linea, superficies, corpus, & locus; ista enim habent partes inter se positionem habentes, ita vt alia sit dextra, alia sinistra; vna superior, alia inferior, &c. Posterioris verò numerus, oratio, & tempus, cùm enim hæc habeant partes aut non continuas, vt numerus & oratio; aut non permanentes vt oratio, & tempus, hinc fit vt non dicantur habere positionem partium inter se, quia ad hoc requiritur vt partes sint in continuo, & quod sint permanentes.

Licet autem istarum trium quantitatum partes non habeant propriè positionem inter se, habent tamen ordinem prioris, & posterioris; nam orationis & temporis alia pars est prior, alia posterior; & in numero vnum prius numeratur quam duo, & duo quam tria.

Additur tertia diuisio quanti in quantum per se, & quantum per accidens; quanta per se sunt septem illæ species iam enumeratæ, alia verò omnia quæ quanta dicuntur, sunt quanta per accidens, quia eorum rationem aliquo modo participant; veluti album dicitur multum, quia superficiens cui inexistit albedo, magna est, & actio dicitur longa quia longo tempore durauit.

In altera capitis parte tres proprietates quantitatis explicantur, quarum prima est, quanto nihil esse contrarium, etenim bicubito, tricubito, superficiei, & similibus nihil est contrarium.

Dices magnum paruo & multum pauco esse contraria, hæc autem esse quanta. Respondeo,

1. gratis ſupponi hæc ad quantitatem ſpectare, cùm potius ſint de genere relatorum. Nam omne quantum per ordinem ad ſe dicitur quantum, magnum autem & paruum non niſi per ordinem ad aliud dicuntur. Quemadmodum dicitur milium magnum reſpectu alterius graui minoris, & mons dicitur paruus per ordinem ad montem maiorem. Aliàs ſi dicerentur talia per ſe, & abſolutè, nunquam vocaretur milium magnum, aut mons paruus.

Reſpondeo 2. etſi gratis iſta reducerentur ad quantitatem, non ſequi quantitatem habere contrarium ſtrictè ſumptum, vt de eo hic agitur; tum quia contraria ita ſpectata ſunt naturæ abſolutæ, & per ſe, qualia non ſunt magnum & paruum: tum quia cùm idem poſsit eſſe maius & minus reſpectu diuerſorum, ſequeretur duo contraria ſimul eſſe, & idem ſibi eſſe contrarium.

Secunda proprietas quanti eſt, non recipere magis & minus, vt vnum bicubitum non eſt alio magis bicubitum, & vnus numerus non eſt alio magis numerus, nec vnum tempus magis tempus quàm aliud.

Tertia proprietas, eaque maximè propria quanti, eſt, dici æquale & inæquale, vt corpus, numerus, tempus, & alia quanta ſuprà aſſignata dicuntur æqualia, & inæqualia. Cætera verò quæ non ſunt quanta, non debent dici æqualia, vel inæqualia; vt album non dicitur æquale, vel inæquale, ſed potius ſimile.

ARTICVLVS II.

De quantitate continua permanente, ac primò de linea, superficie, & corpore.

PRæmoneo 1. in quantitate continua permanente à Philosophis communiter poni lineas, & superficies, tam copulantes, quàm terminantes; sicut & in lineis puncta alia terminantia, alia copulantia ab ijsdem constituuntur.

Præmoneo 2. lineam communiter definiri *longitudinem sine latitudine*, superficiem verò, *longitudinem & latitudinem sine profunditate*; corpus autem, *crassitiem cum longitudine, & latitudine.*

Præmoneo 3. in quantitate continua permanente non alias posse concipi species quàm tres iam assignatas, nimirum lineam, superficiem, & corpus; cùm omnis extensio vel sit longa, vel lata, vel profunda; sicut tres tantùm sunt differentiæ positionum, nempe sursum & deorsum, dextrum & sinistrum, antè & retro; quarum prima respondet longitudini, secunda latitudini, tertia profunditati.

His præmissis tria hic inquiri possent: primò an verè in rebus quantis reperiantur lineæ, & superficies modo prædicto: verùm hæc difficultas, sicut & alia quæ spectat ad essentiam quantitatis, commodius tractabitur in Physica. Secundò an ex hypothesi quod linea, & superficies dentur, eæ possint dici veræ species quantitatis. Tertiò an sint species inter se essentialiter distinctæ.

RESP. & Dico 1. *lineam, superficiem, & corpus, si dantur, posse dici veras species quantitatis.* Hoc patet tum ex Arist. lib. Categor. cap. 6. quem communissimè sequuntur alij Philosophi, tum quia ea quæ habent rationem formalem quantitatis, inter species quantitatis poni debent; atqui prædicta eam habent, cùm linea sit per se extensa quoad longitudinem, superficies quoad longitudinem. & latitudinem; & corpus quoad longitudinem, latitudinem, & profunditatem. Ergo, &c.

Confirmatur, quia nemo negat quin corpus sit vera species quantitatis, ergo idem dicendum est de linea, & superficie: sequela patet, quia ideo corpus est vera quantitas, quia habet partes extra partes in ordine ad locum replendum; at linea, & superficies habent etiam eodem modo partes extra partes quoad locum, ergo sunt veræ species quantitatis.

Obijcies, 1. linea terminat superficiem, & superficies terminat corpus, sic autem sunt quid indiuisibile, & negatio extensionis, adeoque non possunt saltem directè poni in prædicamento quantitatis, sed tantùm indirectè & reductiuè. Confirmatur, nam ideo punctum reductiuè tantùm ponitur in quantitate, quia est terminus lineæ. Respondeo hac obiectione tantùm probari, lineam vt terminat superficiem secundum latitudinē, & superficiem vt terminat corpus secundum crassitiem, non spectare directè ad hoc prædicamentum, quia sic dicunt meram negationem extensionis. Non tamen inde sequitur lineam, vt dicit positiuam extensionem secundum longitudinem, & superficiem vt eam includit secundum latitudinem, non esse veras species quantitatis. Vnde ad confirmationem res-

pondeo, non esse parem rationem, quia cùm punctum vndequaque sit indiuisibile, non nisi reductiuè in prædicamento quantitatis constitui debet.

Obijcies 2. ens incompletum in aliquo genere, non potest poni directè in illo genere, sed tantum reductiuè, vt patet ex materia & forma quæ non nisi reductiuè ponuntur in Categoria substantiæ, quia sunt substantiæ incompletæ; atqui linea & superficies sunt entia incompleta in genere quantitatis, cum linea aliquo modo componat superficiem, & superficies componat corpus; ergo linea & superficies non nisi reductiuè in prædicamento quantitatis constitui debent. Respondeo maiorem veram esse de ente, quod ex omni parte est incompletum in illo genere, eo modo quo materia & forma sunt entia incompleta in genere substantiæ; falsam verò de ente quod etsi aliquo sensu sit incompletum in illo genere, alio tamen est completum, cuiusmodi sunt linea, & superficies. Illa enim est completa in ratione longitudinis, etsi sit incompleta in ratione latitudinis; & hæc est completa in ratione latitudinis, licet sit incompleta in ratione profunditatis; quare in prædicamento quantitatis constitui debent.

Dico 2. lineam, superficiem, & corpus posse dici tres species quantitatis, essentialiter inter se distinctas. Probatur, quia eæ sunt species quantitatis distinctæ, quæ habent extensiones formaliter diuersas; atqui linea, superficies, & corpus habent extensiones formaliter diuersas, ergo sunt species quantitatis distinctæ. Maior patet, quia ratio formalis quantitatis in extensione consistit, modo alias

aliàs explicando; minor verò suadetur, nam linea dicit formaliter longitudinem, superficies latitudinem, & corpus profunditatem; istæ autem extensiones sunt diuersæ rationis, vt perspicuum est, & ex eo suadetur, quia ex longitudine numquam fieri potest superficies, nisi aliquid diuersum addatur, neque corpus ex latitudine.

Obijcies, vna species non potest includere aliam, sed superficies includit lineam, & corpus vtramque; ergo linea non est species distincta à superficie, nec superficies est species distincta à corpore, ac proinde solum corpus est vera species quantitatis continuæ, & permanentis. Responsio communis est, vnam speciem non posse aliam includere formaliter, posse tamen materialiter & præsuppositiuè; vt patet in numero quaternario qui includit ternarium, non formaliter vt ternarius est, sed materialiter ratione trium vnitatum; superficies enim materialiter tantum aut præsuppositiuè includit lineam, corpus vero superficiem; sicque illa inclusio non impedit quin linea, superficies, & corpus sint species distinctæ quantitatis; sicut ternarius, & quaternarius sunt distinctæ numeri species.

Verùm quia instari potest superficiem includere formaliter longitudinem cum latitudine, & corpus includere formaliter vtramque, cum profunditate; eò quod superficies est formaliter longa & lata, corpus verò est formaliter longum, latum, & profundum; ideo addendum est superficiem, cùm non tantum sit longa, sed etiam lata, non includere formaliter longitudinem, vt est propria lineæ, quia longitudo propria lineæ non est

præcisè longitudo, sed longitudo excludens latitudinem; eodemque modo corpus cum non tantum sit longum & latum, sed etiam profundum, non includere formaliter latitudinem superficiei; quia hæc non dicit latitudinem quomodocunque, sed vt excludentem profunditatem, seu crassitiem. Atque hæc responsio illustrari potest exemplo hominis, qui etsi sit formaliter viuens, & sentiens, non tamen est planta, aut brutum; quia non includit gradus vitæ, & sensus, vt sunt contracti ad plantam & brutum.

ARTICVLVS III.

An locus corporeus sit vera species quantitatis continuæ permanentis.

PRÆMONEO in loco corporeo duo posse considerari, de quibus est difficultas, primò spatium illud, seu interuallum quod à corpore repletur, secundò superficiem vltimam corporis ambientis; quo posito,

RESPONDEO & Dico 1. *Spatium quod à corpore repletur, non esse veram quantitatem.* Ita omnes communiter contra Stoïcos, & Academicos qui oppositum sentiebant. Probatur, tum quia spatium illud non est quid reale & positiuum, sed quædam vacuitas quæ repleri potest; quantitas autem est quid reale & positiuum, vt omnes fatentur. Tum quia si illud spatium esset quantitas; tantùm abest vt corpora quanta & extensa in se reciperet, quin potius ea excluderet, ne daretur penetratio dimensionum, quæ naturaliter est impossibilis.

Dico 2. locum, vt eſt ſuperficies corporis ambientis, non eſſe per ſe quantitatem ab ipſa ſuperficie diſtinctam. Probatur, quia locus præter ſuperficiem nihil aliud dicit quàm continentiam vel aptitudinalem, vel actualem; at ex neutro capite addit nouam rationem extenſionis à ſuperficie diſtinctam, nam vt dicit continentiam aptitudinalem, id tantùm habet, vt poſſit denominari continens; vt autem dicit continentiam actualem, hinc accipit tantùm denominationem actu continentis, quæ denominationes nullam inferunt formalem extenſionem, vt perſpicuum eſt; & declaratur exemplo veſtis, quæ ſiue actu circumdet hominem, ſiue tantùm aptitudine, nulla ei hinc ſuperadditur extenſio diſtincta ab extenſione ipſius veſtis.

Obijcies 1. Ariſtotelem lib. Categoriarum c. 6. ponere locum inter ſpecies quantitatis, vt patet ex dictis Articulo 1. Reſpondeo ex communi ſententia, Categorias ab Ariſtot. non adeò accuratè fuiſſe pertractatas, multaque in ijs collocata magis iuxta ſenſum aliorum, quàm ex rei veritate. Vnde 5. Metaph. cap. 13. vbi proprias ſpecies quantitatis continuæ exactiùs enumerat, locum omittit.

Obijcies 2. Illud eſt quantum, quod eſt magnum, & extenſum, atqui locus eſt magnus, & extenſus, cùm corpora magna, & extenſa capiat; ergo locus eſt quantus. Reſpondeo hoc totum verum eſſe, & à nobis vltrò concedi, ſed inde non probatur, locum eſſe ſpeciem quantitatis à ſuperficie diſtinctam, de quo eſt difficultas: quia eſſe magnum & extenſum, adeoque quantum, illi competit ratione ſuperficiei cum qua identificatur.

Obijcies 3. superficies vt sic, est mensura interna corporis continentis, & vt locus est mensura externa corporis contenti seu locati; ergo superficies, & locus sunt species quantitatis distinctæ. Respondeo non sequi, quia per eandem extensionem qua intrinsecè mensuratur corpus continens, mensuratur extrinsecè corpus contentum seu locatum. Vnde sicut vlna non ponitur in noua specie quantitatis, quatenus mensurat pannum; ita nec superficies, quatenus mensurat locatum.

ARTICVLVS IV.

De quantitate continua successiua.

QVæritur 1. an motus sit vera species quantitatis. Quod vt intelligas, aduerte hic agi de motu propriè dicto, vt distinguitur à mutatione; Nam cùm mutatio fiat in instanti, adeoque sit inextensa, & partibus carens, eo ipso à prædicamento quantitatis excluditur. Agitur ergo de motu strictè sumpto, quo forma aliqua successiuè acquiritur, vt est v. c. motus calefactionis quo alij, & alij gradus caloris paulatim producuntur. Cumque in tali motu sit quædam succcessio, & continuitas, adeoque partium extensio, quæritur an id sufficiat vt motus generatim inter veras species quantitatis numerari debeat.

RESPONDEO 1. motum ipsum quoad suam entitatem spectatum, non esse propriam speciem quantitatis. Probatur 1. quia Aristoteles neque hoc loco, neque 5. Metaph.

poſuit motum inter ſpecies quantitatis, ſed inter quanta per accidens. Et infrà illum inter poſtprædicamenta collocat.

Probatur 2. quia non niſi ens completum inter ſpecies quantitatis collocari debet, vt conſtat ex ſupradictis; at motus quoad ſuam entitatem ſpectatus, non eſt ens completum, cùm ſit eſſentialiter fluxus, & via ad terminum qui paulatim acquiritur, vt ex allato exemplo calefactionis facilè intelligi poteſt: ergo motus inter veras ſpecies quantitatis numerari non debet.

Probatur 3. Quia motus eſt quid analogum, quòd priùs dicitur de motu locali, vt de nobiliori analogato, quàm de alijs motibus; adeoque non poteſt eſſe vera ſpecies quantitatis, imò nec in vna aliqua Categoria conſtitui.

RESPONDEO 2. Probabile tamen videri aliquid reperiri in motu, quod inter ſpecies quantitatis non incongruè numerari poteſt. Probatur, nam cùm quantitas dicat quandam partium extenſionem, quarum vna eſt extra aliam, & in motu reperiatur eiuſmodi extenſio, quatenus vna pars illius alteri immediatè ſuccedit; hinc fit vt ſi non motus ipſe quoad ſuam entitatem ſpectatus, aliquid tamen illius, nimirum extenſio iam dicta, inter ſpecies quantitatis numerari poſſit.

Confirmatur, nam aliquid poteſt duobus modis extendi, vel per ordinem ad ſpatium loci, vel per ordinem ad ſpatium temporis: at prior extenſio omnium conſenſu, conſtituit veram ſpeciem quantitatis permanentis; ergò & poſterior à pari veram ſpeciem quantitatis ſucceſſiuæ conſtituere debet.

Quod tamèn intellige de extensione motus, ex hypothesi quod non sit de essentia illius; si enim est quid illi intrinsecum & essentiale, non magis debet poni in Categoria quantitatis quam motus ipse. An autem extensio sit de essentia motus, necnè, alibi expendendum erit.

Quæritur 2. An tempus sit species quantitatis successiuæ ab extensione motus distincta. Respondeo non videri speciem distinctam, siquidem quantitas motus nihil est aliud quàm illius extensio quoad spatium temporis; at extensio rei alicuius, quoad spatium temporis, nihil est aliud formaliter quàm tempus quo durat, ac proinde extensio seu quantitas motus, ab extensione seu quantitate temporis quo peragitur, distingui non debet. Confirmatur, nam præcisa per intellectum duratione à motu, nulla superest motui extensio. Quò fit vt Aristoteles interdum dicat motum esse quantum per accidens, quia scilicet suam quantitatem seu extensionem habet à tempore quo peragitur.

Obijciès, interdum parua est temporis, & magna motus extensio, vt cum spatium magnum celerrimè percurritur; nonnunquam verò è contra magna est temporis, & parua motus extensio, vt cùm spatium exiguum lento gradu pertransitur. Ergo non est eadem extensio motus & temporis. Respondeo hinc bene colligi non esse eandem extensionem motus & temporis externi, quod à motu cœli sumitur; non tamen motum & durationem illius intrinsecam, de qua tantùm hic agimus, diuersas habere extensiones. Cùm enim motus non extendatur nisi per

ſuam durationem, vt oſtenſum eſt, fieri nequit quod alia ſit extenſio motus, & alia durationis, aut quòd vna ſit longior, vel breuior alia. Eò vel maximè quia alioqui præciſa per mentem duratione motus, adhuc extenſionem propriam haberet, quod planè repugnat.

ARTICVLVS V.

De quantitate diſcreta.

QVæritur 1. an numerus ſit vera ſpecies quantitatis. Quod vt clarius percipias,

Aduerte 1. in numero duo conſideranda eſſe, primò quandam & determinatam vnitatum multitudinem. Secundò collectionem ſeu adunationem eiuſmodi vnitatum, per quam multæ vnitates confluunt in vnam numeri ſpeciem, puta ternarium, aut quaternarium. Cùm enim multæ vnitates ſint inter ſe diuiſæ & diſſitæ, vt ex ijs vnus aliquis numerus reſultet, aliqua earum adunatio neceſſaria eſt; Vnde talis adunationis defectu duo homines quorum alter Lutetiæ, alter Romæ exiſtit, non conſtituunt propriè binarium hominum, ſed ſunt tantùm vnus, & vnus homo. Contra verò quia in ſenario numero requiritur vnio duorum ternariorum, ideo Ariſtoteles 5. Metaph. cap. 11. ait ſex non eſſe bis tria, ſed ſemel ſex.

Aduerte 2. quæſtionem non procedere de numero, quoad multitudinem vnitatum ſpe-

ſtato, quâ ratione numerus materialis dici poteſt; quia ſic certum eſt apud omnes eum non eſſe ſpeciem quantitatis, imò nec poſſe in vna aliqua categoria collocari; cùm ſub ea ratione non ſit ens per ſe vnum. Tota ergo dubitatio procedit de numero ſecundo modo ſpeſtato, ſeu prout dicit collectionem & vnitatem quandam multarum vnitatum, quâ ratione numerus formalis dici poteſt.

RESPONDEO, numerum eo modo ſpectatum non eſſe propriam ſpeciem quantitatis. Probatur, nam in primis illud non eſt vera ſpecies quantitatis, quod ſecundum ſuam rationem formalem pendet ab intellectu; atqui numerus ſecundum ſuam rationem formalem pendet ab intellectu; ergo non eſt vera ſpecies quantitatis. Major perſpicua eſt, cum non niſi entia realia in Categorijs conſtituantur. Minor verò ſuadetur, quia ad numerum formaliter ſpectatum requiritur aliqua vnitatum collectio & vnitas, vt probatum eſt; talis autem collectio & vnitas non eſt in rerum multitudine niſi per intellectum. Siquidem ſepoſita operatione mentis, non eſt potior ratio cur v. c. Apoſtoli conſtituant vnum duodenarium, quam duos ſenarios, aut tres quaternarios, aut quatuor ternarios. Vnde refelluntur qui obijciunt mentem noſtram non facere, vt Apoſtoli ſint duodecim; nam etſi non faciat vt ſint tot materialiter, facit tamen vt ex ijs vnicus formaliter numerus, nempè duodenarius coaleſcat potiùs quàm duo ſenarij.

Deinde illud non eſt propria ſpecies quantitatis, quod non eſt ens per ſe, at-

qui numerus non eſt ens per ſe, ergo non eſt propria ſpecies quantitatis. Maior ab omnibus admittitur, vt patet ex ſupradictis: minor verò probatur; quia illud non eſt ens per ſe, quod conſtat ex ente reali, & ex ente rationis; at numerus conſtat ex ente reali, & ex ente rationis, ex iam dictis; ergo non eſt ens per ſe, ac proinde non eſt vera ſpecies quantitatis. Accedit, quòd in numero eſt multitudo rerum, quæ nulla vnione Phyſica inter ſe copulantur, ex quibus proinde non poteſt quid vnum per ſe coaleſcere.

Neque dicas in numero reperiri quendam ordinem vnitatum, ratione cuius vna eſt prima, alia ſecunda, alia tertia, &c. ita vt priores vnitates referantur ad vltimam tanquam indeterminatum ad determinatum, & vltima vt ſic ſe habeat tanquam forma reſpectu aliarum, idque ſufficere vt numerus dicatur ens per ſe vnum. Ne, inquam, id dicas, tum quia hæc vnitas ordinis non eſt in numero niſi per intellectum; cùm nulla vnitas magis ex ſe habeat quòd ſit prima, aut ſecunda, quàm tertia, vel quarta. Tum quia quouis modo illi conueniat vnitas, ea non ſufficit vt numerus ſit ens per ſe vnum, conſtituens ſpeciem quantitatis prædicamentalem, vt patet in exercitu, Republica, aliiſque eiuſmodi quæ etſi vnitatem aliquam ordinis habeant, non conſtituuntur per ſe in vno aliquo prædicamento.

Obiicies 1. ſi numerus non eſt vera quantitatis ſpecies, ideò maximè non eſt, quia eſt ens per accidens: at non eſt ens per accidens, ſed ens per ſe, ergo eſt vera quantitatis ſpecies. Maior patet ex dictis, minor oſtenditur, quia obiectum ſcientiæ eſt ens per ſe, at nu-

merus eſt obiectum Arithmeticæ. Reſpondeo negando minorem, & ad illius probationem dico primò, ea non magis concludi numerum eſſe ens per ſe, quàm Arithmeticam eſſe veram ſcientiam. Secundò, dato quod vera ſit ſcientia, non requiri abſolutè vt obiectum ſcientiæ ſit ens per ſe, ſed ſatis eſſe quod ſit ens aliquo modo ordinatum, vt patet ex ciuitate quæ eſt obiectum Politicæ, etſi non ſit ens per ſe, ſed multitudo hominum ordinata ſub vno principe. Cùm ergo numerus dicat formaliter multitudinem vnitatum certo ordine per intellectum diſpoſitam, & in vnum collectam, id ſufficit vt Arithmetica circa illum, tanquam circa proprium obiectum verſari poſſit, & conſequenter varias paſſiones de eo demonſtrare.

Obiicies 2. illud eſt vera ſpecies quantitatis, quod habet eſſentiam, & proprietates quantitatis; at numerus habet eſſentiam, & proprietates quantitatis; ergo eſt vera ſpecies quantitatis.

Probatur minor, nam numerus habet rationem extenſionis, & menſuræ; eſt etiam æqualis vel inæqualis, &c. Reſpondeo iſta competere numero per aliquam tantùm ſimilitudinē, quia cùm non ſit ens per ſe vnum, vt oſtenſum eſt, prædicta ei propriè conuenire non poſſunt. Et ſanè in numero non tam eſt extenſio, quàm vnitatum multiplicatio; nec numerus eſt menſura extenſionis, ſed multiplicationis. Non etiam dicitur vnus numerus æqualis alteri, per vnicam aliquam relationem, ſicut vna quantitas continua dicitur alteri æqualis, ſed quia totidem vnitatibus conſtat; & dicitur alteri inæqualis, quia plures, aut pauciores Vnitates habet.

Quæritur 2. an Oratio ſit vera ſpecies quantitatis. Reſpondeo negatiuè, ſiquidem oratio eſt vox articulata, variis ſyllabis conſtans, quam perſpicuum eſt eſſe ens per accidens, conſtans ex ſono, motu aliquo, temporis morula, ſyllabarum multitudine, ordinatione, & ſignificatione; ex quibus omnibus vera aliqua ſpecies quantitatis coaleſcere non poteſt.

Declaratur; nam ſonus non eſt quantitas, ſed qualitas; motus quo fit ſonus, ad quantitatem per ſe non pertinet, vt ſuprà vidimus; morula quæ in prolatione orationis impenditur, non eſt quid diſtinctum à tempore, adeoque non habet extenſionem diſtinctam ab illius extenſione; multitudo ordinata ſyllabarum non videtur diſtingui à numero, & includit opus rationis; earum verò ſignificatio eſt quædam relatio, aut denominatio externa ab hominum inſtitutione pendens. Quî ergo fieri poteſt vt vnum ens per ſe, vnaque ſpecies quantitatis à cæteris diſtincta, ex iſtis omnibus compingatur?

Obiicies, Ariſtotelem in Categoriis cap. de quantitate ponere orationem inter ſpecies quantitatis. Reſpondeo hinc tantùm ſequi orationem eſſe impropriè quantitatem, vt vel ex eo non obſcurè colligitur, quod Ariſtoteles in Metaph. vbi ſpecies quantitatis exactiùs enumerat, ne verbum quidem de oratione habet.

CAPVT VII.

De Prædicamento Relationis.

ARTICVLVS PRIMVS.

Summam eorum quæ habet Aristoteles de relatis, complectens.

IN cap. 7. libri Categor. tria tractantur: primò affertur quædam definitio relatorum; secundò quatuor relatorum proprietates declarantur; Tertiò prædicta definitio reiicitur, & alia traditur ex qua quinta relatorum proprietas colligitur.

In primis hæc traditur relatorum definitio, ex sententia antiquorum; *Relata dicuntur quæcunque id quod sunt aliorum esse dicuntur, vel quocunque alio modo ad aliud referuntur*. Id est, quæ vel in genitiuo casu referuntur, vt pater dicitur filij pater; vel in datiuo, vt æquale est æquali æquale; vel in accusatiuo, vt verberans verberatum verberat; vel in ablatiuo vt maius est minore maius; vel in nullo casu vt mons magnus, etsi dicatur per relationem ad alterum minorem, non tamen dicitur parui magnus, aut paruo.

Secundò, proferuntur quatuor proprietates relatorum, quarum prima est, habere contrarium, vt virtus est vitio contraria, & scientia ignorantiæ. Non tamen in omnibus relatis est contrarietas: nihil enim est contrarium duplo, & triplo, nec alijs eiusmodi.

Secunda est quod relata admittunt magis & minus, vt patet in simili & dissimili. Verùm hoc non competit omnibus relatis, quia duplum non dicitur magis & minus duplum.

Tertia est quod relata referuntur ad ea quæ reciprocantur, seu quæ ad illa vicissim referuntur. Vt Dominus dicitur serui Dominus, & seruus Domini seruus: nec non duplum dimidij duplum, & dimidium dupli dimidium.

Quarta proprietas relatorum est, esse simul natura; simul enim est duplum & dimidium, & cum est Dominus, est seruus, ac vice versa. Hæc etiam se mutuo tollunt, nisi enim duplum sit, non est dimidium, & nisi dimidium sit, non est duplum.

Iam tertio loco contra dictam definitionem relatorum obiicit Arist. ex ea sequi aliquam substantiam, nempe partialem, esse de numero relatorum. Caput enim dicitur alicuius caput, & manus alicuius manus; quare cum absurdum sit substantiam siue totalem, siue partialem constitui in Categoria relatorum, inde mouetur ad aliam tradendam definitionem relatorum quæ nulli substantiæ competat, nimirum istam; *Relata sunt quorum essentia tota in eo posita est, vt ad aliud se aliquo modo habeant*; quâ ratione certum est partes substantiæ non esse relata, quia etsi dicantur ad aliud, iuxta priorem definitionem, hoc illis non competit ex natura sua, cum sic sint tantum ad se. Caput enim secundum suam essentiam est caput, & manus, manus, &c. iis verò supra suam essentiam accidit, quod dicantur esse aliorum, vt quod caput dicatur capitati caput;

vera autem relata nullam habent essentiam quàm ad aliud, pater enim non potest intelligi nisi per ordinem ad filium, nec filius nisi per ordinem ad patrem. Porrò ex illa definitione Aristotelica, hæc quæ vulgo traditur à Philosophis desumpta est. *Relata sunt ea quorum totum suum esse est ad aliud.*

Hinc autem colligitur quinta proprietas relatorum; nempe non posse vnum relatum definitè seu determinatè cognosci, quin aliud determinatè cognoscatur: quia cum relatum ex natura sua tendat ad aliud, non potest talis natura definitè cognosci, quin etiam aliud cognoscatur; vt si quis cognoscat determinatè aliquod duplum, v. c. quatuor esse duplum ad duo, determinatè etiam cognoscit duo esse dimidium ad quatuor.

ARTICVLVS II.

Illustratio prædictæ relatorum definitionis.

Contra allatam relatorum definitionem duæ hic se offerunt difficultates breuiter enodandæ, quarum prima est, quia hic tantum debent definiri relata prædicamentalia, quæ scilicet prædicamentum distinctum à cæteris constituunt, non autem relata transcendentalia quæ per omnes Categorias vagantur. Et tamen definitio allata non minùs videtur competere relatis transcendentalibus, quàm prædicamentalibus; siquidem scientia est tota ad obiectum, & actio ad terminum; sicut pater est totus ad filium, & simile totum ad simile.

Itaque vt relata prædicamentalia clariùs

distinguantur à transcendentalibus, non immerito dicendum videtur relata prædicamentalia debere definiri, *quorum esse est ad aliud, vt ad purum terminum*; *& transcendentalia, quorum esse est ad aliud, non vt ad purum terminum*, sed sub quadam alia ratione determinata vel obiecti, vel effectus, vel causæ, vt infrà explicabitur.

Neque dicas patrem respicere filium vt terminum quem producit, adeoque non vt purè terminum, & vice versa creaturam respicere Deum vt purè terminum, cùm tamen relatio patris ad filium sit prædicamentalis, & relatio creaturæ ad Deum sit transcendentalis. Neinquam id dicas, nam pater vt principium quidem productiuum, filium generat; vt autem pater, nihil agit circa filium, sed supponit eum productum, adeoque vt sic ad eum refertur vt ad purum terminum: contra verò creatura Deum respicit non vt purè terminum, sed vt causam primam à qua essentialiter dependet.

Altera difficultas est, quia supposito quòd relatio sit verum accidens, distinctum saltem modaliter ab aliis entibus categoricis, vt multi existimant, dicendum est eam secundum se totam esse accidens, adeoque totam debere subiecto inhærere, eo quod accidentis esse est inesse: quî ergo fieri potest in ea sententia, cuius veritas alibi expendetur, vt totum esse relationis consistat in habitudine ad aliud?

Respondent aliqui relationem, in ratione accidentis, quam habet communem cum aliis accidentibus, dicere in, secundum propriam verò rationem talis accidentis, seu relationis dicere ad; verùm hoc, vt patet, non satisfacit,

nam relatio vt relatio, eſt accidens aliquod reale vt ſupponitur, ac proinde debet inhærere ſubiecto, non modo ſecundum rationem communem accidentis, ſed etiam ſecundum rationem propriam relationis. Eò vel maximè quia rationes illæ à parte rei non diſtinguuntur, nec poſſit ſubiectum denominari relatum, niſi relatio ſecundum propriam rationem ei inhæreret.

Fatendum ergo relationem vt relatio eſt, explicitè quidem non dicere ordinem ad ſubiectum, dicere tamen implicitè, quatenus id quo relatio differt ab aliis accidentibus, eſt neceſſariò ratio aliqua accidentalis, quæ non poteſt non eſſe in ſubiecto. Vnde ad propoſitam difficultatem reſpondendum eſt, cùm dicitur totum eſſe relationis eſſe ad aliud, iis particulis non excludi rationem accidentis ſubiecto inhærentis, ſed ſolùm excludi eſſe abſolutum; ita vt ſenſus ſit, relationem afficere ſubiectum illud denominando, non in ordine ad ſe, ſed per ordinem ad aliud. Similitudinem v. c. ſecundum totam ſuam entitatiuam realitatem, ſiue communem, ſiue propriam, ineſſe parieti albo; illum tamen ſic afficere vt eum denominet ſimilem, per ordinem ad alium parietem album.

ARTICVLVS III.

Allata relatorum proprietates expenduntur.

CIrca proprietates relatorũ ab Ariſtotele ſuperiùs aſſignatas, nonnulla obſeruanda ſunt. In primis certum eſt primam proprietatem non conuenire propriè relatiuis, vt vel ex eo patet, quia poſſumus vnum contrarium

cognoſcere alio non cognito vt frigus non cognito calore, & vice verſa; non tamẽ poſſumus cognoſcere vnum relatiuum ſine alio, patrem v. c. ſine filio, aut filium ſine patre. Vnde ipſemet Ariſt. cap 6. disertè docet relatiua non habere contrariũ. Quare cum in cap. 7. oppoſitum ſtatuit, vel loquitur ad mentem aliorum, vt putant aliqui, vel omnino impropriè loquitur, vt etiam non obſcurè colligi poteſt ex probatione quam adducit, vt contrarietatem inter relata ſtabiliat; profert enim quædam exempla rerum, quæ etſi contrarietatem inter ſe habeant, non tamen propriè ſunt correlata, nimirum vitij & virtutis, ſcientiæ & ignorantiæ. Nam etſi vitium contrarietur virtuti, non tamen ad illum refertur, ſed ad vitioſum cui non contrariatur: & ſimiliter licet ſcientia ſit contraria ignorantiæ, vt hæc ſumitur pro errore poſitiuo, non tamen ad illam refertur, ſed ad ſcibile, cui non contrariatur.

Deinde ex multorum ſententia, relatio ſecundum ſe non ſuſcipit magis & minus, ſed tantum ratione fundamenti, quando eſt qualitas. Quia ſuſcipere magis & minus non dicitur niſi de ijs in quorum entitate eſt quædam latitudo gradualis, ſecundum quam poſſunt augeri vel minui, quod ſolis qualitatibus competit.

Si autem contra hoc objicias 1. relationes æqualitatis & inæqualitatis poſſe ſuſcipere magis & minus, etſi earum fundamentum nempe quantitas, non ſuſcipiat magis & minus. 2. ipſas relationes ſimilitudinis & diſſimilitudinis poſſe augeri quando fundamentum remittitur, & minui quando intenditur. Ad hæc vno verbo reſpondent, relationes

consistere in indiuisibili; ac proinde quando augetur, vel minuitur quantitas, aut qualitas, non augeri vel minui relationes, sed variari, ita vt priores deperdantur, & nouæ succedant.

Hoc modo coguntur respondere qui putant, relationem esse entitatem aliquam à fundamento realiter distinctam: in opposita tamen sententia faciliùs dici potest, vt res denominantur relatæ ex positione fundamenti, & termini, ita denominari magis & minus relatas iuxta diuersas extremorum coniunctiones.

Præterea ad intelligentiam tertiæ proprietatis, qua relata dicuntur reciproca, seu ad conuertentiam, Obseruandum primò, vt hæc reciprocatio bene fiat, assignandum esse verum correlatiuum. Vnde dicendum non est, ala est auis ala, cùm non possit viciſſim dici, auis est alæ, aut alâ auis; sed dicendum est ala est alati ala, quia viciſſim rectè dicimus, alatum est alâ alatum. Et ratio est quia primum non rectè adhibitum fuit, id est ala ad auem, non enim qua est auis, ala ipsius dicitur, sed qua est alatum; quandoquidem alæ dicuntur multarum aliarum rerum quæ non sunt aues, cuiusmodi sunt muscæ, & vespæ.

Obseruandum secundò nomen nouum fingendum esse, & à relatiuo deducendum quando relatiuum quod assignandum est, nomine caret; vt si velimus assignare correlatiuum claui, non bene illum referemus ad nauem, quia non qua nauis est, illius clauus dicitur, cum sint naues quædam quæ clauo carent; sed conuenientior erit locutio si dicamus, clauus est clauati clauus, sic enim

rectè reciprocabitur, quia clauatum est clauo clauatum. Eodem modo res se habet in alijs, nam caput non bene dicitur animalis caput, quia animal non habet caput, qua animal est, cum multa animalia vt vermes, conchylia, &c. capite careant. Dicendum ergo, caput est capitati caput, & capitatum est capite capitatum.

Obseruandum 3. tunc correlatiuum rectè assignatum esse, quando eo manente, & reliquis omnibus ablatis, manet relatio. Contrà verò correlatiuum malè assignari, quando relatio fit ad aliquid, quo manente, alijsque demptis, non manet relatio. Hinc si quis maneat dominus, relatio quoque serui ad illum manet, esto ab illo abstrahas rationem hominis, vel bipedis, aliaue quæ domino, vt domino accidunt. Quod si maneat homo, & bipes, non autem dominus, relatio serui ad illum non manebit, vnde seruus non est referendus ad hominem, vel ad bipedem, sed ad dominum.

Circa quartam proprietatem relatorum nota 1. ea dici simul natura, quorum vno posito necessariò ponitur alterum, & vno ablato aufertur alterum; nec tamen vnum est causa alterius. Vnde rationale & risibile defectu posterioris conditionis non sunt simul natura, adeoque nec relata propriè dicta. Quamuis autem pater sit causa filij, non tamen formaliter vt pater, sed quatenus eum genuit; adeoque illa causalitas non impedit quin sint verè relata, cùm aliunde se mutuò ponant, & tollant.

Nota 2. non omnibus relatis conuenire esse simul natura, nam scibile prius est quàm scientia, & scibile sublatum simul tollit

ſcientiam; ſcientia verò ſublata rem ſcibilem ſimul non tollit, nam ſublato homine non erit ſcientia, neque tamen omne ſcibile auferetur. Similis eſt ratio de ſenſu, nam ſenſibile prius eſt ſenſu, & eo ablato ſimul tollitur ſenſus; ſenſus verò ablatus ſenſibile non tollit, quia ablato animali ſenſus tollitur, manet tamen adhuc corpus calidum, dulce, amarum, & cætera omnia quæ ſub ſenſum cadunt. Iſta tamen non ſunt relata categorica, ſed tranſcendentalia, de quorum diſcrimine poſtea aliquid dicetur.

Denique vt quinta proprietas clariùs percipiatur, aduertendum eſt nos poſſe vnum relatum cognoſcere aut in communi, & conſultè, aut in particulari & determinatè, vt v. c. duplum quatenus duplum, aut quatenus eſt tale duplum in particulari, puta decem reſpectu quinque. Inter iſtas autem cognitiones illud eſt diſcriminis, quod vt cognoſcamus duplum in communi, ſufficit quod cognoſcamus illius correlatum, nempe dimidium in communi. Vt autem cognoſcamus tale duplum determinatè, puta decem, non ſufficit quod cognoſcamus dimidium in genere, ſed requiritur vt tale dimidium, nimirum quinque cognoſcamus.

ARTICVLVS IV.

De nonnullis relationum diuiſionibus.

VAriæ ſolent aſſignari à Philoſophis relationis diuiſiones, prima eſt in relationem realem, & relationem rationis. Relatio realis illa dicitur, quæ exiſtit in rerum natura independenter ab intellectu; quomo-

do relatio similis, quæ est in pariete albo ad alium parietem album, est realis; item relatio patris ad filium, & filij ad patrem, aliæque huiusmodi. Relatio verò rationis illa dicitur, quæ non existit nisi per fictionem intellectus, ita vt mens concipiat aliquid tanquam relatum ad aliud, quod verè ad aliud non refertur; vt cum concipio animal referri ad hominem, & equum. Cum enim animal non nisi per intellectum distinguatur ab homine & equo, relatio tantùm rationis inter illa esse potest.

Secunda diuisio relationis est in relationem secundum esse, & relationem secundum dici, quam aliqui putant coïncidere cum præcedenti, ita vt relatio secundum esse idem sit ac relatio realis, relatio verò secundum dici coincidat cum relatione rationis; quia cùm illa dicamus quæ cognoscimus, idem est relatio secundum dici, ac secundum cognosci; quod propriè competit relationi rationis, quæ nullum aliud esse habet quàm cognosci.

Alij tamen putant relationem secundum dici non in eo consistere, quod intellectus alicui rei affingat ordinem ad aliud, vt fit in relatione rationis, sed in eo quod ob imperfectionem intellectus non concipiatur nisi per modum habentis talem ordinem, vt cùm in hoc statu concipimus res spirituales ad modum materialium. Alij verò hanc relationem aliter explicant, quod parum interest.

Tertia diuisio relationis est in prædicamentalem, & transcendentalem. Prædicamentalis ea dicitur quæ in hoc solo prædicamento constituitur, transcendentalis verò quæ spectat ad alia prædicamenta. Primi generis sunt æqualitas & inæqualitas, similitudo & dissi-

militudo, itemque, ex communi sententia, paternitas & filiatio; secundi verò potentia, habitus, actio, aliaque id genus quæ essentialiter dicunt ordinem ad aliud.

Sunt autem obseruanda quædam discrimina inter istas relationes. In primis relatio prædicamentalis necessariò postulat terminum existentem; transcendentalis verò potest ferri in terminum non existentem, de quo latiùs in Metaphysica.

Secundò relatio prædicamentalis merè accidentariò aduenit rebus relatis, vt similitudo parieti albo, æqualitas rei quantæ, &c. transcendentalis verò est de essentia rei relatæ, vt patet in accidente, quod dicit essentialiter ordinem ad subiectum, in potentijs quæ intrinsecè dicunt ordinem ad actus & obiecta; & in omnibus aliis relatis quæ transcendentalia appellantur.

Tertiò relatio prædicamentalis respicit terminum purè vt terminum, ita vt hic nullam aliam denominationem accipiat quàm termini, quia tantùm terminat relationem, nullumque aliud munus quàm terminandi circa illam exercet; at verò relatio transcendentalis respicit terminum, non vt purè terminum, sed sub ratione obiecti, vel causæ, vel effectus. Exemplum relationis prædicamentalis sit paries albus, qui vt respicitur ab alio, est tantum terminus talis respectus. Exemplum verò relationis transcendentalis sit terminus cognitionis, qui præcisè vt cognitionem terminat, denominatur obiectum cognitum; & terminus actionis, qui vt sic, denominatur productus.

Quarta diuisio relationis est in mutuam, & non mutuam; mutua est cui alia relatio res-

ondet ex parte termini, vt sunt paternitas & filiatio; non mutua verò cui alia non respondet, vt relatio creaturæ ad Deum, cui ex communi sententia, non respondet aliqua relatio ex parte Dei, qua realiter referatur ad creaturas.

Quinta diuisio relationis (seu potiùs relationis mutuæ subdiuisio) est in relationem æquiparantiæ, & disquiparantiæ. Vocatur relatio æquiparantiæ, quando respondet in termino alia relatio eiusdem rationis, vt est relatio similitudinis in vtroque pariete existens. Dicitur autem relatio disquiparantiæ, quando respondet in termino relatio diuersæ rationis, vt est paternitas respectu filiationis, & vice versa.

CAPVT VIII.

DE RELIQVIS PRÆDICAMENTIS.

ARTICVLVS I.

Summa eorum quæ tradit Aristoteles de qualitate.

QVatuor præstat Aristoteles cap. 8. libri Categor. in primis tradit definitionem qualitatis in abstracto, secundò assignat quatuor species illius, tertiò affert descriptionem qualis in concreto, ac tandem tres qualitatis proprietates expendit.

Quod ad primum spectat, qualitatem appellat *à qua aliqui dicuntur quales*, vt albus ab albedine, iustus à iustitia, &c. Nec immeritò

qualitas eo modo deſcribitur, ſi enim quæras qualis ſit homo, non bene reſpondetur eum eſſe quantum, aut aliò referri, aut agere, aut pati, aut ſtare, vel ſedere, aut eſſe in loco, vel in tempore, aut eſſe veſtitum, ſed eſſe album, aut nigrum, calidum, aut frigidum. Quo fit vt propriè non denominemur quales ab vllo accidente, præter quam à qualitate, quæ proinde rectè deſcribitur, *accidens à quo denominamur quales*. Verum quia hæc deſcriptio non ſatis explicat naturam qualitatis, an qualitas accuratius definiri poſſit, in Metaphyſica inquirendum erit.

Quod ad ſecundum attinet, qualitatem diuidit in quatuor ſpecies, quarum prima dicitur habitus, & affectio ſeu diſpoſitio. Eſt autem inter illa diſcrimen, quòd habitus eſt res diuturnior & permanentior, cuiuſmodi ſunt ſcientiæ, & virtutes; affectiones verò dicuntur quæ facilè amoueri poſſunt, & citò mutantur, vt calor, frigus, morbus, & ſanitas. Interdum tamen affectiones diuturnitate temporis fiunt quaſi naturales, & amoueri non poſſunt, qua ratione habitus meritò appellantur.

Secunda ſpecies qualitatis eſt naturalis facultas & imbecillitas, ſeu naturalis potentia & impotentia. Vbi per potentiam ſignificatur vis quælibet naturalis ad facilè agendum, v. c. ad currendum in animalibus, ad calefaciendum in igne, &c. Item vis facilè reſiſtendi, quomodo ferri durities ad naturalem potentiam ſpectat: per impotentiam verò ſignificatur qualitas quæ aliquid difficilè agit, vt hebetudo mentis, viſus imbecillitas, &c. aut difficilè reſiſtit, vt aquæ, vel aëris fluiditas.

Tertia

Tertia ſpecies qualitatis eſt patibilis qualitas & paſſio, vt dulcedo & acerbitas, calor & frigus, albedo & nigredo. Hæc autem dicuntur qualitates patibiles, non quod ſubiecta eas recipientia quidquam patiantur, non enim mel dicitur dulce quod aliquid patiatur, ſed vel quia efficiunt paſſionem in ſenſibus, nam dulcedo paſſione quadam afficit guſtum, calor tactum, &c. vel quia ex paſſione aliqua oriuntur, vt albedo & nigredo. Cum enim colores qui fiunt ex accidenti, oriantur ex aliqua paſſione, vt patet in rubore qui ex verecundia, & in pallore qui ex timore procedit; exiſtimandum ſimiliter eſt eos qui ex natura procedunt, ab aliqua paſſione oriri.

Quo loco aduerte diſcrimen inter qualitates iſtas quæ ex paſſione oriuntur, nam quæ principium ſumunt à quibuſdam paſſionibus, quæ non facilè amoueri poſſunt, ſed permanent, qualitates propriè dicuntur; quales enim appellamur à pallore, vel nigredine, ſiue hæc ortum duxerint à natiua conſtitutione, ſiue ex accidente aliquo, vt à longo morbo aut æſtu. At verò qualitates quæ oriuntur ex paſſione aliqua citò tranſeunte, non dicuntur qualitates, ſed paſſiones; non enim quis ab ijs denominatur qualis, vt qui ex erubeſcentia rubore perfunditur, non dicitur ruber, nec qui ex timore palleſcit, dicitur pallidus, ſed potiùs dicitur aliquid paſſus eſſe.

Aduerte præterea hæc non tantùm habere locum in corpore, ſed etiam in anima; nam quæ in ipſo ortu à quibuſdam paſsionibus, quæ non facilè amoueri poſſunt, effecta ſunt, qualitates dicuntur, vt amentia, ira, & cætera eiuſmodi, ab ijs enim quales dicuntur,

nempe iracundi, & amentes. Et idem dic de quacunque alia qualitate casu effecta, sed permanente, vt est amentia ex morbo diu perseuerans; at verò amentia ex subita perturbatione orta, breuique transiens, non tam qualitas quàm passio dicenda est; qui enim eâ affectus est, non denominatur demens, sed dementiam passus.

Quarta species qualitatis, est figura, & circa rem consistens forma, id est, forma rei externa, ab his enim res denominantur quales; vt linea recta, vel obliqua, à rectitudine, vel obliquitate; superficies triangularis, vel quadrata, à figura triangulari, aut quadrangulari.

Iam tertio loco Aristoteles definit qualia, *quæ à qualitatibus denominantur, vel quouis alio modo ab eis dicuntur*. Interdum enim quale denominationem accipit à qualitate, vt album ab albedine, & iustus à iustitia; aliàs verò denominationem ab ea non accipit, quia nomine caret, sicut cursorius, qui secundum naturalem aptitudinem quam habet ad currendum, dicitur, à nulla qualitate denominationem accipit, quia nullum nomen impositum est qualitati secundum quam ille dicitur cursorius. Imò interdum aduenit, vt etsi qualitas proprium nomen habeat, denominatio non fiat ab illo, vt à virtute non denominatur quis virtuosus, sed studiosus, vt alibi aduertimus.

Tandem Aristoteles tradit tres proprietates qualitatis, quarum prima est habere contrarium, vt iustitia iniustitiæ contraria est, albedo nigredini, &c. Verùm hæc proprietas non omnibus qualitatibus competit, nam flauo, pallido, alijsque coloribus medijs

nihil per ſe eſt contrarium.

Secunda proprietas eſt recipere intenſionem & remiſſionem; album enim magis & minus album altero dicitur, & iuſtum alterum altero magis & minus iuſtum. Imò vnum & idem poteſt intendi & remitti, vt eſſe magis aut minus candidum. Verum hæc proprietas non competit qualitatibus in abſtracto, etſi qualitatibus in concreto conueniat, nam iuſtitia, ſanitas, grammatica, non dicuntur magis & minus; ſed alter altero dicitur iuſtior, ſanior, & magis grammaticus.

Præterea figuræ non recipiunt magis & minus, non enim vnus circulus, aut triangulus eſt magis aut minus alio circulus, aut triangulus. Et ratio eſt, quia vel ea cum quibus circulus aut triangulus conferuntur, recipiunt circuli, aut trianguli definitionem, vel non; ſi recipiunt, ea æquè ſunt circuli aut trianguli, ſi vero non recipiunt, ea nullo modo ſunt circuli, aut trianguli; adeoque nec magis, aut minus.

Tertia proprietas, eaque ſolis qualitatibus competens, eſt vt aliqua dicantur ſimilia, aut diſſimilia ratione qualitatum quas participant; vt album eſt ſimile albo. & diſſimile nigro.

Si quis verò obiiciat contra prædicta, malè ſcientiam & habitum in duobus prædicamentis ab Ariſt. collocari, nempe in iſto, & in præcedenti: Reſpondetur ex eodem, vnum & idem poſſe ſub diuerſa conſideratione ad aliud, & aliud prædicamentum ſpectare; ſicque ſcientiam & habitum, quatenus denominant quale, ad prædicamentum qualitatis pertinere; vt autem dicunt reſpectum quemdam ad obiectum, eſſe in prædicamento relationis.

ARTICVLVS II.

De diuisione qualitatis in quatuor species assignatas.

QVæri hic potest, an diuisio qualitatis, in illas quatuor species suprà assignatas, sit vniuoca, & omnino adæquata; ita vt non contineat aliquid, quod non sit vera qualitas, neque vlla sit vera qualitas, quæ in ea non includatur.

Communis responsio est affirmatiua, tum propter autoritatem Arist. quæ in rebus Philosophicis non exigui est momenti, tum propter varias rationes à variis excogitatas in fauorem allatæ diuisionis. Fatendum tamen hanc sententiam si ratio illius exquiratur, parum certam esse. Nam in primis, cùm ratio essentialis qualitatis nondum satis perspecta sit, vt ex aliàs dicendis constabit, non potest solidè statui essentiam illius speciebus vulgaribus qualitatis vniuocè conuenire, eiusque diuisionem in illas esse omnino adæquatam; sicut qui clarè nescit quid sit animal, non potest certò statuere an homo, & equus in ratione animalis vniuocè conueniant; nec quænam sint, aut non sint veræ species animalis. Deinde etsi varij modi excogitati sint ad defendendam diuisionem prædictam, nullus tamen occurrit qui illius sufficientiam efficaciter ostendat, quod sic probo.

Duo sunt modi præcipui, quibus allata diuisio defendi solet: prior ita concipitur; Qualitas comparari potest vel cum natura

ſubiecti, vel cum eiuſdem ſubiecti actione & paſſione, vel denique cum illius quantitati. Si cum natura ſubiecti; quatenus illud bene, aut malè afficit, eſt habitus & diſpoſitio: ſi cum actione & paſſione, vt illius principium, eſt naturalis potentia & impotentia, ſi vt illius terminus, quia ſcilicet fit per motum, eſt patibilis qualitas & paſſio, ſi cum quantitate, eſt forma & figura. Verùm hic modus refellitur, quia habitus operatiui non tantùm comparantur cum natura ſubiecti, ſed etiam cum actione, vt principia agendi: contrà verò naturalis potentia& impotentia, imò & omnes qualitates comparantur cum natura ſubiecti, quatenus ſubiectum afficiunt, & quale denominant. Deinde multæ ſpecies qualitatis id habent commune, vt per motum producantur, & ſint termini actionis; quare non bene ſola tertia ſpecies ea ratione colligitur.

Poſterior modus ita declarari ſolet: qualitas vel eſt in ſola ſuperficie, vel intra ſubiectum; ſi in ſola ſuperficie, eſt forma & figura; ſi intra ſubiectum, vel ſubiacet ſenſibus, vel non; ſi ſubiacet, eſt patibilis qualitas & paſſio; ſi non ſubiacet, vel eſt innata, vel aduentitia; ſi innata, eſt naturalis potentia & impotentia; ſi aduentitia, eſt habitus& diſpoſitio. At neque hic modus placet, tum quia in prima ſpecie conſtituit qualitates aduentitias, cum tamen quædam figuræ quæ ad vltimam ſpeciem ſpectant, & quædam patibiles qualitates quæ ad tertiam, ſint aduentitiæ: tum quia qualitatem innatam reſtringit ad potentiam & impotentiam, cùm tamen certum ſit multas qualitates

patibiles esse innatas. Tum denique quia supponit figuram esse in sola rei superficie, cùm tamen etiam in partibus intimis reperiatur: siquidem annulus v. c. secundum totam suam entitatem est circularis.

ARTICVLVS III.

De prædicamento actionis.

QVæritur 1. quid per actionem intelligatur. Respondeo nomen actionis varijs modis sumi apud Philosophos, 1. pro sola actione libera nostræ Voluntatis. 2. prout distinguitur à factione seu effectione; ita vt factio sit actio quâ aliquid producitur in subiecto externo, actio verò quamcumque actionem non factiuam, cuiuscunque sit potentiæ, comprehendat. 3. generatim pro quacunque actione siue immanente, siue transeunte; quomodo videtur hic sumi ab Aristotele, vt non obscurè ex eo intelligitur, quòd cùm agit de proprietatibus actionis & passionis, affert in exemplum calefacere, frigefacere, lætari, ac dolere. Duo enim priora spectant ad actionem transeuntem, duo verò posteriora ad immanentem.

Neque dicas lætitiam & dolorem non sistere in anima, sed ad corpus transire, sicque non esse actiones immanentes: nam etsi quædam indicia horum motuum in corpore cernantur; ipsi tamen præcipuè resident in anima, & eatenus sunt propriè immanentes. Imò etsi omnino transirent in corpus, manerent tamen in eodem supposito, sicque non essent propriè actiones transeuntes; quia

actiones illæ dicuntur transeuntes, quæ transeunt in subiectum ab operanti realiter, & supposito distinctum.

Quæritur 2. quomodo definiatur actio. Respondeo eam sic definiri à Gilberto Porretano, *Est forma secundum quam denominamur agere in subiectam materiam.* Verùm hæc definitio est valde imperfecta, tum quia discrimen non constituit inter actionem, & principium agendi, quod æquè ac actio definiri potest, *forma secundum quam denominamur agere*, vt patet in igne qui non modo per actionem caloris, sed etiam per calorem ipsum denominatur calefaciens. Tum quia non procedit nisi de actionibus transeuntibus, ac proinde non est adæquata.

Vnde intelligitur definitionem illam vulgarem actionis, *actio est actus agentis, vt agens est*, non esse satis accuratam. Quia tamen consentanea est doctrinæ Arist. 3. Physic. cap. 3. nonnulli putant in gratiam illius eam sic posse illustrari; *Actio est vltimus actus agentis vt agens est, quo mediante aliquid efficit.* Dicitur actus vltimus, vt excludantur omnia principia agendi, quia nisi ijs addatur actio, nihil fiet. Dicitur agentis, vt agens est; quia actio denominat tantùm in actuali effectione. Dicitur, aliquid fit, vt magis exprimatur natura & efficacia actionis, quæ in eo consistit, vt sit medium, quo effectus ab agente dependet.

Quæritur 3. quot modis actio generatim diuidi possit. Respondeo quinque præcipuè: ac primò diuiditur in eam quæ versatur circa aliquod subiectum, ex quo forma producenda est, & vocatur eductio, quales sunt actiones creaturarum; & in eam quæ nullo subie-

cto indiget, qualis eſt creatio; quæ eſt productio rei ex nihilo.

Secundò ratione ſubiecti diuiditur in immanentem, & tranſeuntem. Immanens dicitur, quæ manet in eodem ſubiecto à quo oritur, vt intellectio, volitio, viſio, &c. tranſiens verò quæ tranſit in ſubiectum ab operante realiter diſtinctum; vt dum ignis aquam, vel lignum calefacit.

Tertiò ratione termini diuiditur in ſubſtantialem, & accidentalem; ſubſtantialis dicitur per quam ſubſtantia generatur, qualis eſt productio animalis; accidentalis verò per quam accidens aliquod producitur, vt frigefactio qua frigus, calefactio qua calor producitur.

Quartò ratione principii diuiditur in ſupernaturalem, naturalem, & artificialem. Supernaturalis eſt quæ oritur à principio ſupernaturali, cuiuſmodi ſunt actus fidei, ſpei, & charitatis; naturalis dicitur quæ habet ortum à principiis naturæ intrinſecis, quales ſunt actiones omnes in præcedentibus diuiſionibus relatæ; artificialis autem eſt cuius principium eſt ars, vt domus conſtructio, cathedræ fabricatio, &c.

Quintò ratione durationis diuiditur in inſtantaneam, & ſucceſsiuam; Inſtantanea eſt quæ in inſtanti perficitur vt illuminatio, generatio, &c. ſucceſsiua verò quæ tempore indiget, vt calefactio, nutritio, accretio: Quod dictum ſit ex communi ſententia, quæ ponit inſtantia in tempore, vt & puncta in continuo, de quo alibi.

ARTICVLVS IV.

De Prædicamento passionis.

QVæritur primò quid per passionem intelligatur. Respondeo hoc nomen variis modis sumi: primò significat proprietatem ex rei essentia fluentem; quo sensu risibilitas est passio hominis, & hinnibilitas equi. Secundò, qualitatem sensibilem cito transeuntem, quo sensu spectat ad tertiam speciem qualitatis, quæ est patibilis qualitas & passio. Tertiò, motionem seu perturbationem appetitus sensitiui, qua ratione vndecim passiones numerantur, de quibus agetur in Philosophia morali. Quartò receptionem formæ ab agente productæ, quomodo sumitur hoc loco, soletque definiri, *actus patientis, vt patiens est.*

Quæritur 2. qua ratione passio distinguatur ab actione. Nonnulli putant distingui realiter; ij nimirum qui docent actionem esse in agente, & passionem in patiente, cùm perspicuum sit idem accidens non posse esse naturæ vi in duobus subiectis realiter distinctis. Verùm sententia communis, de qua aliàs, statuit actionem & passionem non distingui realiter, sed tantùm formaliter; ita vt idem actus quatenus est ab agente, dicatur actio; & quatenus recipitur in patiente, dicatur passio, idque sufficere vt actio, & passio constituant diuersa prædicamenta.

Confirmatur, quia si duo non constituerent prædicamenta, vel haberent aliquod prædicamentum commune, quod vtrique conueniret vniuocè, vel vna esset in prædicamento alterius; at neutrum dici potest

non primum, quia nihil assignari potest vniuocum actioni & passioni, cùm non conueniant nisi in communi ratione accidentis, quæ non est vniuoca, sed analoga. Non etiam secundum, quia actio, & passio sunt rationes primò diuersæ, adeoque vna non potest locari in prædicamento alterius.

Dices 1. posse constitui vnum prædicamentum motus, & ad illud actionem & passionem reduci; cùm in ratione motus conueniant. Respondeo, motum non posse aliquod prædicamentum constituere, cùm ex sua ratione sit quid incompletum, vt dictum est cap. 6. art. 3. At verò actio ex se dicit aliquam rationem completam, itemque passio, adeoque quælibet vnum prædicamentum constituit. Explico; calefactio v. c. tribus modis considerari potest, primò vt est motus ad calorem, qui paulatim producitur; Secundò vt est actio procedens ab igne; tertiò vt est passio recepta in aqua, vel ligno. Calefactio primo modo est quid essentialiter incompletum, cum dicat ex se successiuam acquisitionem caloris, qui paulatim producitur: at verò eadem calefactio vt actio, & vt passio, dicit duas rationes ex suo genere completas; cùm v[illegible] abstrahant ab illa ratione motus, quæ reali[illegible] ijs annexa est.

Dices 2. actionem & passionem reduci posse ad prædicamentum relationis, cùm actio nihil aliud esse videatur, quàm relatio agentis ad patiens, & passio quàm relatio patientis ad agens. Respondeo hoc totum gratis confingi, quamuis enim sit relatio agentis ad patiens, & patientis ad agens; relationes tamen illæ non sunt actio & passio, vt ex eo constat, quòd relatio non est effectio alicuius rei, sed merus

respectus ad terminum; actio verò est productio formæ in subiecto. Ac præterea relatio agentis ad patiens est in agente, actio verò ex communi sententia, est in ipso patiente; cum sit effectio formæ in subiecto, quæ à forma quæ fit realiter, non distinguitur, adeóque est in eodem subiecto cum illa. Quare etsi relationes prædictæ fundentur in actione, & passione; actio tamen & passio non sunt formaliter relationes.

Quæritur 3. quænam sint proprietates actionis & passionis. Respondeo duas ab Arist. cap. 9, assignari, quarum prima est recipere contrarietatem, nam calefacere & refrigerare, nec non calefieri & refrigerari contrarietatem recipiunt. Secunda est, recipere magis & minus, vt patet in iisdem exemplis; nam agentia calefacere & refrigerare, & subiecta calefieri & refrigerari magis & minus contingit.

Vbi obseruandum est proprietates illas competere actioni & passioni ratione qualitatis, nam ideo calefacere & frigefacere, calefieri & frigefieri sunt contraria, quia calor & frigus sunt contraria. Et rursus ideo calefacere & frigefacere, calefieri & refrigerari recipiunt magis & minus, quia calor & frigus possunt intendi & remitti.

ARTICVLVS V.

De Prædicamentis, Quando & vbi.

QVæritur 1. Quid per *Quando* hic intelligatur: Respondeo *quando* ex Gilberto esse *id quod ex adiacentia temporis relinquitur*. Id est, quod in re temporali resultat, ex eo quod

hoc vel illo tempore existit. Verùm quid illud sit quod ex temporis adjacentia relinquitur, non satis exploratum est.

Nonnulli dicunt, quando constitui per intrinsecam durationem cuiusque rei, ita vt forma huius prædicamenti sit duratio ipsa, subiectum sit motus, vel alia res durans, effectus verò formalis sit durare in esse. Verùm hæc opinio non satis cohæret cum sententia Arist. qui cap.4. vbi enumerat Categorias, de ista hæc tantùm habet, *Quando, vt heri, superiori anno.* Quibus verbis apertè innuit hoc prædicamentum sumi per ordinem ad tempus externum, quod à motu primi mobilis sumitur, ac proinde non consistere in duratione rei interna. Et hoc satis patet ex ipso vsu, siquidem interrogati quando res durauit in esse, Respondemus per tempus externum.

Cùm ergo fatendum sit hoc prædicamentum explicandum esse per ordinem ad tempus externum, dubium manet quidnam illud sit quod ex talis temporis adjacentia relinquitur, seu quod v. c. in Petro resultat ex eo quod hoc tempore existit, aut resultauit in illo ex eo quod extiterit tempore præterito; aut resultabit in illo, ex eo quod anno sequenti extiturus sit.

Qua in re tres sunt dicendi modi, primus eorum qui putant, id quod ex adjacentia temporis relinquitur, aliud nihil esse quàm relationem quandam, quæ ex applicatione temporis ad rem temporalem resultat, sicut mensuræ ad mensuratum; eo modo quo ex applicatione vlnæ ad pannum, consurgit quidam respectus conformitatis inter vlnam, & pannum. Alij putant ex adjacentia temporis resultare modum quendam realem absolutum

in ipsis rebus tempori subjectis. Alij tandem existimant quando prædicamentale nihil aliud esse, quàm extrinsecam denominationem sumptam à tempore externo, quâ res dicitur esse hodie, hoc mense, hoc anno; aut fuisse hesterna die, mense, vel anno præterito; aut futura esse crastina die, mense, vel anno sequenti. Et hic tertius modus videtur aliis præferendus, vt ex aliàs dicendis supponitur.

Ex quibus collige, res tantùm temporales propriè loquendo constitui in hoc prædicamento, quoad denominationem illam existendi in tempore, cùm res spirituales à tempore sint absolutæ. Aliqui tamen putant eiusmodi denominationem etiam Angelis conuenire, quia sunt in tempore per quandam coëxistentiam, dicimus enim Angelos esse hodie, & omni tempore. Verùm si hæc ratio valeret, æquè concluderet denominationem huius prædicamenti ipsi Deo competere; cùm verè Deus sit hodie, & omni tempore.

Quæritur 2. quænam sint proprietates huius prædicamenti. Respondeo duas communiter assignari; prima est non habere contrarium; esse enim hodie, vel hoc mense non habet contrarium. Secunda non suscipere magis & minus, licet suscipiat maius & minus; rerum enim quæ hodie existunt, vna non dicitur magis existere quàm alia: Si tamen vna pereunte alia cras existat, hæc dicetur maiori seu longiori tempore existere.

Quæritur 3. Quid sit vbi. Respondeo hoc prædicamentum ab Aristot. cap. 9. explicari tantum per exempla, vt esse in Licæo; in foro; à Gilberto verò sic definiri, *Vbi est circumscriptio corporis à circumscriptione loci proueniens*, quibus verbis innuere videtur, vbi esse

sunt, non nisi distinctis responsionibus satisfieri possit. An autem situs addat modum aliquem realem supra rem situatam, per quem denominetur jacens, vel sedens, ex dicendis de vbi determinandum erit.

Quæritur 2. quot sint proprietates situs. Respondeo tres posse assignari, quarum prima est, non habere contrarium; licet enim vna positio corporis in loco alteri repugnet, vt stare, & sedere, hæc tamen non est propria contrarietas, sed diuersitas essentialis, qualis inter figuras reperitur.

Secunda est non suscipere magis & minùs; nam etsi ex vsu communi, dicamus aliquid esse modò magis, modò minùs erectum, aut curuatum, hoc habet locum respectu diuersarum positionum, non respectu eiusdem; vt requiri ad veram intensionem & remissionem patet exemplo qualitatum, quæ in se graduum intensionem & remissionem admittunt.

Tertia est, non conuenire nisi rei materiali & corporeæ, cum spiritualis, vtpotè carens partibus, non possit habere partes dispositas in ordine ad locum. Quamuis autem situs propriè competat animalibus, quia ob diuersitatem & mobilitatem membrorum varias positiones ad locum habere possunt; negari tamen non potest, quin etiam aliquo modo competat rebus inanimatis, quarum aliæ sunt erectæ, aliæ jacentes, aliæ alio modo ad locum dispositæ.

Quæritur 3. quid sit habitus. Respondeo ab Arist. habitum non explicari cap. 9. nisi exemplis, cùm ait, *habere quidem significat calceatum esse, armatum esse:* à Gilberto verò sic definiri, *Habitus est corporum, & eorum quæ circa corpus*

ſunt, adiacentia: ex quibus verbis aliqui colligunt, habere eſſe quemdam modum realem ex veſtibus reſultantem in corpore veſtito; quòd tamen ab alijs communiſſimè negatur, vt aliàs dicemus.

Quæritur 4. quarumnam rerum habitus ſpectet ad hoc prædicamentum. Reſpondeo 1. ad illud non pertinere veſtes & arma quæ natura conceſſit animalibus, quia ſunt potius partes ad eorum integritatem ſpectantes. 2. ad illud propriè ſpectare veſtes arte confectas, quæ primariò inſtitutæ ſunt ad vſum hominum. 3. ad hoc etiam extendi veſtes quæ interdum tribuuntur animalibus, vt ſimijs; aut etiam rebus inanimatis, vt imaginibus, & ſtatuis. 4. ad illud quoque pertinere tapetia, & aulæa quibus palatia & templa ornantur. 5. ad illud præterea ex vſu communi, reduci omnes denominationes prouenientes ab aliqua ſubſtantia, per modum ornamenti alteri appoſita; quales ſunt deauratio, dealbatio, & ſimiles quæ ad nullum aliud prædicamentum propriè ſpectant.

Quæritur 5. quot ſint proprietates habitus. Reſpondeo tres aſsignari, quarum prima eſt, non habere contrarium; ſiquidem pileatum, aut galeatum eſſe non ſunt contraria. Secunda, ſuſcipere magis & minus, non quidem per intenſionem & remiſsionem, vt fit in qualitatibus, ſed per additionem aut detractionem alicuius veſtis; qua ratione qui pluribus veſtimentis indutus eſt, dicitur magis veſtitus. Tertia vt veſtis propria vnius partis totum denominet, qua ratione homo dicitur pileatus, calceatus; etſi pileum in ſolo capite geſtet, & calceos in pedibus.

Hactenus de Categoriis tùm in genere, cùm in specie pro nostro instituto satis, reliqua enim quæ huc congeri solent, in Metaphysica commodiorem sedem habebunt. Quia tamen in Logica tradenda sunt quæ ad directionem cognitionis magis necessaria videntur, non abs re erit, breuem hoc loco rerum omnium delineationem, huic directioni non parum profuturam, antequam vlterius progrediamur, ob oculos ponere.

SCHEMA GENERALE *totius entis.*

ENs aliud est simpliciter increatum, aliud simpliciter creatum, aliud quodammodo mixtum ex creato & increato.

Ens simpliciter increatum est Deus vnus in essentia, & Trinus in personis, quarum prima est Pater, secunda Filius, tertia Spiritus sanctus.

Ens simpliciter creatum, vel est substantia, vel accidens. Substantia verò alia est completa, alia incompleta. Substantia incompleta vel est essentialis, vel integrans; essentialis vel est Metaphysica, quæ continet genus & differentiam; vel Physica, quæ materiam tam cœlestem quam sublunarem complectitur; itemque formam sub qua comprehenduntur formæ omnes rerum inanimatarum, vt lapidum, metallorum, &c. & animatarum, siue sint vegetatiuæ, vt plantæ; siue sensitiuæ, vt bruta; siue rationales, vt homo: at verò integrans vel est homogenea, vt guttæ aquæ, vini olei; vel heterogenea vt manus, pes, oculus.

Subſtantia completa vel eſt ſpiritualis, vel corporea; ſpiritualis diuiditur in tres Hierarchias, & nouem Ordines Angelorum, nempe in Seraphinos, Cherubinos, & Thronos qui ad primam Hierarchiam: in Dominationes, Principatus, & Poteſtates quæ ad ſecundam: in Virtutes, Archangelos, & Angelos qui ad tertiam & infimam ſpectant.

Subſtantia corporea vel eſt ſimplex vel mixta: ſimplex continet cælos omnes, quorum numerus incertus eſt; & quatuor elementa, nempe Ignem, Aerem, Aquam, & Terram. Mixta verò complectitur reliqua omnia corpora ſublunaria, cùm hæc ex elementis componantur.

Verum ſubſtantia mixta alia eſt imperfecta, alia perfecta. Imperfecta continet meteora, vt pluuiam, grandinem, ventos; perfecta verò vel eſt inanimata, ad quam reducuntur metalla vt aurum, argentum, &c. mineralia vt ſulphur & ſal: liquores naturales vt vinum & lac, itemque arte confecti, vt aquæ ſtillatæ; ac denique lapides ſiue pretioſi, ſiue communes.

Vel eſt animata, eaque aut ſenſitiua ad quam ſpectat animal, tum rationale quod eſt homo, tum irrationale quod in ſpecies fere innumeras brutorum diuiditur; aut inſenſitiua, quæ ſpecies omnes arborum, fruticum, herbarum & radicum complectitur.

Hæc de ſubſtantia. Iam verò accidens diuiditur in nouem prædicamenta, nempe in quantitatem, qualitatem, relationem, actionem, paſſionem, quando, vbi, ſitum eſſe, habere.

Quantitas vulgò diuiditur in continuam & diſcretam; continua ponitur duplex, alia per-

manens, cuius tres assignantur species, nempe linea, superficies, & corpus; alia successiua quæ à nonnullis diuiditur in tempus & motum. Discreta etiam diuidi solet in permanentem & successiuam, quarum illa est numerus, hæc verò oratio, vt nonnulli arbitrantur.

Qualitas diuiditur in habitum & dispositionem, naturalem potentiam & impotentiam, patibilem qualitatem & passionem, formam & figuram.

Habitus alius est infusus, alius acquisitus; ad infusum spectant lumen gloriæ, gratia sanctificans, virtutes Theologicæ, & dona Spiritus sancti; ad acquisitum verò omnes habitus, siue sint corporis, siue animi, siue intellectus, siue voluntatis, alteriusve potentiæ qui naturaliter acquiruntur; adeoque omnes scientiæ tam speculatiuæ, quàm practicæ; omnes artes tam liberales, quàm mechanicæ; omnesque virtutes morales, & habitus iis oppositi.

Naturalis potentia includit vires omnes à natura tributas, siue spiritibus ad intelligendum, volendum, loco mouendum; siue corporibus tam simplicibus, quàm mixtis; tam perfectis, quàm imperfectis; tam animatis, quàm inanimatis, ad proprias & connaturales operationes eliciendas. Vnde huc referuntur facultates omnes animæ vegetatiuæ, quæ ad nutritionem, augmentum, & generationem spectant. Itemque omnes vires animæ sensitiuæ, quarum ope animalia actiones sensuum tam externas, quam internas eliciunt, obiecta sibi congrua appetunt, & quærunt, nociua verò auersantur & fugiunt. Huc etiam referuntur proprietates mirabiles quæ in qui-

busdam plantis, herbis, lapidibus, aliisque corporibus reperiuntur.

Patibilis qualitas complectitur maximè omnia sensibilia quæ vnico sensu percipiuntur, vt lucem, & colores omnes qui visu; & sonos, qui auditu; & odores, qui olfactu; & sapores, qui gustu; & qualitates tactiles, seu primas & elementales, nempe calorem, frigus, humiditatem, & siccitatem, quæ tactu percipiuntur. Ad illam etiam reduci possunt sensibilia, quæ communia dicuntur, seu qualitates quæ pluribus sensibus percipiuntur, vt sunt rarum & densum, asperum & læue, molle & durum.

Forma & figura complectitur tum formas naturales externas rerum omnium, vt hominum, brutorum, lapidum, &c. tum formas rerum artefactarum vt ædificiorum, vestium, supellectilium, & instrumentorum quæ ad innumeros vsus confici solent; tum figuras Mathematicas siue planas, vt circulus, triangulus; siue solidas, vt globus, cubus, pyramis.

Variæ sunt diuisiones relationis, quæ ex supradictis repeti possunt. Præcipua est in transcendentalem, qualis est accidentis ad subiectum, materiæ ad formam, & formæ ad materiam, potentiæ & habitus ad actus & obiecta, & creaturæ ad creatorem; & prædicamentalem seu categoricam, quam multi aiunt fundari vel in vnitate siue generica, qualis est inter hominem, & equum in ratione animalis; siue specifica qualis inter Petrum, & Paulum vt homines reperitur. Vel in actione & passione, vt relatio patris ad filium, & filij ad patrem. Vel in mensura & mensurato, vt relatio imagi-

nis ad prototypum, & prototypi ad imaginem.

Actio alia est supernaturalis, alia naturalis, alia artificiosa. Supernaturalis vel est extraordinaria, & miraculosa, vt suscitatio mortui, cæci curatio, & similia; vel ordinaria, vt operationes omnes quæ per principia gratiæ supernaturalia fiunt.

Actio naturalis vel est spiritualis, vel corporea; spiritualis spectat ad Angelos, & animas rationales, estque vel intellectio, vel volitio, vel motio localis; corporea vel est rerum animatarum, vel inanimatarum, quarum prior spectat vel ad animam vegetatiuam, vt generatio, nutritio, accretio, vel ad sensitiuam vt operationes sensuum internorum, & externorum: Itemque motiones omnes appetitus sensitiui, siue concupiscibilis, siue irascibilis, & facultatis motricis. Posterior verò continet actiones omnes elementorum, aliorumque corporum inanimatorum, siue à qualitatibus communibus, siue à specialibus eorum proprietatibus oriantur.

Actio artificiosa est omnis illa quæ à directione artis alicuius proficiscitur, siue relinquat aliquod opus post se, vt ædificatio; siue non, vt saltatio, citharizatio, & similes.

Præterea actio quadrupliciter diuidi potest: 1. in creatiuam & eductiuam. 2. in immanentem & transeuntem. 3. in substantialem & accidentalem. 4. in instantaneam, & successiuam, de quibus supra actum est. Porrò quæ iam de actione dicta sunt, ad passionem facilè aptari possunt, cum cuilibet actioni sua passio respondeat.

Quando, cùm nihil sit aliud quàm denomi-

natio à tempore externo, diuidi poteſt iuxta varias temporis differentias: Ita vt aliud ſit præteritum, aliud præſens, aliud futurum. Latius tamen interdum ſumitur pro duratione, quæ duplex eſt, permanens & ſucceſſiua, quarum prior adhuc duplex eſt, alia Angelorum, animarum rationalium, aliarumque rerum incorruptibilium; quæ cùm principium habeat, caret fine, vocaturque æuum: alia ſubſtantiarum corruptibilium, quæ principium & finem habet, vocaturque modus æui. Poſterior verò competit motui, vocaturque tempus quod diuiditur in præteritum, præſens, & futurum; itemque in annos, menſes, dies, horas, &c.

Vbi aliud eſt naturale, aliud ſupernaturale, aliud præter, vel contra naturam; ſupernaturale eſt quod alicui corpori ſupernaturaliter competit, quale eſt vbi quòd corpori Chriſti in ſacramento confertur. Naturale vel eſt commune, vt eſſe in templo, in foro; vel proprium, idque aut non circumſcriptiuum, ſeu vt vulgo loquuntur, definitiuum, quod ſpiritibus competit; aut circumſcriptiuum, quod rebus materialibus: præternaturale, vt ſi homo eſſet ſupra cælos; & contra naturam, vt dum lapis detinetur extra centrum.

Situs adæquatè diuidi poteſt in naturalem, & voluntarium ſeu ſpontaneum, quem aliqui artificioſum, vel accidentalem vocant. Naturalis eſt qui à natura rei conuenit, vt homini habere caput ſurſum, pedes deorſum; ſpontaneus verò qui ſponte aſſumitur, poteſtque innumeris modis variari, vt patet in circulatoribus.

Habere vel ſpectat ad ſimplicem veſtitum,

vt esse tunicatum, palliatum, pileatum, calceatum, vel ad ornatum, vt esse vittis redimitum; vel ad dignitatis signum, vt esse coronatum in Rege, infulatum in Pontifice; vel ad tuitionem contra hostes, vt esse galeatum, loricatum.

Atque hæc de ente simpliciter increato, & de ente simpliciter creato: superest tertium membrum huius diuisionis, nempe ens mixtum ex increato & creato, quod est Christus Dominus, verus Deus ab æterno à Deo Patre genitus; & verus homo, in tempore à Virgine Matre procreatus.

CAPVT IX.

De Post-Prædicamentis.

ARTICVLVS PRIMVS.

De Oppositis.

SEquuntur Post-Prædicamenta quæ aliud nihil continent quàm explicationem quorundam terminorum, de quibus sæpe in categoriis actum est. Itaque

Obseruandum 1. ex cap. 10. libri Categor. quatuor modis aliqua inter se opponi posse. Primò relatiuè, qua ratione duplum dimidio opponitur; secundò contrariè, quomodo malum bono opponitur; tertiò vt priuatio & habitus, seu priuatiuè, vt cæcitas, & visus: quartò vt affirmatio & negatio, seu contradictoriè, vt sedet, non sedet. Verùm ad clariorem horum intelligentiam, nonnulla addit Aristoteles loco citato quæ propriè non sunt

huius loci, cùm ad Logicum non spectet agere de oppositione quæ inter res reperitur, sed tantùm de illa quæ inter propositiones intercedit, cuius varios modos infrà expendemus. Dimissa ergo in Metaphysicam accuratiori hac de oppositis tractatione,

Obseruandum 2. quinque assignari ab Arist. cap. 11. proprietates contrariorum: prima est, quidquid bono contrariatur esse malum, vt sanitati contrarius est morbus, iustitiæ iniustitia, &c. malo autem & bonum repugnare & malum, vt defectui excessus, & mediocritas: v. c. timiditati quæ malum est, temeritas quæ etiam est malum, & fortitudo quæ bonum est.

Secunda, si vnum contrariorum est in rerum natura, non est necesse alterum esse; nam si omnes bene valeant, sanitas erit, non morbus; & si omnes sunt albi, albedo erit, non nigredo.

Tertia, contraria non possunt esse simul in eodem subiecto singulari, vt non potest Socrates simul valere, & ægrotare.

Quarta, contraria sunt in eodem genere aut specie subiecto, vt morbus & sanitas in corpore animalis, albedo & nigredo simpliciter in corpore, iustitia & iniustitia in eadem hominis anima.

Quinta, contraria vel sunt in eodem genere, vt albedo, & nigredo in genere coloris; vel in contrariis generibus, vt iustitia in genere virtutis, & iniustitia in genere vitij; vel ipsa sunt genera, nec tamen sunt in genere, vt bonum & malum: verùm de his plura loco citato.

ARTI-

ARTICVLVS II.

De Modis Prioris.

VNum dicitur prius alio quinque modis, vt patet ex cap. 12. Primò, ac maximè propriè ratione temporis, ex quo vnum alio antiquius dicitur, quomodo Alexander est prior Iulio Cæsare. Dicitur autem hæc prioris acceptio maximè propria, quia prioritas sumpta à tempore notissima est, & ab illa res primùm priores fuere nuncupatæ.

Secundò, id prius dicitur à quo non reciprocatur existendi consequentia, seu quod infertur, sed non infert; vt vnum est prius duobus, quia si sunt duo, est vnum, at non si vnum est, statim sequitur duo esse: atque hoc modo superiora sunt priora inferioribus, quia rectè colligitur si homo est, animal est; at non, si animal est, homo est. Item si Petrus est, homo est; at non si homo est, Petrus est.

Tertiò, aliquid dicitur prius ordine, quod scilicet priori loco est collocandum, quâ ratione in grammatica prius docentur litteræ quàm syllabæ, & hæ prius quàm integræ dictiones; & in oratione exordium præcedit ordine narrationem, & narratio confirmationem, hæcque epilogum.

Quartò, id videtur prius quod est melius & præstantius, imò vulgo dicitur eos priores haberi qui magis diliguntur, & honorantur: qui tamen loquendi modus est valde alienus & improprius; cùm non in re ipsa, sed in ho-

minum existimatione, plerumque vana & falsa, fundetur.

Quintus modus prioris habet locum in re, quæ cum alia conuertitur in subsistendi consequentia, estque causa vt sit; dicitur enim prior naturâ respectu illius; vt esse hominem reciprocatur secundum existendi consequentiam, cum oratione quæ verè affirmat hominem esse; nam si homo est, vera est talis oratio, & si talis oratio vera est, homo est: præterea hominem esse, est causa quòd hæc oratio sit vera, quia ex eo quod res est, vel non est, oratio dicitur vera, vel falsa: quare est natura prius illa. Similiter rationale & risibile reciprocantur, & illud est causa istius, adeoque prius natura. Cæterum quinque hi modi prioris hoc disticho, memoriæ causa, comprehensi sunt,

Tempore, naturâ, prius ordine, dic & honore,
Causam causato dicimus esse prius.

Verum hic obseruandum est præter hos omnes modos prioris, qui ab Arist. in Logica assignantur, alium admitti à Theologis ipsi ignotum, quo vna persona à qua in diuinis alia procedit, dicitur prior illa, prioritate originis, quæ cum nulla siue temporis, siue naturæ, aut causalitatis prioritate coniuncta est. Vnde non dicitur prioritas in quo, sed à quo, quatenus vna persona verè est ab alia, quæ non prius tempore, vel natura existit.

ARTICVLVS III.

De Modis simul.

TRibus modis aliqua dicuntur esse simul, vt patet ex cap. 13. primo simpliciter & maximè propriè, quorum ortus est in eodem tempore.

Secundò, aliqua dicuntur simul natura, quæ scilicet reciprocantur quidem secundum existendi consecutionem, sed nullo modo alterum est causa cur alterum sit, vt patet in duplo & dimidio; hæc enim reciprocantur, quia cum duplum est, dimidium quoque est, & cùm dimidium est, duplum quoque est; neutrum verò est causa cur alterum sit.

Tertiò, ea simul natura dicuntur, quæ ex eodem genere sibi inuicem in diuisione opponuntur; vt volucre, terrestre, & aquatile, quæ animal ex æquo diuidunt: genera verò speciebus semper priora sunt, quia non reciprocantur secundum existendi consequentiam; vt si est aquatile, est animal, at si est animal, non illico est aquatile. Ad pleniorem autem horum intelligentiam,

Obseruandum 1. simultatem vt hic sumitur, dicere negationem prioris & posterioris, ita vt ea sint simul, quæ sic existunt vt vnum non sit prius, aut posterius alio sub ea ratione qua sunt simul. Quod adeo, quia non repugnat ea quæ sunt simul vno modo, habere inter se prioritatem & posterioritatem alio modo; vt patet quia sol & lux illius sunt simul tempore; & tamen sol est prius natura sua luce, cum sit causa illius.

Obseruandum 2. non solùm tribus modis ab Arist. assignatis quædam posse esse simul, sed etiam plerisque aliis, vt simul loco, non quidem proprio, si agatur de viribus naturæ, sed tantùm communi, vt esse in schola, in templo: simul causalitate, vt duo boues eundem currum trahentes: simul dignitate, vt duo habentes eandem autoritatem in populum, adeo vt vnus nihil possit sine consensu alterius: simul opinione, affectu, &c.

Obseruandum 3. circa primam simultatem assignatam ab Arist. etsi simul tempore ij tantùm ab eo dicantur, qui eodem nascuntur tempore; non absimili ratione dici posse simul tempore eos qui eodem tempore moriuntur, ita vt priores sint simul tempore quoad inceptionem, posteriores verò quoad desitionem, & qui simul nascuntur, & intereunt, quoad vtrumque. Plerumque tamen qui aliquanto vitæ tempore inuicem coexistunt, dicuntur esse simul tempore, adeoque & contemporanei appellantur, etsi simul nec inceperint, nec desierint; qua ratione Plato, & Aristoteles simul tempore fuerunt.

Obseruandum 4. circa secundam simultatem, vt aliqua dicantur simul natura, requiri duas conditiones, alteram vt reciprocentur tàm quoad positionem, quàm quoad ablationem, ita scilicet vt vno posito vel ablato, aliud ponatur vel tollatur; alteram vt neutrum sit propriè causa alterius; Et hoc modo relatiua omnia sunt simul natura, cùm inter se reciprocentur, & vt sic, vnum non sit causa alterius, quin potius sibi inuicem opponantur. Vnde etsi homo vt generans, sit causa filij, vt geniti, & ita sit illo prior natura; pater tamen, vt pater, non

est causa filij, vt filius est, neque est illo prior natura, sed ambo sunt simul natura.

Obseruandum 5. circa tertiam simultatem, vt aliqua dicantur simul natura in diuisione generis, ea debere ex æquo genus diuidere, seu sine ordine prioris & posterioris, quomodo rationale & irrationale diuidunt animal, non enim rationale prius participat rationem animalis, quàm irrationale, esto si secundum se consideretur, sit perfectius irrationali, & eatenus prioritatem perfectionis habeat respectu illius.

ARTICVLVS IV.

De variis generibus motus.

ARistoteles cap. 14. docet primò sex esse species motus, nempe ortum, interitum, auctionem, diminutionem, variationem & secundum locum mutationem.


Quo loco aduerte 1. motum hic sumi latè pro quacunque mutatione siue instantanea, siue successiua. 2. ortum seu generationem esse motum à non esse substantiæ, ad esse substantiæ. 3. interitum seu corruptionem esse motum ab esse substantiæ, ad non esse substantiæ. 4. auctionem, seu augmentum vel accretionem esse motum à minori ad maiorem quantitatem. 5. diminutionem seu decretionem esse motum à maiori ad minorem quantitatem. 6. variationem seu alterationem esse motum ab vna qualitate ad oppositam, vt à calore ad frigus. 7. mutationem se-

cundum locum, ſeu lationem eſſe tranſitum ab vno loco ad alium.

Docet ſecundò,clarum eſſe ortum non eſſe interitum, auctionem non eſſe diminutionem, nec ſecundum locum mutationem. Dubitari verò poſſe num alteratio ſit diſtincta ab omnibus aliis motibus; quia quod alteratur videtur ſecundum aliquem reliquorum motuum variari.

Verum quod ab iis diſtinguatur probat dupliciter, primò quia contingit nos ſecundum omnes, aut plurimas paſſiones variari, nulla alia mutatione in nobis facta: qui enim ira afficitur, non generatur, nec corrumpitur; non augetur, nec minuitur, nec neceſſe eſt vt localiter moueatur: at aliqua ex iis mutationibus deberet illi contingere, ſi alteratio ab iis non diſtingueretur.

Probat ſecundò, quia ſi alteratio coincideret cum aliis mutationibus, oporteret alterari id quod augetur, vel alio modo mouetur, quod tamen falſum eſt: ſiquidem quadratum, circumpoſito gnomone, augetur, nec tamen variatur, cum addito tali augmento, ſemper maneat gradatum, vt patet in iſta figura.



Docet tertiò motui simpliciter oppositam esse quietem, cuius ratio afferri potest, quia quies nihil aliud esse videtur quàm priuatio motus, singulas verò species motus in particulari sua habere contraria, nam ortui repugnat interitus, augmento decretio, loci mutationi quies in loco, & maximè mutatio in locum contrarium, vt descensui ascensus, & ascensui descensus. Ac similiter dici potest alterationi secundum qualitatem, opponi quietem in qualitate, vel mutationem in contrariam qualitatem. Vt autem hoc clariùs percipias,

Aduerte 1. in motu duos esse terminos, alterum à quo, alterum ad quem, vt in aquæ calefactione terminus à quo est frigiditas, terminus verò ad quem est calor: siquidem aqua per calefactionem ex frigida fit calida, adeoque à frigiditate vt à termino à quo, tendit ad calorem, vt ad terminum ad quem.

Aduerte 2. aliter opponi motum motui, aliter quietem; siquidem motui opponitur motus ratione termini ad quem, vt frigefactioni, quæ est motus ad frigus, calefactio quæ est motus ad calorem frigori contrarium; at motui non opponitur quies in termino ad quem, cum motus ad illam quietem per se tendat, vt calefactio ad quietem in calore producto, & motus naturalis grauium ad quietem in loco inferiori; sed quies in termino à quo, vt calefactioni quies in frigore, ad cuius destructionem calefactio tendit. Sicut enim frigus repugnat calori, ita & quietem in frigore calefactioni, quæ est quidam discessus à frigore, repugnare necesse est.

ARTICVLVS V.

De Modis habendi.

HAbere multis modis sumitur, vt patet ex cap. 15. primò secundum habitum aut dispositionem, aliamue qualitatem; nam dicimur scientiam habere, & virtutem.

Secundò, secundum quantitatem; vt dum quis dicitur habere magnitudinem quatuor, aut quinque cubitorum.

Tertiò, secundum ea quæ sunt circa corpus; vt habere vestimentum, aut tunicam.

Quartò, vt in parte; sicut dicimur habere annulum in manu, & pileum in capite.

Quintò, vt partem, sicut dicimur habere manum, aut pedem.

Sextò, vt in vase, quomodo modius habet triticum, & amphora vinum.

Septimo, vt possessionem; dicimur enim habere domum, aut argentum.

Octauò, dicitur etiam vir mulierem habere, & mulier virum, sed valdè impropriè, quia hoc nihil aliud significat quàm virum esse matrimonio iunctum fœminæ, & vice versa.

CAPVT X.

De Definitione.

ARTICVLVS PRIMVS.

Quid sit definitio.

PRæmoneo 1. non opus esse hic inquirere an possibilis sit, aut detur definitio, cùm nemo ignoret innumeras circumferri rerum definitiones; & aliunde dici non possit frustraneum esse, prorsusque inanem appetitum illum naturalem qui viget in omnibus hominibus, cognoscendi naturas & quidditates rerum, quod fit per definitionem.

Præmoneo 2. non immeritò hoc loco tractari de definitione, postquam actum est de vniuersalibus,& categoriis. Cùm enim vniuersalia & categoriæ sint simplices termini, eorum tractatio præcedere debet tractationem definitionis, quæ est oratio constans vt minimum ex duobus terminis, vt statim dicetur. Accedit quod Porphyrius monet in præfatione suæ Introductionis, tractatum quinque prædicabilium non parum iuuare ad definitiones rectè construendas. Nec dubium est quin Categoriarum tractatio ad id etiam valde conducat, vt res ipsa ostendit.

Præmoneo 3. tractationem definitionis præmittendam esse disputationibus sequentibus, quibus agetur de iis quæ propriè spectant ad secundam mentis operationem. Licet enim definitio quatenus sumitur pro enunciatione, quâ ipsa affirmatur de definito, spectet ad

ſecundam mentis operationem, vt cùm dico, homo eſt animal rationale; ſi tamen ſumatur præcisè vt eſt definitio, ſeu quatenus dicit ſolam hominis quidditatem ſub illis terminis, animal rationale, ſine vlla affirmatione apprehenſam; certum eſt hoc modo eam ſpectare ad primam mentis operationem, ac proinde de illa agendum, priuſquam de enunciatione, aut de diuiſione diſputetur.

Præmoneo 4. definitionem in primis multum iuuare ad directionem primæ mentis operationis, quæ eſt ſimplex apprehenſio; cùm res nunquam meliùs apprehendatur, quàm cùm explicitè concipitur illius eſſentia, quod fit per definitionem. Hinc autem manifeſtum fit definitionem etiam non parum conducere ad alias operationes mentis dirigendas; quia cognitâ explicitè rei naturâ per partes illius eſſentiales, facilè intelligitur quid de ea affirmandum, quid negandum ſit, quod fit per enunciationem; item quid per diſcurſum ex ea colligi debeat, aut non debeat. Atque his ſuppoſitis ad propoſitam difficultatem,

Reſpondeo definitionem hoc modo communiter deſcribi, *Definitio eſt oratio explicans naturam rei*. Dicitur *oratio*, non quidem perfecta, qua vnum affirmatur de alio, ſed imperfecta conſtans ex pluribus terminis ſine vlla affirmatione, vt patet ex antedictis. Additur verò, *explicans naturam rei*, quia cùm per nomen rei definitæ illius natura confusè intelligatur, definitio id habet proprium, vt naturam rei clarè & diſtinctè explicet, vt conſtat ex definitione illa hominis, animal rationale, qua explicitè declaratur quod non niſi confusè ſub voce, *homo* continetur.

Ex quibus collige 1. quidquid propriè defi-

nitur, debere aliquo modo constare ex partibus, nam cum definitio distinctè explicet naturam & essentiam rei, constetque ex partibus, hinc necessariò sequitur in re definita ponendas esse proportionaliter eas partes quæ sunt in definitione. Vnde cùm homo definiatur animal rationale, necesse est in homine reperiri conceptus obiectiuos animalis & rationalis, qui per definitionem illam repræsentantur. Contra verò cùm in Deo nulla sit compositio ex partibus, hinc sequitur Deum propriè definiri non posse.

Collige 2. definitionem accuratam debere constare ex genere & differentia. Cùm enim distinctè explicet naturam rei, & res definita in sua essentia contineat duos conceptus, alterum quem habet communem cum alijs rebus, alterum sibi proprium quo ab ijs distinguitur, necessariò constare debet ex genere, quod est gradus communis, & ex differentiâ quæ est gradus proprius, & distinctiuus.

Collige 3. definitionem debere constare ex solo genere proximo, & ex vltima differentia; ex illo quidem, quia frustrà alia genera adhiberentur, cum in eo essentialiter contineantur, vt viuens, corpus, & substantia in animali: ex ista verò; quia collectio multarum differentiarum communium non tam accuratè essentiam rei explicat, quàm differentia illius vltima, quæ cum ea reciprocatur; haeque posita cum genere proximo, aliæ sunt superfluæ. Interdum tamen deficiente differentia vltima, assumi potest loco illius proprietas, vel collectio differentiarum genericarum, vt omnes fatentur.

ARTICVLVS II.

Quotuplex sit definitio.

VAriæ afferri possunt diuisiones definitionis: In primis definitio diuiditur in definitionem nominis, & definitionem rei. Definitio nominis est cùm quid nomen significet vtcumque declaratur, vt cùm dico triangulum esse quod habet tres angulos, ducem eum esse qui ducit exercitum, &c. Definitio verò rei est quæ naturam rei declarat, vt cùm homo definitur, animal rationale.

Deinde definitio rei vel est essentialis, vel non essentialis; essentialis dicitur quæ fit per partes rei essentiales, estque duplex, nempe Physica & Metaphysica. Physica est quæ fit per partes essentiales Physicas, nempe materiam & formam, vt cum homo definitur compositum constans ex corpore organico, & anima rationali; Metaphysica verò quæ fit per partes essentiales Metaphysicas, genus nempe & differentiam, vt cum homo definitur animal rationale. Non essentialis verò dicitur, quæ fit per aliud quàm per partes essentiales siue Physicas, siue Metaphysicas.

Præterea non essentialis vel est descriptiua, vel causalis; descriptiua dicitur quæ fit vel per proprium genus, & proprietatem, vt cùm homo definitur animal risibile, vel per multa accidentia communia, quorum collectio soli definito competit; vt cùm iuxta Platonem homo definitur animal implume, bipes, magni cerebri: causalis verò dicitur, quæ fit per causas rei quæ definitur.

Rursus quia quatuor sunt genera causarum, nempe efficiens, formalis, finalis, & materialis; quidam dicunt definitionem causalem esse illam quæ fit per aliquam ex his causis quæcumque sit. Verùm quia materia & forma sunt partes essentiales compositi, adeoque definitio essentialis per illas dari potest, vt ante aduertimus; congruentius videtur ad definitiones purè causales eas tantùm reducere, quæ sumuntur à causa efficiente, vel finali.

Vnde definitio causalis potest esse triplex, prima à causa efficiente sola, vt si definias hominem animal à Deo creatum. Secunda à causa finali sola, vt si hominem definias, animal creatum ad beatitudinem æternam. Tertia à causa efficiente simul & finali, vt si hominem definias, animal creatum à Deo ad beatitudinem æternam. Verùm prima ex iis definitionibus omnino est imperfecta, & inutilis, cum omnibus animalibus conueniat, vt perspicuum est; aliæ verò naturam hominis meliùs declarant quàm descriptio illa quæ supra ex Platone allata est, adeoque magis ad rationem veræ definitionis accedunt.

Definitio essentialis potest adhuc diuidi in puram & mixtam; essentialis pura, ea est quæ fit tantùm per partes rei definitæ essentiales, siue Physicas, siue Metaphysicas; mixta verò dicitur quæ declarat essentiam rei, per ordinem ad aliquid quod ipsi est extrinsecum, quod variis modis contingere potest; primò cum relatiuum definitur per ordinem ad suum correlatiuum, vt cum pater dicitur filij pater, & filius patris filius. Secundò cum accidens definitur per ordinem ad subiectum, vt si risibile definiatur, homo aptus ad ridendum. Tertiò cum potentia definitur per ordinem ad

obiectum, vt si visus definiatur, sensus externus quo res coloratæ percipiuntur. Quamuis enim ordo relatiui ad correlatiuum, accidentis ad subiectum, & potentiæ ad obiectum sit intrinsecus & essentialis; termini tamen ipsi sunt extrinseci rei definitæ, & ad illius essentiam spectare non possunt.

ARTICVLVS III.

Quænam sint conditiones, seu præcepta & canones legitimæ definitionis.

RESpondeo istas conditiones definitionis à Logicis assignari, ad quas aliæ nonnullæ reduci possunt. Prima est, vt definitio sit clarior definito, quod non modo definitioni essentiali, sed etiam descriptiuæ, & vno verbo cuicunque definitioni competere debet. Quia cùm definitio instituta sit ad declarandam rei naturam, frustra adhiberetur nisi esset clarior re definita, ac multo magis si esset obscurior.

Dicitur autem definitio clarior definito, quando conceptus formalis illi respondens clariùs & expressiùs represéntat naturã definiti, quàm conceptus formalis illius nomini respondens. Quomodo illa definitio hominis, animal rationale, est clarior definito, cum conceptus illi respondens melius repræsentet essentiam hominis, quàm cõceptus respondens voci, homo. Vnde collige, quando homo dicitur arbor inuersa, & somnus mortis imago, has similesque descriptiones à Philosophia ablegãdas esse, cùm sint obscuriores re definita, esto ab oratoribus & poetis plerumque vsurpentur.

Secunda est vt definitio conuertatur cum definito, ita scilicet vt neque alteri competat quàm definito, neque vllum sit definitum, cui non conueniat. Et ratio est, quia cùm legitima definitio debeat explicare naturam rei, ea debet tantum extendi quantum natura quam explicat; hæc autem omni definito, & nulli alteri competit. Vnde si quis definiret equum animal quadrupes, ea definitio non esset legitima, quia non tantum equo, sed etiam innumeris aliis brutorum speciebus competeret. Item si equus definiretur animal ferox & bellicosum, definitio esset diminuta, quia qualitates istæ omnibus equis non competunt.

Tertia vt definitio nihil superfluum contineat, nihilque necessarium illi desit. Ratio prioris partis est, quia si aliquid superfluum contineret, in errorem facilè induceret: vel enim terminus superfluè additus exprimeret aliquid extrinsecum rei definitæ, vel aliquid essentiale per aliam particulam sufficienter expressum. Si aliquid extrinsecum, occasio esset existimandi illud extrinsecum esse de essentia rei definitæ, si vero aliquid essentiale, sufficienter aliàs expressum, occasio daretur credendi vnum & idem attributum esse duo attributa distincta; v. c. sentiens distingui ab animali, & in eo non contineri, si equus definiretur, animal sentiens, hinnibile.

Ratio posterioris partis est, quia definitio debet explicare totam essentiam rei definitæ; quare nihil prætermittere debet, siue ex parte generis, siue ex parte differentiæ, quod ad eam sufficienter declarandam sit necessarium. Vnde intelligis hominem diminutè definiri, substantiam rationalem, cum ex parte generis non exprimatur ratio corporis, viuentis, &

ſentientis quæ ad eſſentiam hominis ſpectat; & aliunde homo per illa verba non ſatis diſtinguatur ab Angelo, qui ſubſtantia rationalis non incongruè dici poteſt.

Quarta eſt, vt definitio ſit breuis & paucis verbis contineatur: Cùm enim definitiones rerum ſint præcipui momenti in Philoſophia, earumque frequentiſſimus ſit vſus, tales eſſe debent vt facilè memoriæ mandari poſſint, & ſæpe ſine tædio in diſputationibus repeti; quod non fieret ſi multis verbis conſtarent. Vnde quamuis eſſentia hominis longè meliùs declaretur ſi definiatur ſubſtantia, corporea, viuens, ſenſitiua, & rationalis, quàm ſi definiatur animal rationale, quia ſuperiora illa prædicata non niſi implicitè & confuſè in animali continentur, poſterior tamen ex his definitionibus communiter vſurpatur in ſcholis, alterique vel ex eo capite præfertur, quia eſt breuior, & ad vſum opportunior.

Nota hic à nonnullis afferri quaſdam proprietates definitionis, vt quòd definitio non poſſit demonſtrari, quod ſit medium potiſſimæ demonſtrationis, quod explicet naturam rei, quod nec verum nec falſum ſignificet. Verùm duæ priores proprietates ſatis intelligentur ex infrà dicendis, cum de demonſtratione agetur; tertia verò non tam eſt proprietas definitionis, quàm eſſentia illius, vt patet ex Articulo 1. Ac denique quarta vlteriori expoſitione non indiget, cùm omnium conſenſu prima mentis operatio, ad quam definitio ſpectat, non ſit capax veritatis aut falſitatis complexæ, ſed tantùm incomplexæ, quæ conſiſtit in ſimplici conformitate cum obiecto, aut deformitate ab illo, ſine vlla affirmatione, aut negatione.

ARTICVLVS IV.

Quænam res definiri possint.

RESpondeo primò entia fictitia & imaginaria non posse verè & propriè definiri. Ratio est quia cùm definitio sit oratio explicans naturam & essentiam definiti, non potest propriè definiri nisi rès quæ veram aliquam naturam & essentiam habet; qualia non sunt entia fictitia & imaginaria.

Confirmatur, quia vera & accurata definitio debet constare ex genere & differentia; at entia fictitia & imaginaria non habent propriè genus & differentiam. Atque hinc collige priuationes & negationes non posse propriè definiri, cùm non sint entia vera, nec habeant propriè genus & differentiam. Dico propriè, nam cùm priuationes & negationes, itemque entia rationis aliqualem entitatem & essentiam habeant, dubium non est quin eorum ratio qualiscumque sit, per definitionem aliquam imperfectam declarari possit; vt etiam patet ex definitionibus vulgaribus quæ de illis traduntur.

Respondeo 2. entia per accidens non posse vna aliqua definitione accurata explicari. Cuius ratio est, quia etsi ens per accidens, quod est compositum ex varijs entibus per se, possit varijs definitionibus explicari, ita vt quodlibet ex illis entibus suam definitionem peculiarem habeat; repugnat tamen quod totum compositum vnica definitione explicetur, cùm ex rebus essentialiter distinctis, & accidentariò vnitis coalescat, v. c. album ex homine & albedine.

Confirmatur, nam si album, vt includit hominem, & albedinem, posset vnica definitione accurata declarari, consequenter ei competeret passio aliqua quæ per talem definitionem posset de illo demonstrari? at nulla eiusmodi passio assignari potest, quæ scilicet æqualiter competat homini & albedini, & ab vtriusque essentia fluat, cùm habeant essentias omnino diuersas. Non tamen negandum entia per accidens, sicut aliquo modo vnum constituunt, ita posse vnica definitione vtcunque declarari, vt si album definiatur corpus disgregans visum.

Respondeo 3. substantias completas & specificas propriè posse definiri. Ratio est quia vel nihil propriè definiri potest, quod absurdum est, vel posse propriè definiri eiusmodi substantiis competit, cùm constent ex genere & differentia, aliasque omnes conditiones habeant quæ ad propriam definitionem iure exigi possunt. Imò cum supra dictum sit, id quod propriè definitur debere constare ex genere & differentia, hinc concludimus non nisi species propriè definiri, cùm illæ solæ constent ex genere & differentia.

Vnde vlterius colligitur summa genera non posse propriè definiri; ea enim cùm nullum suprà se genus agnoscant, non possunt intrinsecè constare ex genere & differentia. Adde nec genera interjecta vt genera, propriè definiri; quia etsi propriè definiantur, id habent vt constant ex genere & differentia, adeoque vt species non vt genera.

Respondeo 4. etsi accidentia in concreto propriè non possint definiri, vt colligitur ex ante dictis, nihil tamen impedire quin per se sumpta & in abstracto, possint habere pro-

priam definitionem. Ratio est quia cùm sint vera entia, in quibus genus & differentia non minùs quàm in substantiis assignari possunt, nihil prohibet quin per illa propriè possint definiri.

Confirmatur, nam definitio illa albedinis, albedo est color visûs disgregatiuus, non minùs propria est quàm definitio illa equi, equus est animal hinnibile; quare cum hæc vulgò admittatur, etsi hinnibile non sit nisi proprietas equi, quia ponitur pro differentia illius quæ ignota est; nulla ratio est cur illa reijciatur, cùm esse disgregatiuum visûs vel sit differentia albedinis, vel certè proprietas quæ locum differentiæ ignotæ tenere potest.

Si dicas accidens ex Arist. 7. Metaph. tex 12. & sequentibus non posse propriè definiri: Respondeo Aristotelem nihil aliud velle quàm accidens non posse tam propriè definiri quàm substantiam; quia substantia per se ipsam definitur, accidens verò per ordinem ad substantiam, adeoque definitione per additamentum, vt vocant, quæ non est tam perfecta quàm definitio quæ ex solis essentialibus, & intrinsecis constituitur. Non tamen necesse est vt accidens semper definiatur per ordinem ad subiectum cui inhæret, vt patet ex definitione albedinis ante allata, in qua etsi supponatur inhærentia albedinis in subjecto, id tamen non exprimitur.

Respondeo 5. ex communi sententia, singularia siue substantiarum, siue accidentium propriè non definiri, sed tantum vniuersalia. Ratio est quia si definiatur indiuiduum, vel definitio tradetur per gradus essentiales, vel per indiuiduales, si per indiuiduales definitio non erit essentialis; si verò per essen-

tiales, cùm illi sint communes omnibus indi-uiduis, iam definitio non erit singularis, sed vniuersalis.

ARTICVLVS V.

Quâ viâ inquiri debet definitio accurata.

DVplex modus assignari potest inquirendi definitionem accuratam, quæ scilicet componitur ex genere & differentia: prior est per diuisionem, seu descendendo à supremo genere prædicamenti, in quo reperitur res definienda, vsque ad genus sub quo proximè collocatur, & ad differentiam per quam constituitur. Vt si definiendus sit homo, diuidenda est substantia in corpoream, & incorpoream; Deinde cùm homo sit substantia corporea, diuidendum corpus in animatum, & inanimatum; tum vero quia homo est animatus, corpus animatum seu viuens diuidi debet in sensitiuum, & non sensitiuum. Rursus quia homo est sensitiuus, sensitiuum seu animal diuidi debet in rationale, & irrationale · ac tandem cùm homo sit animal rationale, neque rationale diuidi possit nisi in particulares homines, hinc colligendum rationale esse propriam hominis differentiam adeoque genus vltimum, quod est animal, iunctum rationali, constituere definitionem hominis.

Verùm hoc modo non tantùm deprehendi potest definitio speciei infimæ, qualis est homo, sed etiam subalternæ, quale est animal: cùm in illo descensu à substantia ad hominem, priùs occurrat viuens, sensitiuum,

quod est definitio animalis, quàm animal rationale, quod est definitio hominis.

Vt autem hic modus meliùs percipiatur, alio exemplo, iuxta communem sententiam, illustrandus est. Vt definitio lineæ deprehendatur, in primis inuestigandum est illius genus, quod est quantitas. Deinde hæc diuidenda in continuam, & discretam; & quia linea non est quantitas discreta, continua diuidenda est in permanentem & successiuam; & quia linea non spectat ad quantitatem successiuam, permanens diuidenda est in longam, latam, & profundam; & quia linea est longa sine latitudine, aut profunditatē, nec quantitas longa ampliùs diuidi potest, hinc concludendum propriam definitionem lineæ esse, quod sit *quantitas permanens habens longitudinem sine latitudine*.

Posterior modus inuestigandæ definitionis est per compositionem, quæ fit ascendendo ab indiuiduis ad species infimas, & à speciebus ad genera hoc modo. Vides v. c. Petrum & Paulum aliosque omnes homines discrepare inter se quoad differentias indiuiduales, & essentialiter conuenire tum in gradibus substantiæ, corporis, viuentis, & animalis; tum in gradu rationalis. Deinde relictis differentijs indiuidualibus, comparas homines quoad ea in quibus inter se essentialiter conueniunt, cum rebus alijs, & aduertis eos ab omnibus differre quatenus sunt rationales, vnde colligis rationale esse propriam hominis differentiam. Rursus quia obseruas hominem minùs distare à brutis quàm à plantis, eò quòd sentit; & minùs à plantis quàm à lapidibus, quà est animatus; & minùs à lapidibus quàm ab Angelis, quia est corporeus,

hinc colligis animal esse genus proximius respectu hominis quàm viuens, vel corpus; indeque tandem concludis, animal rationale esse propriam hominis definitionem, vtpotè constantem ex genere proximo, & differentia specifica.

Eodem modo construi potest definitio albedinis, nam relictis hæcceitatibus seu differentijs indiuidualibus duarum albedinum, id sumendum in quo essentialiter inter se conueniunt, & cùm id in quo ita conueniùnt, vel sit ipsis proprium, vel alijs qualitatibus, conueniat, id quod illis est proprium, nempè quod visum dissipent, erit earum differentia; inter ea verò quæ ipsis cum alijs qualitatibus sunt communia, vt quod sint qualitates, & naturales, & patibiles, pro genere proximo hoc postremum sumendum est; eò quòd albedo minus distat à qualitatibus patibilibus quàm ab alijs, adeoque albedo rectè definitur qualitas patibilis visus disgregatiua.

Verùm, quia vt definitio alicuius rei rectè constituatur, ea ad suam Categoriam reducenda est, vt antè monuimus, inquiret aliquis quonam modo cognosci possit, ad quam Categoriam spectet id cuius definitio inuestigatur. Respondeo id duplici via cognosci posse, primò discurrendo per proprietates omnium prædicamentorum. Cùm enim compertum fuerit omnes alicuius prædicati proprietates rei definiendæ competere, certum erit eam ad illud prædicatum spectare, v. c. hominem spectare ad prædicamentum substantiæ, quia substantiæ proprietates illi conueniunt, &c.

Secundò considerando quid de re definien-

da primò essentialiter prædicetur, tum verò quid de tali attributo essentialiter dicatur; sic enim nullo negotio illius prædicatum inuestigabitur, per regulam primam antepræ-dicamentalem, de qua superius actum est. Atque hic modus eò facilior est, quòd plerumque primum rei cuiuslibet prædicatum essentiale notissimum est; cùm nemo ignorét v. c. hominem esse animal, albedinem esse colorem, &c. Hic etiam modus non est adeò operosus ac præcedens, quia cùm decem sint prædicamenta, & quodlibet multas habeat proprietates, non nisi longo tempore, deprehendi potest discurrendo per illas, in qua Categoria rei definienda constitui debeat. Est etiam illo tutior, cùm nùn raro eædem proprietates diuersis prædicamentis tribuantur, vt patet ex supradictis.

LIBER II.

DE IIS QVÆ SPECTANT ad directionem secundæ mentis operationis.

Agendum est hoc libro de Enunciatione, variisque speciebus & affectionibus illius: ac præterea de diuisione, quia hæc speciatim ad directionem secundæ operationis intellectus conducunt.

CAPVT PRIMVM.

De principiis Enunciationis.

ARTICVLVS PRIMVS.

De Signo.

PRÆMONEO 1. quæ hactenus à nobis tractata sunt spectare præsertim ad directionem primæ mentis operationis, quæ in simplici apprehensione sine vlla affirmatione aut negatione consistit. Quæ

Quæ verò sequuntur pertinere ad directionem secundæ, qua aliquid de aliquo affirmamus aut negamus.

PRÆMONEO 2. Enunciationem esse orationem, ad orationem verò requiri nomen & verbum, nomen autem & verbum esse voces, & voces esse signa, adeoque non incongruè priusquam de ipsa Enunciatione disseramus, de signo, de voce, de nomine, de verbo, ac de oratione aliqua à nobis prælibanda esse.

PRÆMONEO 3. Aristotelem postquam egit in libro Categor. de vocibus simplicibus, tractare in libro de Interpretatione (quem Latini expositores vulgò in duos diuidunt) de terminis complexis, seu de Enunciatione: vt tandem perueniat ad Syllogismi constructionem, quam maximè intendit. Ideo autem liber ille inscriptus est de Interpretatione, quia per Enunciationem, de qua ex professo disputat, sensa nostra alijs aperimus, & veluti interpretamur. His præmissis

Quæritur 1. quid sit signum. Respondeo 1. signum ex August. lib. 1. de doctrina Christiana capit. 1. communiter à Theologis, & Philosophis definiri, *Id quod præter speciem quam ingerit sensibus, aliquid aliud facit in cognitionem venire.* Verùm hæc definitio non videtur satis accurata, tum quia non complectitur signa formalia, sed instrumentalia duntaxat; cùm ista tantum mediante sui cognitione in cognitionem alterius rei nos ducant; tum quia iuxta illam, causæ possunt dici signa suorum effectuum, cùm in eorum cognitionem nos ducant; quod tamen communi sensui repugnat.

RESPONDEO 2. signum propriè ac-

ceptum definiri posse, *Id quod est institutum ad aliquid significandum.* Licet enim ad signum improprium sufficiat quod ducat in cognitionem alterius rei, ad proprium tamen signum requiritur, quod vel à natura, vel ab hominum voluntate sit institutum ad rem illam significandam. Qua ratione cognitio est propriè signum objecti quod naturaliter repræsentat; voces sunt signa rerum, quas ex hominum instituto significant; & picturæ sunt signa eorum quæ per illas repræsentantur. Contra verò nec causæ sunt signa effectuum quos producunt, nec effectus signa causarum à quibus pendent; cùm nec causæ sint institutæ ad significandos effectus, nec effectus ad causas significandas.

Quæritur 2. quid sit id per quod res aliqua formaliter constituitur in ratione signi. Ea difficultas est præcipuè de signis ad placitum, cùm constet signa naturalia siue propria, siue impropria, per se ducere in cognitionem alterius, v. c. intellectionem, & visionem, obiectum intellectum, & visum per se repræsentare, fumum per se ducere in cognitionem ignis, &c. Dubitatur ergo per quid signa ad placitum, seu quæ ab hominum institutione pendent, formaliter constituantur in ratione signi; per quid v. c. vox illa *homo* constituatur significatiua animalis ratione præditi; vox *equus* animalis hinnibilis, & ita de alijs.

Respondent aliqui eiusmodi signa constitui per relationem quandam realem, & prædicamentalem in ijs resultantem, ex vi humanæ voluntatis, qua destinata sunt ad tale quid significandum. Verùm hæc responsio statim refellitur, tum quia aliàs ostendemus

relationem prædicamentalem non esse quid realiter distinctum ab extremis, tum quia licet ab ijs sic distingueretur, non posset intelligi quomodo verba instituens potuerit ijs relationem aliquam realem imprimere, ex eo præcisè quod voluerit vt hanc, vel illam rem significarent. Siquidem idem nomen quod significat animal rationale, potuit significare animal hinnibile, aut quiduis aliud, vel etiam nihil significare; adeoque ex se potuit esse fundamentum huius vel illius rationis, vel nullius: at quî fieri potest vt eadem res, manens in se omnino immutata, possit ex sola alicuius hominis voluntate relationes innumeras fundare, aut sine vlla relatione existere? Hoc sanè non minus intellectu difficile est, quàm si quis diceret parietem sine vlla sua intrinseca mutatione, posse distinctas specie, easque innumeras relationes fundare, aut etiam carere omni relatione.

Tum denique quia licet verborum institutor posset ijs relationem aliquam imprimere, cùm primum ea destinat ad aliquid significandum; ridiculum tamen esset existimare ex vi talis institutionis, ex ijsdem verbis similem semper relationem pullulare, etiam multis seculis post mortem institutoris, quoties ab aliquo proferuntur ad idem significandum, quod ex primæua institutione significant.

Alij igitur meliùs respondent, verba & res quæ ad placitum significant, constitui formaliter in ratione signi, per denominationem extrinsecam à voluntate illius qui talia signa instituit. Quod enim v. c. vox illa *equus*, ex se, seu in actu primo significet animal

hinnibile, id aliunde repeti non debet quàm ex voluntate instituentis, quæ adhuc habitualiter perseuerare censetur, cùm talis institutio nunquam immutata fuerit. Et similiter quod hædera appensa vinum vendibile significet, id referri non debet nisi in hominum voluntatem, qui ex mutuo consensu instituerunt vt hædera præ foribus appensa, vinum ibi esse venale indicaret. Quod enim voluntas præcesserit, & nunquam fuerit siue formaliter, siue virtualiter retractata, id omnino sufficit vt vox, vel res id adhuc significet in actu primo, ad quod significandum instituta est, seclusa quacunque relatione siue reali, siue rationis ex ea resultante.

Obijcies, si ratio formalis signi consisteret in denominatione extrinseca à voluntate instituentis, nemo cognosceret signum aliquod sub ratione signi, quin voluntatem illam perspectam haberet; at consequens est absurdum, cùm cognoscamus verborum, aliarumque rerum significationem tali institutione nullo modo cognita. Respondeo majorem veram esse de cognitione voluntatis illius siue clara & explicita, siue obscura & implicita, quo sensu minor distinguenda est; non enim scimus quid res aut verba significent, nisi ab aliquo audiamus ad quid significandum instituta sint; quare eo ipso intelligimus saltem implicitè, virtualiter, & confusè, eorum significationem esse denominationem à præcedente institutione ortam.

Quæritur 3. quomodo signum moueat potentiam intellectiuam, vt eo percepto statim in notitiam rei significatæ veniat. Respondeo signum non exercere causalitatem realem & physicam in potentiam intellectiuam;

res ſiquidem materialis non poteſt ſic moue-re potentiam ſpiritualem, qualis eſt intellectus, ſed tantùm cauſalitatem moralem; quatenus intellectus, viſa re quam ſcit deſtinatam ad aliquid ſignificandum, ſtatim in ſeipſo excitat cogitationem objecti per illam ſignificati.

ARTICVLVS II.

De Voce.

Ariſtoteles libri de Interpret. cap. 1. docet primò voces eſſe *notas, ſeu ſigna paſſionum quæ ſunt in anima*, id eſt conceptuum, & ſcripta eſſe *notas eorum quæ ſunt in voce.*

Docet ſecundò litteras quidem & voces non eſſe eaſdem apud omnes, eſſe tamen eoſdem apud omnes rerum conceptus, ſicut eædem etiam ſunt apud omnes, res quæ conceptibus repræſentantur. Eadem enim eſt bouis natura apud omnes nationes, & omnes eodem modo bouem concipiunt; ſed in modo hæc enunciandi per voces, aut per ſcripturam, magna inter homines eſt diuerſitas.

Docet tertiò, quemadmodum in anima eſt duplex operatio; alia apprehenſio ſimplex in qua nec eſt verum, nec falſum; alia iudicium ſeu compoſitio & diuiſio, in qua eſt veritas, aut falſitas; ita etiam voces alias eſſe ſimplices, quæ nec verum nec falſum ſignificant; alias compoſitas quæ veritatem, aut falſitatem continent: ſic homo ſignificat quidem aliquid, non tamen verum aut falſum, donec adijciatur eſt, vel non eſt. Circa hæc autem

Quæritur 1. quid propriè ſit vox. Reſpondeo vocem eſſe ſonum ore animalis prolatum. In primis vt eſt ſonus, conuenit cum ſono tubæ, campanæ, bombardæ, aliarumque rerum, & diſtinguitur ab omni re quæ non eſt ſonus; vt autem eſt ſonus prolatus voce animalis, diſtinguitur à quocunque ſono non ita, etiam ab ipſo animali edito, vt ſi manibus, vel pedibus excitetur. Vox enim præter quam quod eſt animalis, certis inſtrumentis producitur, & dearticulatur, quorum nonnulla, de quibus alius erit dicendi locus, os animalis conſtituunt, quo propriè voces emittuntur.

Quæritur 2. An voces ab hominibus inſtitutæ naturaliter ſignificent. Quidam antiqui Philoſophi, vt Socrates, Cratilus, & alij affirmabant; ſed oppoſitum manifeſtè colligitur ex Ariſtotele loco citato, cùm ponit illud diſcrimen inter voces & conceptus, quod conceptus ſunt ijdem apud omnes nationes, non autem voces. Ratio enim quare conceptus ſunt ijdem apud omnes, ea eſt, quia naturaliter res ſignificant, & quæ ſunt naturalia eadem ſunt apud omnes. Et conſequenter cùm tanta ſit inter nationes idiomatum diuerſitas, hinc euidens eſt naturalem vim ſignificandi ijs non competere.

Confirmatur, nam ſi vocibus naturalis vis ſignificandi competeret, eadem vox non poſſet res diuerſas ſignificare, neque diuerſæ eandem: at conſtat eandem vocem interdum diuerſa ſignificare, non modo apud diuerſas nationes, ſed etiam apud eandem, vt facile quiſque in lingua patria obſeruare poteſt. Conſtat etiam eandem rem ſæ-

pissimè pluribus nominibus longè diuersis significari.

Obijcies, Adamum laudatum quia animalibus propria nomina imposuit, vnde sequi videtur ea nomina ex se naturas, & proprietates animalium significasse. Respondeo nomina animalibus ab Adamo imposita propria dici, quia singulis speciebus data sunt singula nomina quibus inter se distinguerentur, non quod ea nomina ex se naturas & proprietates animalium, quibus imposita sunt, significarent; vt vel ex eo ostenditur, quod si quis eiusmodi nominum significationem non callens, ea legat, & aliunde animalium quibus imposita sunt naturas & proprietates perspectas habeat, ex ijs numquam colliget quod nomen equo, quod leoni, quod boui competat; quod tamen facilè perciperet, si eiusmodi nominibus vis naturaliter, ea quibus imposita sunt significandi, competeret. Sicut qui Regem nouit, cum primum illius effigiem percipit, illicointelligit eam esse Regis imaginem.

Deinde quamuis totum argumentum gratis admitteretur, inde ad summum fieret voces Hebraïcas, quibus Adam vsus est, habere vim naturalem significandi; neque illud priuilegium linguæ sanctæ meritò extendi posset ad innumera alia idiomata, quibus homines à tempore confusionis Babylonicæ vtuntur.

Non tamen negandum quin multa nomina rationabiliter rebus sint imposita, propter quandam proportionem quam cum illis habent, & peculiarem vim eas significandi; vt lapis dictus est à lædendo pedem, homo

quia ex humo compactus est, &c. Congruè etiam ad res asperas, aut suaues significandas, imposita sunt nomina quæ asperam, aut suauem habent pronunciationem. Verùm eiusmodi proportio etsi sufficiat vt nomina illa non omnino temerè & casu imposita censeantur, non tamen vt dicantur habere vim naturalem significandi res quibus imposita sunt, vt perspicuum est.

Quæritur 3. Quid per voces directè & immediatè significetur, an res, an conceptus. Vbi non est difficultas de nonnullis vocibus quæ sunt inuentæ ad declarandos ipsos conceptus, vt voces istæ; *conceptus*, *intellectio*, *verbum mentis*, & similes, sed de ijs quæ circa res externas versantur, vt voces *homo*, *equus*, *leo*, *&c.* priores enim omnium consensu, ipsos conceptus directè & immediatè significant.

Respondeo per voces significari directè & immediatè res ipsas, non conceptus qui à loquente habentur de rebus. Probatur primò vulgari illo axiomate Philosophico ex Aristotele sumpto, *ab eo quod res est, vel non est, propositio vera, aut falsa est*, hinc enim euidenter colligitur per voces immediatè & directè res ipsas significari, non conceptus; quia si conceptus per illas significarentur, essent veræ ex hypothesi quod essent conformes conceptibus, licèt res essent falsæ; & vice versa essent falsæ si à conceptibus dissentirent, esto rebus essent accommodatæ.

Probatur secundò, nam per voces illud significatur ad quod significandum sunt institutæ; atqui voces sunt institutæ ad significandas res ipsas, non conceptus, ergo

voces non conceptus, ſed res ſignificant. Maior perſpicua eſt, ſuadetur minor, quia nomina illa *equus*, *leo*, *canis*, ſunt inſtituta ad ſignificanda animalia quibus impoſita ſunt, non autem ad repræſentandos conceptus qui de eiuſmodi animalibus finguntur. Et qui dicit canem latrare, non intendit ſignificare ſe concipere latratum canis, ſed canem ipſum verè latratum edere.

Obiicies 1. ex Ariſt. loco citato voces eſſe notas paſſionum quæ ſunt in anima, id eſt conceptuum. Reſpondeo id intelligendum eſſe de ſignificatione mediata, & indirecta, quatenus verbis res directè ſignificantibus quid animo concipiamus conſequenter aperimus. Si enim neſciam verba illa, lepus currit, ſignificare tale animal quod lepus appellatur, currere, nunquam intelligam eum qui illa profert, concipere, illud animal currere. Quare verba res directè & immediatè ſignificant, conceptus verò tantùm indirectè & conſequenter.

Obijcies 2. voces ſubſtitui loco conceptuum, adeoque immediatè per voces ſignificari. Reſpondeo inde potiùs oppoſitum debere concludi, nam ſi voces ſubſtituuntur loco conceptuum, idem ſignificare debent quod per conceptus ſignificatur; at conceptus non ſignificant ſeipſos, ſed res conceptas, ergo & voces res, non conceptus ſignificant. Atque hæc reſponſio inde euidenter confirmatur, quod Philoſophi ſæpe docent ex Ariſt. 1. Elenchor. cap. 1. voces ſubſtitui loco rerum, quia non poſſumus res ipſas de quibus tractamus, præſentes exhibere, & ad ſcholas adducere.

Obiicies 3. si voces non essent signa conceptuum, nullum daretur mendacium, quia mentiri, quod iuxta vocis ethimologiam est contra mentem ire, nihil est aliud quàm verbis significare te habere in mente, quod verè non habes. Respondeo id non sequi, nam mentiri non est directè verbis significare te habere in mente conceptum quem verè non habes; sed proferre voces rem aliam significantes, quàm quæ tuo conceptu repræsentatur. Cùm enim voces substituantur loco conceptuum, per eas debet significari quod per conceptus repræsentatur; adeoque quando aliud significant, illud est contra mentem ire, & mentiri.

Obiicies 4. res non sunt vniuersales nisi mediis conceptibus, ergo voces quibus significantur, eas non significant nisi mediis conceptibus, ac proinde ipsi conceptus immediatè per eas cognoscuntur. Respondeo 1. ex hac ratione colligi, voces omnes quæ singularia repræsentant, significare res immediatè, non conceptus. 2. eam nihil concludere contra res vniuersales, quia etsi illæ ex communi sententia, fiant vniuersales per conceptum, non opus est vt voces iis impositæ, eas non significent nisi mediante conceptu, vt vel ipsa experientia manifestum est. Cùm enim audio vocem illam, *equus*, statim intelligo directè & immediatè naturam equinam, tanquam proprium illius significatum; etsi fortè de conceptu proferentis nihil cogitem. Et quamuis non conciperem naturam equinam, nisi etiam intelligendo modum quo per conceptum facta est vniuersalis, inde non sequeretur eiusmodi conceptum voce, *equus*, significari: quemadmodum etsi non

concipiam filium, quin etiam eum à quo genitus est, concipiam, inde non sequitur voce filij & genitum, & genitorem significari.

Quæritur 4. an scriptura res ipsas, non autem voces immediatè significet. Respondeo res significare, non voces. Probatur, nam sicut se habent voces ad conceptus, ita & scriptura ad voces; atqui voces non significant immediatè conceptus, sed res conceptibus repræsentatas, ergo & scriptura non significat immediatè voces, sed res vocibus significatas. Maior suadetur, quia scriptura gerit vices vocum, sicut voces conceptuum; minor verò ex iam dictis sufficienter probata relinquitur.

Confirmatur, nam siue verba illa, *Petrus studet*, voce prolata percipiam, siue scripta legam, illico mihi occurrit cogitatio de studio Petri, non autem de conceptu quem loquens, aut scribens de illo efformauit.

Obiicies 1. si scriptura res immediatè significaret, non voces, sequeretur legentem scripturam eo ipso intelligere rem quam significat, quod tamen falsum est. Respondeo id non sequi, nam cùm scriptura significet ad placitum, etsi quis sciat legere scripturam, non ideo nouit illius significationem. Quemadmodum qui voces audit, non illico intelligit earum significationem, etsi res per illas, non conceptus significentur, etiam ex sententia arguentium.

Obiicies 2. qui scripturam legit, ex illa potest formare conceptum vocis, etsi rem ea significatam non percipiat, ergo scriptura magis significat vocem quam rem. Respondeo 1. hoc argumento posse concludi, vocem potiùs

ſignificare ſcripturam quam rem; cùm ex voce plerumque facilius ſit venire in conceptum ſcripturæ, quàm rei. 2. negandam eſſe conſequentiam, quia quod ſcriptura ducat in notitiam vocis, hoc oriri poteſt ex proportione quæ inter vtramque reperitur, cùm eadem ſit vox ore prolata, & ſcripto exarata: hinc autem non debet ſumi ſcripturæ ſignificatio, ſed ex intentione illius qui ſcripturam inſtituit.

Obiicies 3. ſcriptura non niſi voces repræſentat, ei qui diſcit primò legere & ſcribere, ergo ſcriptura immediatè voces repræſentat, non res. Reſpondeo non ſequi, licet enim voces tantùm repræſententur per ſcripturam, ei qui illius ſignificationem ignorat, hoc eſt per accidens, eo quod ſcriptura per ſe eſt primò inſtituta vt res ipſas vocibus ſignificatas repræſentet. Confirmatur, nam aliàs æquè concludi poſſet contra arguentes, voces primò & directè ſignificare ſcripturam, non res, aut conceptus; cum fieri poſſit vt quis per voces quarum ſignificationem ignorat, ducatur in cognitionem ſcripturæ: vt ſi ignaro linguæ Latinæ oſtendam, qua ratione vox *equus* ſcribenda ſit, ita vt quoties equum nominari audit, toties in notitiam veniat ſcripturæ, qua vox illa repræſentatur, non autem animalis quod vtraque ſignificatur.

ARTICVLVS III.

De Nomine.

NOmen ſic definitur ab Ariſt. lib. de Interpret. cap. 2. *Nomen eſt vox ſignificans ex instituto, ſine tempore, cuius nulla pars ſeparatim ſignificat.* Dicitur 1. vox ſignificans, vt diſtinguatur à vocibus nihil ſignificantibus, vt eſt vox *Blitiri.*

Dicitur 2. ſignificans ex inſtituto, vt diſtinguatur à vocibus quæ à natura ſignificant, vt ſunt nonnullæ voces quæ dolorem, & triſtitiam ſignificant.

Dicitur 3. ſine tempore, qua ratione diſtinguitur à verbo quod aliquam temporis differentiam adſignificat, vt infra dicetur.

Dicitur 4. cuius nulla pars ſeparatim ſignificat, id eſt per ſe ſolam, vt eſt pars nominis, illudque componit; aliàs enim extra talem compoſitionem ſignificare poteſt, vt patet ex dictis vbi de terminis.

Nota 1. ex Ariſt. nomen infinitum non eſſe propriè & abſolutè nomen, quia nomen aliquid determinatè ſignificat, non autem nomen infinitum, cùm ita vocetur, quia infinita tam entia, quàm non entia complectitur. Exempli gratia, non homo eſt nomen infinitum, quod de omnibus entibus, & non entibus, excepto homine, dici poteſt; illa enim omnia ſunt non homo.

Nota 2. caſus nominis non eſſe propriè nomina, vt de iis hic tractatur; ſiquidem addito verbo eſt, non faciunt enun-

ciationem, nec verum aut falsum significant sicut vera nomina: si enim dicas, Philonis est, aut Philonis non est, hæc verba præcisè nihil significant, nec verum aut falsum enunciant: secus si dicas, Philo est, aut Philo non est.

Ex his autem colligitur, vt integra sit nominis definitio, eam hoc modo concipiendam esse. *Nomen est vox significans ex instituto, sine tempore, cuius nulla pars separatim significat, finita, & recta.* Verum contra iam dicta, quæ ob Aristotelis autoritatem pondus habent.

Obiicitur 1. nomen immeritò definiri vocem, cùm vox sit à natura, & nomen ab instituto hominum. Respondeo vocem vt præcisè est sonus quidam, esse à natura, vt autem est dearticulata, & significatiua, esse ab hominum instituto. Cæterùm nomen non dicitur vox priori modo, sed tantum posteriori, vt nimirum significat ex instituto, qua ratione se habet vt genus respectu nominis, & verbi.

Obiicitur 2. falsò dici nomen significare sine tempore, seu tempus non adsignificare, cum voces istæ, hora, dies, mensis & similes ad tempus significandum sint impositæ.

Responsio communis est, nomina illa tempus quidem directè significare, sed non adsignificare sicut verba, quæ non tantum actionem aliquam significant, sed etiam indicant tempus quo eiusmodi actio ex natura sua fieri debet; vt amo, & lego, actionem amandi, & legendi significant, simulque indicant eam fieri præsenti tempore; qua ratione contendit Aristoteles hoc loco nomen

...ngui à verbo, adeoque tempus non adſignificare ſeu connotare; eſto nomina aliqua ſint impoſita ad differentias temporis directè ſignificandas.

Quod ſi instes nomina iſta ientaculum, prandium, cœna non modo ſignificare actionem ſumendi cibum, ſed etiam connotare tempus quo talis actio fieri ſolet. Reſpondent eiuſmodi voces propriè tempus non connotare ad modum verborum, ſiquidem qui dicit, prandium, cœna, non ſignificat an actiones iis nominibus indicatæ de facto ſint hoc tempore, nec ne; qui verò dicit amo, lego, determinatè ſignificat actionem amandi, & legendi exerceri tempore præſenti.

Obiicitur 3. nomen infinitum malè excludi à definitione nominis; quia cùm ſit vox ad placitum ſignificans, neque ſit verbum, neque oratio, neceſſariò nomen eſſe debet. Reſpondeo nomen infinitum non eſſe propriè vocem ad placitum ſignificantem; quia etſi de multis enuntiari poſſit, non tamen illa ſignificat, vt non lapis non ſignificat hominem, vel equum, vel leonem, etſi de iis dicatur, ſed meram negationem; quod non ſufficit ad veram rationem ſigni propriè dicti, quia ſignificare eſt aliquid poſitiuum potentiæ cognoſcitiuæ repræſentare.

Obiicitur 4. caſus nominum à ratione nominis non bene excludi, cum integra nominis ſignificatio illis conueniat; quod enim dictum eſt eos non efficere enunciationem, nec verum aut falſum ſignificare, non ſatis cum veritate concordat, cum rectè dicamus, *pœnitet me*, & ſimilia quæ integram enunciationem conſtituunt, & veritatem aut

falſitatem continent. Reſpondeo hanc obiectionem ſolui poſſe ex ipſo textu Ariſtotelis, cùm dicat definitionem nominis quoad cætera conuenire caſibus nominum, non tamen quoad hoc quod nomen coniunctum cum verbo eſt, vel erat, vel erit, ſignificat verum aut falſum. Hoc enim caſibus nominum non competit, vt patet in exemplo allato, Philonis eſt, Philonis non eſt. Quare eſto caſus nominum conſtituant propoſitionem cum verbis imperſonalibus, id non ſufficit iuxta Ariſt. vt propriè dicantur nomina; quia coniuncti cum verbo ſubſtantiuo eſt, nihil enuntiant. Imò quod aliquid enuntient cum verbis imperſonalibus id non habent per ſe, ſed per accidens, quatenus reſoluuntur in caſus rectos; vt verba illa *pœnitet me*, reſoluuntur in iſta, *pœnitentia ducor.*

ARTICVLVS IV.

De Verbo.

QVæritur 1. quid ſit Verbum. Reſpondeo verbum ab Ariſt. cap. 3. libri de Interpret. ſic definiri, *Verbum eſt quod adſignificat tempus, cuius nulla pars ſignificat ſeparatim, & eſt ſemper nota eorum quæ de altero dicuntur.* Vbi particulæ illæ, *vox ad placitum ſignificans*, quæ ſubintelligi debent, breuitatis cauſa ſunt prætermiſſæ, quia cap. 2. in definitione nominis ſufficienter explicatæ fuerant.

Dicitur 1. *quod adſignificat tempus*, id eſt quod præter præcipuam ſignificationem quam habet, aliquam temporis differentiam adſigni-

ficat, vt articulo præcedenti obseruatum fuit: verum maioris explicationis gratia,

Nota 1. ideo communiter verbum dici adsignificare tempus, quia primariò significat actionem aliquam, vel passionem, quæ necessario coniuncta est cum tempore.

Nota 2. non omnia verba significare actionem, vel passionem propriè dictam; cùm verbum substantiuum sum, es, est, significet rei existentiam & substantiam; & pleraque adiectiua qualitatem, vt caleo, frigeo; alia priuationem actionis vt quiesco, permaneo. Quare definitio debet intelligi de actione & passione latè & impropriè dicta, vt comprehendit etiam ea quæ se habent aliqua ratione per modum actionis aut passionis, & eatenus mensurantur tempore, quomodo se habent verba prædicta. Nam verbum substantiuum significat existentiam veluti in fieri, adeoque per modum actionis, & verba qualitatem significantia denotant suo modo actionem & passionem, quia qualitas subiecto inhærens concipitur quodammodo vt agens in illud, & subiectum vt ab illa patiens. Verba autem quæ priuationem actionis vel passionis significant, ad ea quæ actionem & passionem indicant, reducenda sunt, quia habitus & priuatio eadem regula mensurantur. Vnde sicut actionem & passionem seu motum, ita & cessationem ab illo tanto tempore durasse intelligimus.

Nota 3. prædictis non obesse, quod dentur multæ propositiones quæ dicuntur æternæ veritatis, quæque proinde abstrahunt ab omni tempore, qualis est illa, *Petrus est homo*; dicimus enim eiusmodi propositiones non omninò abstrahere à tempore, quia cum dico,

Petrus est homo, illa propositio non est absolutè vera, sed tantùm conditionatè, seu ex hypothesi quod Petrus existat, vt sensus sit, *si Petrus existit, est homo:* quia est connexio necessaria inter attributum, & subiectum; existentia autem tempus præsens consignificat.

Dicitur 2. *cuius nulla pars significat separatim*, vt per hoc, verbum distinguatur ab oratione, cuius partes non modo coniunctæ, sed etiam separatæ significant, vt dicetur articulo sequenti.

Dicitur 3. *& est semper nota eorum quæ de altero dicuntur*, quia scilicet verbum est id quod attributum cum subiecto connectit, siue attributum dicatur de subiecto, vt in illa propositione, *homo est animal*; siue sit in subiecto, vt in ista, *Petrus est albus*.

Cæterùm Aristoteles à prædicta definitione excludit primò verba infinita, vt non valet, non laborat; quia verbum significat determinatum animi conceptum, at verba infinita de infinitis entibus, & non entibus dici possunt.

Excludit secundò ab illa definitione casus verborum vt amaui, amabo; quia quod in ea dicitur verbum adsignificare tempus, id de præsenti tempore intelligi debet, cùm cætera tempora ab illo dependeant; casus autem verborum non adsignificant tempus præsens, sed circa præsens, nempe præteritum, & futurum.

Ex quibus omnibus collige, definitionem verbi vt perfecta & integra sit, in hunc modum concinnari posse. *Verbum est vox significans ad placitum, cum tempore præsenti, cuius nulla pars significat separatim, & est semper nota eorum quæ de altero dicuntur, finita & recta.*

Quæritur 2. an verbum sit pars essentialis propositionis, non quatenus continet in se prædicatum, vt in illa propositione, Petrus currit, sic enim certum est verbum esse partem essentialem propositionis; eò quod subiectum & prædicatum omnium consensu, sunt partes ex quibus propositio essentialiter componitur. Est ergo difficultas de verbo, quatenus est præcisè nexus seu copula subiecti cum prædicato; vt in illa propositione, homo est animal.

Respondeo verbum hoc modo spectatum ex communi sententia, esse partem essentialem, & formalem propositionis: siquidem in propositione tria considerari debent, nempe subiectum, attributum, & copula; subiectum & attributum se habent tanquam materia ex qua propositio componitur, copula verò se habet vt forma partes illas materiales vniens, iisque rationem propositionis tribuens. Quare verbum non tantum spectat ad essentiam propositionis, sed etiam nobiliori modo quàm subiectum & attributum.

Obijcies 1. subiectum habet rationem materiæ, respectu attributi, & attributum rationem formæ, respectu subiecti, quia illud determinat ad tale esse. Ergo verbum non est pars essentialis propositionis, cùm partes illius essentiales sint eæ tantùm quæ habent rationem materiæ, aut formæ. Respondeo negando id sequi, quia licet attributum & subiectum quatenus ad se mutuò referuntur, habeant aliquo modo rationem materiæ & formæ; si tamen vtrumque referatur ad propositionem, vt hic fit, eo sensu attributum & subiectum simul sumpta sunt pars materialis propositionis, verbum autem est pars illius

formalis ; quatenus propositio consistit formaliter in vnione subiecti cum attributo, quæ fit per verbum.

Obiicies 2. ex Arist. relato vbi de terminis, propositionem resolui in subiectum & prædicatum, non autem in verbum, ex quo sequitur subiectum tantùm & prædicatum esse partes propositionis, non autem verbum; siquidem vnumquodque resoluitur in partes ex quibus componitur. Respondeo propositionem resolui in subiectum & prædicatum, vt in terminos, vnde sequitur tantùm verbum non esse terminum propositionis. Quòd si instes, terminos esse partes ex quibus propositio componitur; Respondetur esse partes propositionis materiales quæ inter se vniuntur per verbum, quod proinde habet rationem partis formalis; ad eum modum quo pars formalis domus est id quo lapides, ligna, aliæque partes materiales inter se connectuntur.

Quæritur 3. an verbum infinitum maneat infinitum in propositione. Respondeo affirmatiuè, vt patet ex Arist. loco citato vbi docet, verbum infinitum non esse propriè verbum, etsi tempus adsignificet, & semper de aliquo dicatur; non enim de aliquo dicitur nisi in propositione, vt perspicuum est.

Patet 2. nam propositio illa Petrus non studet, potest resolui vel in istam propositionem, Petrus non est studens, vel in hanc, Petrus est non studens, ac priori modo negatio sumitur negatiuè, facitque propositionem negatiuam; posteriori vero sumitur affirmatiuè, facitque propositionem infinitam.

Quod si dicas in vtraque ex his propositionibus negari studium de Petro, adeoque

vtramque esse negatiuam. Respondeo id non sequi, quia vt propositio sit negatiua, negatio debet cadere expresse non modo supra prædicatum, sed etiam supra copulam, vt fit in illa propositione, Petrus non est studens; hoc autem non contingit in ista propositione, Petrus est non studens, ac proinde non est propositio negatiua, sed infinita.

ARTICVLVS V.

De Oratione.

DVo tractantur ab Arist. cap. 4. libri de Interpretatione: primò definitio orationis, secundò illius diuisio.

Quod ad primum attinet, oratio definitur, *Vox significans ex instituto, cuius aliqua pars significat separatim vt dictio, non vt affirmatio, vel negatio*. Hoc patet in illa oratione, homo currit, nam vox homo, per se significat præcisè hominem, nihil de illo affirmando, aut negando; & vox currit, similiter simplicem cursus conceptum denotat, sine vlla affirmatione aut negatione; quia affirmatio, aut negatio non fit nisi per voces coniunctas. Et per hanc definitionis partem, oratio distinguitur à nomine, & verbo, quorum partes separatim non significant, vt suprà dictum est. Verùm vt ista clariora euadant,

Nota 1. orationem dici vocem, etsi multæ voces in ea necessariò contineantur; quia illæ debent coniungi per modum vnius, ita vt vnum aliquem sensum conficiant.

Nota 2. cùm dentur Orationes compositæ, cuius partes separatim significant, non tantùm

vt dictiones, sed etiam vt affirmationes, aut negationes, vt cum dico, *quando sol nimis feruet, calor omnia exurit*, dictam definitionem non ita intelligendam esse, vt nullius Orationis pars significet tanquam affirmatio, aut negatio; sed vt in Oratione semper sint partes aliquæ quæ significent tantum vt dictiones, quod etiam in Orationibus compositis locum habet, cùm singulæ earum voces separatim eo modo significent.

Nota 3. Orationem non tantùm componi ex dictionibus integris, sed etiam ex partibus dictionum, seu ex syllabis. Vnde cum syllabæ per se non significent, vt constat ex dictis vbi de nomine, hinc sequitur quod dicitur in allata definitione Orationis, *eius aliquam partem significare vt dictionem*, non esse intelligendum de syllabis quæ tantùm sunt partes Orationis remotæ, sed de verbis, & nominibus integris quæ ex syllabis coalescunt, suntque illius partes proximæ, aliquid per se & separatim significantes.

Quod spectat ad secundum, de quo hic agit Aristoteles, Oratio ab illo generatim diuiditur in eam quæ significat verum aut falsum; & eam quæ veri & falsi est expers; & prior dicitur Enunciatio, posterior verò subdiuiditur in orationem deprecatiuam, imperatiuam, & alias quæ nec verum, nec falsum significant; quarum consideratio ad inferiores disciplinas spectat, cùm sola enunciatio propriè sit Logici instituti.

Obseruandum tamen ex S. Thoma hoc loco Lectione 7. Orationem aliam esse imperfectam, aliam perfectam, & imperfectam eam esse quæ non generat sensum perfectum in animo audientis, vt cum dico, si dies esset;

perfectam verò eam quæ complet sententiam, cuius quinque facit species; nempe enunciatiuam, deprecatiuam, imperatiuam, interrogatiuam, & vocatiuam. Quarum numerum ita colligit. Cum ratio vel intellectus non solùm concipiat in seipso veritatem rei, sed etiam ad eius officium spectet secundum suum conceptum alia dirigere & ordinare, ideo necesse fuit vt præter orationem enunciatiuam, qua absolutè significatur conceptus intellectus, in quo est verum aut falsum, essent etiam aliquæ aliæ orationes significantes ordinem rationis secundum quem alia diriguntur; dirigitur autem ex ratione vnius hominis alius homo ad tria, primò quidem ad attendendum mente, & ad hoc pertinet oratio vocatiua; secundò ad respondendum voce, & ad hoc pertinet interrogatiua, ad quam reducitur dubitatiua; tertiò ad exequendum in opere, & ad hoc pertinet quantum ad inferiores, oratio imperatiua, quantum autem ad superiores, oratio deprecatiua, ad quam reducitur oratio optatiua; quia respectu superioris homo non habet vim motiuam, nisi per expressionem sui desiderij.

Addit S. Doctor quatuor illas species orationis non significare ipsum conceptum intellectus, in quo est verum vel falsum, sed quendam ordinem adhoc consequentem, adeoque in nulla earum inueniri verum aut falsum; sed solum in enunciatiua, quæ significat id quod de rebus concipitur. Vnde colligit omnes modos orationum in quibus inuenitur verum, aut falsum, sub enunciatione contineri.

CAPVT II.
DE ENVNCIATIONE, & varijs diuisionibus illius.

ARTICVLVS I.
Quid sit Enunciatio.

ENunciatio vulgò definitur ex Arist. loco citato, *Oratio verum, aut falsum significans.* Vbi vox Oratio tenet locum generis, in quo Enunciatio conuenit cum aliis orationibus supra memoratis, & distinguitur à nomine, & verbo quæ rationem orationis non habent. Reliqua verò gerunt vices differentiæ, per quam Enunciatio distinguitur non modo ab orationibus imperfectis, quæ sensum completum non referunt; sed etiam à perfectis quæ verum aut falsum non significant, etsi alioqui sensum completum habeant; cuius varias species articulo præcedenti ex S. Thoma enumerauimus.

Vbi nota 1. Enunciationem idem esse apud Logicos ac propositionem, cum eo tantùm discrimine, quod quando agunt de secunda mentis operatione, frequentiùs vtuntur voce Enunciationis; quando verò tractant de tertia, propositionis nomen vt plurimum vsurpant, quatenus ex ea per discursum deducitur aliqua conclusio.

Nota 2. cùm in Enunciatione vnum dicatur de alio, tria requiri ad illius constitutionem, nempe subiectum, prædicatum, & copulam; subiectum est id de quo aliquid affirmatur, aut

aut negatur; prædicatum seu attributum est id quod de alio dicitur, siue affirmando, siue negando; & copula est verbum medium inter subiectum, & attributum, quo istud cum illo connectitur, vel ab eo separatur. Vnde in ista Enunciatione, *homo est animal*, homo est subiectum, animal prædicatum seu attributum, & verbum est, habet rationem copulæ; quia iungit & connectit animal cum homine. In propositionibus tamen negatiuis verbum medium non satis propriè videtur dici copula, cùm non vniat inter se extrema propositionis, sed potiùs illa separet; vt patet cum dico, *homo non est lapis*.

Nota 3. Enunciationem tunc dici veram, quando est conformis suo obiecto, falsam verò, quando illi non est conformis. Vnde illa propositio est vera, *homo est animal*, quia animalitas à parte rei homini competit, hæc autem falsa, *homo est hinnibilis*, quia hinnibilitas verè homini non competit. Ex quo intelliges, cùm Enunciatio sit per se actus intellectus, illius veritatem formaliter in eo consistere, quòd intentionaliter sit similis obiecto, seu illud repræsentet sicuti est; falsitatem verò in eo quod obiectum referat aliter quàm in se sit.

Nota 4. definitionem allatam Enunciationis non esse essentialem, vt manifestè colligitur ex Arist. libri Categor. cap. 5. cùm ait, Orationem fieri veram ex falsa, ob solam extrinsecam mutationem obiecti; illam v. c. *Socrates sedet*, esse veram Socrate sedente, & falsam Socrate non sedente. Si enim veritas & falsitas essent de essentia orationis, fieri non posset vt eadem oratio intrinsecè immutata manens modo esset vera, modo falsa; quia

cùm veritas & falſitas ſpecie diſtinguantur, eæ orationes ſpecie diſtinctas neceſſariò conſtituerent. ſicut rationale & irrationale diſtincta ſpecie animalia conſtituunt.

Obijcies, Oratio in genere eſt enunciatio vnius de alio, ergo Enunciatio quæ hîc ponitur vt ſpecies orationis, aliquid amplius dicere debet; at præter quam quod vnum de altero enunciat, nihil eſt quod dicere poſſit eſſentialiter niſi ſignificationem veritatis vel falſitatis: igitur Enunciatio eſſentialiter includit, quod veritatem vel falſitatem ſignificet. Confirmatur, quia in definitione enunciationis, præter orationem quæ habet quod vnum enuntiet de alio, nihil aliud ponitur ex parte differentiæ, niſi quod ſit veri vel falſi ſignificatiua; ergo hoc ſpectat ad illius eſſentiam.

Reſpondeo antecedens argumenti falſum eſſe, vt patet tum ex definitione orationis ſuperius allata, in qua nulla fit mentio enunciationis vnius de alio; tum ex eo quod variæ dantur ſpecies orationis quæ non ſunt enunciatiuæ, vt ibidem ex Ariſt. & S. Thomâ oſtendimus; quod falſum eſſet ſi oratio in genere diceret enunciationem vnius de alio. Vnde negatur conſequentia, vt enim enunciatio addat aliquid ſupra orationem, ſatis eſt quod per eam vnum enuncietur de alio, neque opus eſt vt eſſentialiter dicat veritatem aut falſitatem. Eò vel maximè quia prius eſt quòd vnum de alio enuncietur, quàm quòd enunciatio ſit vera aut falſa: quare cùm ratio eſſentialis alicuius rei in eo conſtitui debeat, quod primum in illa concipitur, hinc fit vt eſſentia enunciationis conſtituenda ſit in eo quod vnum de alio enunciat, non au-

tem in eo quod verum aut falsum significat. Et ad confirmationem dicimus, nil referre quod in definitione illius fiat mentio veritatis & falsitatis; cùm plerumque in definitionibus proprietates locum differentiæ essentialis tenere soleant.

Ex his autem intellige Enunciationem posse congruentiùs sic definiri: *est oratio quâ vnum enunciatur de alio*, vel etiam hoc modo, *est oratio quâ vnum affirmatur, vel negatur de alio*. Siquidem hæ rationes sunt priores in enunciatione quàm quod verum aut falsum significet, vt ostensum est. Inter illas autem prior posteriori præferenda est, eo quod Enunciatio secundum suam quidditatem videtur tantùm dicere prædicationem vnius de alio, abstrahendo ab affirmatione & negatione; quemadmodum animal abstrahit à rationali & irrationali.

ARTICVLVS II.

De enunciatione simplici.

ENunciatio vulgò diuiditur in simplicem & compositam: simplex seu categorica ea est qua vnum de vno prædicatur; siue illud vnum sit simplex, vt cum dico, *equus est animal*, siue sit compositum, vel ex parte prædicati, vt in hac propositione, *equus est animal hinnibile*, vel ex parte subiecti vt in ista, *vir bonus est colendus*; vel ex parte vtriusque vt in hac, *vir iustus est amore dignus*: composita verò est illa quæ plures propositiones simplices simul iunctas complectitur; de quo infrà agemus.

Rurſus Enunciatio ſimplex vel eſt de ineſſe, vel eſt modalis ; prior dicitur quæ ſimpliciter vnum alteri ineſſe, vel non ineſſe enunciat, vt, *equus eſt animal*, *equus non eſt animal*, vnde etiam abſoluta dici poteſt. Poſterior verò ſignificat modum quo vnum alteri ineſt, vel non ineſt, vt cum dico, *equus neceſſariò eſt animal*, *homo contingenter eſt doctus*. Verùm dimiſſa modali, de qua latè inferiùs agendum erit,

Tertiò enunciatio ſimplex de ineſſe alia eſt de ſecundo, alia de tertio adiacente. Enunciatio de ſecundo adiacente ea dicitur, quæ conſtat tantùm ex ſubiecto & verbo eſt, vt, *Deus eſt* : de tertio verò, ea quæ poſt copulam habet prædicatum ſiue explicitè, vt, *Deus eſt infinitus*, ſiue implicitè vt, *Socrates docet*, id enim perinde eſt ac, *Socrates eſt docens*.

Quartò enunciatio de ineſſe triplex eſt, iuxta triplicem materiam in qua fieri poteſt, quæ ſumitur per ordinem attributi ad ſubiectum. Nam quando attributum neceſſariò conuenit ſubiecto, materia eſt neceſſaria; quando contingenter, materia eſt contingens; quando verò ei repugnat, materia eſt impoſſibilis. Vnde propoſitio quæ eſt in materia neceſſaria, dicitur neceſſaria, vt *homo eſt animal* ; quæ in materia contingenti, dicitur contingens, vt, *homo eſt albus*; quæ in materia repugnante, vel impoſſibili, dici poteſt repugnans, vel impoſſibilis; vt, *homo eſt lapis*.

Quo loco obſeruandum eſt, omnem enunciationem affirmatiuam in materia neceſſaria ſeu naturali eſſe veram, & negatiuam falſam ; in materia contingenti quamlibet

posse esse veram, & falsam: & in materia impossibili omnem affirmantem esse falsam, & negantem veram, quod facilè ex propositionibus allatis, earumque oppositis intelligi potest.

Quintò eadem enunciatio ratione qualitatis dicitur communiter affirmatiua, aut negatiua, itemque vera, aut falsa. Enunciatio affirmatiua dicitur quæ significat aliquid esse, vt, *homo sedet*, negatiua quæ aliquid non esse, vt, *homo non sedet*. Vera quæ siue affirmet, siue neget, est conformis obiecto; falsa quæ non est conformis. Verùm quòd enunciatio affirmet, aut neget, id potius ad essentiam quàm ad qualitatem illius spectat; quòd autem verum vel falsum dicat, id ad rationem illius accidentalem spectat, vt constat ex articulo præcedenti.

Sextò si attendatur ad quantitatem dictæ propositionis, quæ aliud nihil est quàm extensio, aut limitatio principalis subiecti illius, dicendum est eam hoc modo esse quadruplicem; nempe vniuersalem, particularem, singularem, & indefinitam. Vniuersalis illa est cuius subiecto præfigitur nota vniuersalis, vt, *omne animal est sentiens, nullum animal est lapis*; particularis cui additur signum particulare, vt, *aliquod animal est rationale*; singularis cuius subiectum est singulare, vt, *Socrates docet, hic equus hinnit*: indefinita cuius subiectum est commune sine signo vniuersali, aut particulari, vt equus est animal. Atque hactenus de Enunciatione simplici.

ARTICVLVS III.

De Enunciatione composita.

Quod attinet ad compositam, quam Aristoteles cap. 5. vocat coniunctione vnam; ea multiplex est, nempe conditionalis seu hypothetica, causalis, rationalis, copulatiua, & disiunctiua. Conditionalis vt, *si sol lucet, dies est*; causalis vt, *quia sol lucet, dies est*; rationalis seu illatiua vt, *sol lucet, ergo dies est*; copulatiua vt, *homo est rationalis, & equus est hinnibilis*; disiunctiua vt, *vel Petrus est iustus, vel iniustus*.

Hic autem aduertendum est 1. Logicos vulgò confundere Enunciationem compositam seu coniunctam cum hypothetica, & consequenter istam diuidere in conditionalem, causalem, aliasque species ante memoratas. Hoc tamen nobis durum videtur, cùm propriè illa sit propositio hypothetica, in qua aliquid enunciatur ex hypothesi; seu ex suppositione, non autem absolutè. Quare ex dictis enunciationibus sola conditionalis videtur propriè hypothetica; cùm aliæ enuncient aliquid absolutè, vt patet in exemplis allatis.

Aduertendum 2. in propositionibus compositis reperiri materiam, formam, quantitatem, & qualitatem: materia est triplex: necessaria seu naturalis, contingens, & impossibilis.

Forma est particula vtramque propositionem connectens, quæ est multiplex vt patet ex dictis; quod intellige de forma enunciationis compositæ, vt composita est; nam si

agatur de illius forma, vt est enunciatio, hac ratione copula *est*, dici debet illius forma.

Quantitas enunciationis compositæ non alia est quàm quæ reperitur in propositionibus simplicibus ex quibus constat. Vnde quando ambæ sunt vniuersales, composita est vniuersalis, vt, *omnis homo est rationalis, & omnis equus est hinnibilis*; quando verò ambæ sunt particulares, composita est particularis, vt *aliquis homo ridet, & aliquis equus hinnit*; at quando altera est vniuersalis, & altera particularis, composita tunc est mixta, vt, *omnis homo ridet, & aliquis equus hinnit*.

Denique qualitas enunciationis compositæ duplex est, alia essentialis, nempe affirmatio & negatio, alia accidentalis, nimirum veritas & falsitas; de quibus aliqua obseruanda sunt. Itaque

Aduertendum 3. propositionem compositam esse affirmatiuam, quando particula coniunctiua est affirmatiua, negatiuam verò quando est negatiua, licet ipsæ propositiones simplices aliter se habeant. Vnde hæc conditionalis est affirmatiua, *si sol non lucet, dies non est*, etsi simplices, *sol non lucet, dies non est*, sint negatiuæ: ista autem est negatiua, *non si sol lucet, dies est*, etsi, *sol lucet*, & *dies est*, sint propositiones secundum se affirmatiuæ; & ita dicendum de aliis enunciationibus compositis.

Aduertendum 4. veritatem & falsitatem non eodem modo reperiri in omnibus propositionibus compositis, nam vt copulatiua sit vera, omnes propositiones simplices ex quibus constat, debent esse veræ; adeoque

ARTICVLVS IV.

De Enunciatione exponibili.

AD Enunciationem compositam seu coniunctam reduci potest exponibilis, quæ ita vocatur quia cùm aliquam obscuritatem contineat, debet exponi seu resolui in duas propositiones simplices, quæ ideo exponentes appellantur. Variæ autem sunt illius species, ac præsertim tres, nimirum exclusiua, exceptiua, & reduplicatiua.

Enunciatio exclusiua ea dicitur, quæ continet particulam exclusiuam solùm, tantùm, &c. vt, *homo tantum est discursiuus*, vbi si particula tantùm se tenet ex parte subiecti, vt sensus sit, homo solus, & nulla res alia vtitur discursu; dicitur enunciatio exclusi subiecti, quia omnia alia præter hominem excluduntur à participatione prædicati; si verò se teneat ex parte prædicati: vt sensus sit, hominem nihil habere præter vim discurrendi, dicitur exclusi prædicati; quia omnia alia prædicata ab homine remouentur. Vnde propositio prædicta si occurrat, distinguenda est, & in priori sensu admittenda; in posteriori verò neganda.

Quo loco aduerte particulam exclusiuam non excludere concomitantia, siue se teneat ex parte subiecti, siue ex parte prædicati. Quare cùm dico priori sensu, *homo tantùm discurrit*, à subiecto non excluditur animal, viuens, risibile & alia quæ hominem necessariò comitantur; & cum dico posteriori sensu, *Petrus vult tantùm beatitudinem*, à prædicato non ex-

ista est falsa, *equus est animal irrationale, & hinnibile, & quadrupes, & alatum.* Disiunctiua verò est vera modo vna ex simplicibus sit vera, vt in hoc exemplo, *equus vel est rationalis, vel rudibilis, vel hinnibilis.*

At conditionalis est vera, quando illatio est legitima, etsi antecedens & consequens in se falsa sint, vt, *si bos habet alas, volare potest; si homo est equus, est hinnibilis.* Contrà verò est falsa, quando consequens non bene infertur ex antecedenti, etsi vtrumque in se verum sit; vt, *si Aristoteles est homo, est Philosophus.*

Quod spectat ad causalem, vt ea sit vera, requiritur, tum vt propositiones simplices sint veræ, tum vt antecedens contineat veram causam consequentis. Vnde prioris conditionis defectu illa propositio, *quia sol lucet, dies est*, est falsa sole non lucente, etsi consequentia sit legitima. Posterioris verò defectu falsum est dicere, *quia homo est risibilis, est rationalis*, cùm risibilitas non sit causa, sed effectus rationalitatis.

Denique ad veritatem rationalis requiritur non modo vt legitima sit illatio, sed etiam vt simplices propositiones sint veræ: vnde hæc propositio est falsa defectu legitimæ consequentiæ, *Petrus est homo, ergo est doctus*; & ista defectu veritatis simplicium, *bos habet alas, ergo volare potest.*

ARTICVLVS IV.

De Enunciatione exponibili.

AD Enunciationem compositam seu coniunctam reduci potest exponibilis, quæ ita vocatur quia cùm aliquam obscuritatem contineat, debet exponi seu resolui in duas propositiones simplices, quæ ideo exponentes appellantur. Variæ autem sunt illius species, ac præsertim tres, nimirum exclusiua, exceptiua, & reduplicatiua.

Enunciatio exclusiua ea dicitur, quæ continet particulam exclusiuam solùm, tantùm, &c. vt, *homo tantum est discursiuus*, vbi si particula tantùm se tenet ex parte subiecti, vt sensus sit, homo solus, & nulla res alia vtitur discursu; dicitur enunciatio exclusi subiecti, quia omnia alia præter hominem excluduntur à participatione prædicati; si verò se teneat ex parte prædicati: vt sensus sit, hominem nihil habere præter vim discurrendi, dicitur exclusi prædicati; quia omnia alia prædicata ab homine remouentur. Vnde propositio prædicta si occurrat, distinguenda est, & in priori sensu admittenda, in posteriori vero neganda.

Quo loco aduerte particulam exclusiuam non excludere concomitantia, siue se teneat ex parte subiecti, siue ex parte prædicati. Quare cùm dico priori sensu, *homo tantùm discurrit*, à subiecto non excluditur animal, viuens, risibile & alia quæ hominem necessario comitantur; & cum dico posteriori sensu, *Petrus vult tantùm beatitudinem*, à prædicato non ex-

cluduntur merita, & alia quæ sunt necessaria ad beatitudinem consequendam.

Enunciatio exceptiua est illa quæ continet particulam exceptiuam præter, vel aliam similem, vt cum dico, *nullum animal præter hominem, est rationale*, quæ propositio resoluitur in duas, homo est rationalis, & nullum animal, quod non est homo, est rationale.

Vbi nota 1. ad propositionem exceptiuam requiri, vt simplex ex qua componitur, constet signo distributiuo, aliàs non fiet legitime exceptio; vt si dicas, animal præter hominem est rationale. 2. vt quod excipitur sit inferius respectu illius à quo fit exceptio; vnde non valet, *omnis equus, præter asinum, est hinnibilis*, cum asinus non sit inferius respectu equi.

Enunciatio reduplicatiua illa dicitur quæ continet aliquam particulam reduplicatiuam, quales sunt quatenus, in quantum, & similes, & denotat causam ob quam prædicatum conuenit subjecto, vt cum dico, *homo in quantum rationalis, est risibilis*; Siquidem risibilitas competit homini, quia est rationalis.

Quo loco obseruandum est, non omnes propositiones quæ constant aliqua particula reduplicatiua sumi in sensu reduplicatiuo, sed interdum in sensu reduplicatiuo, aliàs in sensu specificatiuo. Eæ sumuntur, ex vsu communi in sensu reduplicatiuo, quæ reduplicant rationem formalem; vt cùm dico, *Paries quatenus albus, disgregat visum*, etenim visum disgregare competit parieti formaliter quatenus albus est. Illæ autem vulgò dicuntur sumi in sensu specificatiuo, quæ reduplicant tantùm rationem materialem, vt si dicam, homo quatenus albus disputat; sensus enim est hominem qui albus est, disputare, cùm perspicuum

ſit albedinem non eſſe rationem formalem cur homo diſputet.

Verùm modus iſte loquendi ſatis videtur improprius, quia particula reduplicatiua inutilis redditur in ſecundo ſenſu, & perinde eſt ac ſi non adeſſet in propoſitione, vt patet in exemplo allato; nam propoſitio illa reduplicatiua, *homo quatenus eſt albus diſputat*, æquiualet huic ſimplici, *homo albus diſputat*.

Quare maioris diſtinctionis gratia, congruentius eſt vt cum aliis dicamus, enunciationem reduplicatiuam tunc ſumi in ſenſu reduplicatiuo, quando reduplicatur cauſa cur attributum conueniat ſubiecto, vt cùm dico, *Petrus quatenus rationalis, eſt riſibilis*; ſumi verò in ſenſu ſpecificatiuo, quando reduplicatur ratio formalis, ſed non cauſa cur attributum conueniat ſubiecto· vt cum dico, *ens vt ens, eſt obiectum intellectus, vt color eſt obiectum viſus*; nō enim ens eſt cauſa objecti intellectus, ſicut rationale eſt cauſa riſibilitatis, ſed formaliter per ſeipſum, & per ſuam ſpeciem ſeu naturam eſt intelligibile, adeoque ſpecificatiuè eſt objectum intellectus; ſicut & color per ſuam rationem formalem, & ſpecificam eſt objectum viſus.

Hinc autem collige propoſitionem illam, *homo vt albus, diſputat*, non eſſe veram in ſenſu reduplicatiuo, aut ſpecificatiuo, ſed tantum in ſenſu materiali; cum albedo nec ſit cauſa, nec ratio formalis diſputandi.

CAPVT III.

QVÆDAM DVBIA EXPENduntur circa traditas diuisiones Enunciationis.

ARTICVLVS PRIMVS.

Qualis sit diuisio Enunciationis in affirmantem & negantem.

RESPONDEO ex communi sententia, hanc esse propriè diuisionem generis in suas species, de quibus vniuocè prædicatur. Ratio est, quia de essentia enunciationis est vt vnum prædicetur de alio, quod duobus modis fieri potest, vel affirmando, vel negando; ergo enunciatio affirmatiua & negatiua essentiam enunciationis æqualiter participant, adeoque enunciatio est verum genus respectu illarum.

Confirmatur, nam in essentiali definitione enunciationis non ponitur quod vnum affirmetur de alio, aut vice versa quod de eo negetur, sed tantùm quod vnum de alio enuncietur; hoc autem vbique enunciationi æqualiter competit, ac proinde quod vna sit affirmatiua, & altera negatiua, hæ sunt differentiæ earum specificæ per quas inter se essentialiter distinguuntur sub genere enunciationis: quemadmodum homo & brutum distinguuntur essentialiter sub genere animalis, per rationale & irrationale.

Dices: illud analogicè prædicatur de multis, quod de ijs dicitur ſecundum prius & poſterius, ſed enunciatio dicitur prius de affirmatiua, quàm de negatiua, ergo de ijs dicitur analogicè, adeoque non tanquam verum earum genus. Maior ſupponitur ex communi ſententia alibi tractanda, minor verò facilè ſuadetur, quia affirmatio prior eſt negatione, tum ſimplicitate, ſiquidem negatio addit aliquid ſupra affirmationem; tum cognitione, quia negatio cognoſcitur per affirmationem; tum natura, quia aliquid eſſe, prius eſt natura quàm non eſſe; tum perfectione, eſſe enim eſt perfectius quàm non eſſe.

Reſpondeo diſtinguendo maiorem, eſt enim vera quando aliquid dicitur de multis per prius & poſterius ſecundum rationem communem, non autem quando dicitur ſecundum rationes particulares, vt hic contingit. Nam ſi ſpectetur communis ratio enunciationis, ea conuenit æqualiter dictis enunciationibus, non autem ſecundum prius & poſterius. Si verò ſpectetur ratio particularis talis enunciationis, hoc modo affirmatiua eſt quid prius & perfectius negatiuâ; ea autem inæqualitas non infert analogiam, neque impedit vniuocationem, vt patet in animali quod eſt verum genus reſpectu hominis & equi, quia participatur ab illis æqualiter ſub ratione communi animalis; etſi homo vt tale animal, ſit longè perfectior equo, alijſque omnibus animalibus.

Rursus Enunciatio simplex vel est de inesse, vel est modalis ; prior dicitur quæ simpliciter vnum alteri inesse, vel non inesse enunciat, vt, *equus est animal*, *equus non est animal*, vnde etiam absoluta dici potest. Posterior verò significat modum quo vnum alteri inest, vel non inest, vt cum dico, *equus necessariò est animal*, *homo contingenter est doctus*. Verùm dimissa modali, de qua latè inferiùs agendum erit,

Tertiò enunciatio simplex de inesse alia est de secundo, alia de tertio adiacente. Enunciatio de secundo adiacente ea dicitur, quæ constat tantùm ex subiecto & verbo est, vt, *Deus est* : de tertio verò, ea quæ post copulam habet prædicatum siue explicitè, vt, *Deus est infinitus*, siue implicitè vt, *Socrates docet*, id enim perinde est ac, *Socrates est docens*.

Quartò enunciatio de inesse triplex est, iuxta triplicem materiam in qua fieri potest, quæ sumitur per ordinem attributi ad subiectum. Nam quando attributum necessariò conuenit subiecto, materia est necessaria; quando contingenter, materia est contingens; quando verò ei repugnat, materia est impossibilis. Vnde propositio quæ est in materia necessaria, dicitur necessaria, vt *homo est animal*; quæ in materia contingenti, dicitur contingens, vt, *homo est albus*; quæ in materia repugnante, vel impossibili, dici potest repugnans, vel impossibilis; vt, *homo est lapis*.

Quo loco obseruandum est, omnem enunciationem affirmatiuam in materia necessaria seu naturali esse veram, & negatiuam falsam ; in materia contingenti quamlibet

posse esse veram, & falsam: & in materia impossibili omnem affirmantem esse falsam, & negantem veram, quod facilè ex propositionibus allatis, earumque oppositis intelligi potest.

Quintò eadem enunciatio ratione qualitatis dicitur communiter affirmatiua, aut negatiua, itemque vera, aut falsa. Enunciatio affirmatiua dicitur quæ significat aliquid esse, vt, *homo sedet*, negatiua quæ aliquid non esse, vt, *homo non sedet*. Vera quæ siue affirmet, siue neget, est conformis obiecto; falsa quæ non est conformis. Verùm quòd enunciatio affirmet, aut neget, id potius ad essentiam quàm ad qualitatem illius spectat; quòd autem verum vel falsum dicat, id ad rationem illius accidentalem spectat, vt constat ex articulo præcedenti.

Sextò si attendatur ad quantitatem dictæ propositionis, quæ aliud nihil est quàm extensio, aut limitatio principalis subiecti illius, dicendum est eam hoc modo esse quadruplicem; nempe vniuersalem, particularem, singularem, & indefinitam. Vniuersalis illa est cuius subiecto præfigitur nota vniuersalis, vt, *omne animal est sentiens, nullum animal est lapis*; particularis cui additur signum particulare, vt, *aliquod animal est rationale*; singularis cuius subiectum est singulare, vt, *Socrates docet, hic equus hinnit*: indefinita cuius subiectum est commune sine signo vniuersali, aut particulari, vt equus est animal. Atque hactenus de Enunciatione simplici.

agatur de illius forma, vt est enunciatio, hac ratione copula *est*, dici debet illius forma.

Quantitas enunciationis compositæ non alia est quàm quæ reperitur in propositionibus simplicibus ex quibus constat. Vnde quando ambæ sunt vniuersales, composita est vniuersalis, vt, *omnis homo est rationalis, & omnis equus est hinnibilis*; quando verò ambæ sunt particulares, composita est particularis, vt *aliquis homo ridet, & aliquis equus hinnit*; at quando altera est vniuersalis, & altera particularis, composita tunc est mixta, vt, *omnis homo ridet, & aliquis equus hinnit*.

Denique qualitas enunciationis compositæ duplex est, alia essentialis, nempe affirmatio & negatio, alia accidentalis, nimirum veritas & falsitas; de quibus aliqua obseruanda sunt. Itaque

Aduertendum 3. propositionem compositam esse affirmatiuam, quando particula coniunctiua est affirmatiua, negatiuam verò quando est negatiua, licet ipsæ propositiones simplices aliter se habeant. Vnde hæc conditionalis est affirmatiua, *si sol non lucet, dies non est*, etsi simplices, *sol non lucet, dies non est*, sint negatiuæ: ista autem est negatiua, *non si sol lucet, dies est*, etsi, *sol lucet*, & *dies est*, sint propositiones secundum se affirmatiuæ; & ita dicendum de aliis enunciationibus compositis.

Aduertendum 4. veritatem & falsitatem non eodem modo reperiri in omnibus propositionibus compositis, nam vt copulatiua sit vera, omnes propositiones simplices ex quibus constat, debent esse veræ; adeoque

ista est falsa , *equus est animal irrationale , & hinnibile , & quadrupes , & alatum.* Disiunctiua verò est vera modo vna ex simplicibus sit vera , vt in hoc exemplo , *equus vel est rationalis , vel rudibilis , vel hinnibilis.*

At conditionalis est vera, quando illatio est legitima , etsi antecedens & consequens in se falsa sint , vt , *si bos habet alas , volare potest ; si homo est equus , est hinnibilis.* Contrà verò est falsa , quando consequens non bene infertur ex antecedenti , etsi vtrumque in se verum sit ; vt , *si Aristoteles est homo , est Philosophus.*

Quod spectat ad causalem , vt ea sit vera , requiritur , tum vt propositiones simplices sint veræ , tum vt antecedens contineat veram causam consequentis. Vnde prioris conditionis defectu illa propositio , *quia sol lucet , dies est,* est falsa sole non lucente, etsi consequentia sit legitima. Posterioris verò defectu falsum est dicere , *quia homo est risibilis , est rationalis,* cùm risibilitas non sit causa , sed effectus rationalitatis.

Denique ad veritatem rationalis requiritur non modo vt legitima sit illatio , sed etiam vt simplices propositiones sint veræ : vnde hæc propositio est falsa defectu legitimæ consequentiæ, *Petrus est homo , ergo est doctus* ; & ista defectu veritatis simplicium , *bos habet alas, ergo volare potest.*

ARTICVLVS IV.

De Enunciatione exponibili.

AD Enunciationem compositam seu conjunctam reduci potest exponibilis, quæ ita vocatur quia cùm aliquam obscuritatem contineat, debet exponi seu resolui in duas propositiones simplices, quæ ideo exponentes appellantur. Variæ autem sunt illius species, ac præsertim tres, nimirum exclusiua, exceptiua, & reduplicatiua.

Enunciatio exclusiua ea dicitur, quæ continet particulam exclusiuam solùm, tantum, &c. vt, *homo tantum est discursiuus*, vbi si particula tantùm se tenet ex parte subjecti, vt sensus sit, homo solus, & nulla res alia vtitur discursu; dicitur enunciatio exclusi subiecti, quia omnia alia præter hominem excluduntur à participatione prædicati; si verò se teneat ex parte prædicati: vt sensus sit, hominem nihil habere præter vim discurrendi, dicitur exclusi prædicati; quia omnia alia prædicata ab homine remouentur. Vnde propositio prædicta si occurrat, distinguenda est, & in priori sensu admittenda, in posteriori vero neganda.

Quo loco aduerte particulam exclusiuam non excludere concomitantia, siue se teneat ex parte subiecti, siue ex parte prædicati. Quare cùm dico priori sensu, *homo tantùm discurrit*, à subiecto non excluditur animal, viuens, risibile & alia quæ hominem necessariò comitantur; & cum dico posteriori sensu, *Petrus vult tantùm beatitudinem*, à prædicato non ex-

cluduntur merita, & alia quæ sunt necessaria ad beatitudinem consequendam.

Enunciatio exceptiua est illa quæ continet particulam exceptiuam præter, vel aliam similem, vt cum dico, *nullum animal præter hominem, est rationale*, quæ propositio resoluitur in duas, homo est rationalis, & nullum animal, quod non est homo, est rationale.

Vbi nota 1. ad propositionem exceptiuam requiri, vt simplex ex qua componitur, constet signo distributiuo, aliàs non fiet legitime exceptio; vt si dicas, animal præter hominem est rationale. 2. vt quod excipitur sit inferius respectu illius à quo fit exceptio; vnde non valet, *omnis equus, præter asinum, est hinnibilis*, cum asinus non sit inferius respectu equi.

Enunciatio reduplicatiua illa dicitur quæ continet aliquam particulam reduplicatiuam, quales sunt quatenus, in quantum, & similes, & denotat causam ob quam prædicatum conuenit subiecto, vt cum dico, *homo in quantum rationalis, est risibilis*; Siquidem risibilitas competit homini, quia est rationalis.

Quo loco obseruandum est, non omnes propositiones quæ constant aliqua particula reduplicatiua sumi in sensu reduplicatiuo, sed interdum in sensu reduplicatiuo, aliàs in sensu specificatiuo. Eæ sumuntur, ex vsu communi in sensu reduplicatiuo, quæ reduplicant rationem formalem; vt cùm dico, *Paries quatenus albus, disgregat visum*, etenim visum disgregare competit parieti formaliter quatenus albus est. Illæ autem vulgò dicuntur sumi in sensu specificatiuo, quæ reduplicant tantùm rationem materialem, vt si dicam, homo quatenus albus disputat; sensus enim est hominem qui albus est, disputare, cùm perspicuum

sit albedinem non esse rationem formalem cur homo disputet.

Verùm modus iste loquendi satis videtur improprius, quia particula reduplicatiua inutilis redditur in secundo sensu, & perinde est ac si non adesset in propositione, vt patet in exemplo allato; nam propositio illa reduplicatiua, *homo quatenus est albus disputat*, æquiualet huic simplici, *homo albus disputat*.

Quare maioris distinctionis gratia, congruentius est vt cum aliis dicamus, enunciationem reduplicatiuam tunc sumi in sensu reduplicatiuo, quando reduplicatur causa cur attributum conueniat subjecto, vt cùm dico, *Petrus quatenus rationalis est risibilis*; sumi verò in sensu specificatiuo, quando reduplicatur ratio formalis, sed non causa cur attributum conueniat subiecto· vt cum dico, *ens vt ens, est objectum intellectus, vt color est objectum visus*; nō enim ens est causa objecti intellectus, sicut rationale est causa risibilitatis, sed formaliter per seipsum, & per suam speciem seu naturam est intelligibile, adeoque speci. ficatiuè est objectum intellectus; sicut & color per suam rationem formalem, & specificam est objectum visus.

Hinc autem collige propositionem illam, *homo vt albus, disputat*, non esse veram in sensu reduplicatiuo, aut specificatiuo, sed tantum in sensu materiali; cum albedo nec sit causa, nec ratio formalis disputandi.

CAPVT III.

QVÆDAM DVBIA EXPENduntur circa traditas diuisiones Enunciationis.

ARTICVLVS PRIMVS.

Qualis sit diuisio Enunciationis in affirmantem & negantem.

RESPONDEO ex communi sententia, hanc esse propriè diuisionem generis in suas species, de quibus vniuocè prædicatur. Ratio est, quia de essentia enunciationis est vt vnum prædicetur de alio, quod duobus modis fieri potest, vel affirmando, vel negando; ergo enunciatio affirmatiua & negatiua essentiam enunciationis æqualiter participant, adeoque enunciatio est verum genus respectu illarum.

Confirmatur, nam in essentiali definitione enunciationis non ponitur quod vnum affirmetur de alio, aut vice versa quod de eo negetur, sed tantùm quod vnum de alio enuncietur; hoc autem vbique enunciationi æqualiter competit, ac proinde quod vna sit affirmatiua, & altera negatiua, hæ sunt differentiæ earum specificæ per quas inter se essentialiter distinguuntur sub genere enunciationis: quemadmodum homo & brutum distinguuntur essentialiter sub genere animalis, per rationale & irrationale.

Dices: illud analogicè prædicatur de multis, quod de ijs dicitur secundum prius & posterius, sed enunciatio dicitur prius de affirmatiua, quàm de negatiua, ergo de ijs dicitur analogicè, adeoque non tanquam verum earum genus. Maior supponitur ex communi sententia alibi tractanda, minor verò facilè suadetur, quia affirmatio prior est negatione, tum simplicitate, siquidem negatio addit aliquid supra affirmationem; tum cognitione, quia negatio cognoscitur per affirmationem; tum natura, quia aliquid esse, prius est natura quàm non esse; tum perfectione, esse enim est perfectius quàm non esse.

Respondeo distinguendo maiorem, est enim vera quando aliquid dicitur de multis per prius & posterius secundum rationem communem, non autem quando dicitur secundum rationes particulares, vt hic contingit. Nam si spectetur communis ratio enunciationis, ea conuenit æqualiter dictis enunciationibus, non autem secundum prius & posterius. Si verò spectetur ratio particularis talis enunciationis, hoc modo affirmatiua est quid prius & perfectius negatiuâ; ea autem inæqualitas non infert analogiam, neque impedit vniuocationem, vt patet in animali quod est verum genus respectu hominis & equi, quia participatur ab illis æqualiter sub ratione communi animalis; etsi homo vt tale animal, sit longè perfectior equo, alijsque omnibus animalibus.

ARTICVLVS II.

Qualis sit diuisio enunciationis in simplicem & compositam.

RESponsio communis est, non esse diuisionem generis in species, sed analogi in analogata, quod ea ratione probatur: quia ennnciatio simplex enunciat per se vnum de alio, composita vero id non habet per se, sed tantùm ratione propositionum simplicium quas conjungit: quare cum essentialis ratio enunciationis in eo posita sit, vt vnum enunciet de alio, hinc fit rationem formalem enunciationis per se primò competere enunciationi simplici, compositæ verò secundariò & dependenter à simplici, ac proinde enunciationem non dici vniuocè de simplici & composita, sed analogicè.

Quo loco aduerte, etsi hic discursus generatim procedat de omnibus propositionibus compositis, eum tamen posse speciatim vrgeri contra propositionem conditionalem, & contra disiunctiuam. Siquidem enunciatio videtur essentialiter in eo consistere, vt vnum de altero dicatur absolutè & determinatè, vt cùm dico, *Petrus est homo, equus est animal*, & ita de alijs; at propositio conditionalis non attribuit absolutè vnum alteri, sed ostendit tantùm quid futurum sit, si ponatur aliqua conditio; etsi forte talis conditio nnmquam extitura sit, nec proinde quod ex ea sequuturum enunciatur, vt cum dico, *si bos haberet alas, volaret*, nunquam enim continget bouem habere alas, aut volare. Et ob hanc rationem dici solet propo-

ſitionem conditionalem nihil ponere in eſſe; quia poteſt ſubſiſtere, etſi neque antecedens neque conſequens illius vnquam exiſtat, vt patet in exemplo iam allato. Conſtat etiam propoſitionem diſiunctiuam nihil determinatè enuntiare, vt cum dico, *vel homo eſt doctus, vel ignarus*. Quare iſtæ enunciationes compoſitæ non videntur vniuocè participare rationem eſſentialem enunciationis.

Obijcies, Enunciatio definitur, *Oratio vera, aut falſa*, at hæc definitio æquè competit enunciationi compoſitæ ac ſimplici; ergo ambæ enunciationes eodem modo & vniuocè rationem eſſentialem Enunciationis participant. Reſpondeo non ſequi, quia verum aut falſum ſignificare non eſt ratio eſſentialis enunciationis, ſed quoddam accidens illius, vt ſupra oſtenſum eſt. Quare etſi concedatur enunciationem compoſitam vniuocè conuenire cum ſimplici in veritate aut falſitate, inde non ſequitur conuenire cum illa vniuocè in ratione eſſentiali enunciationis. Quemadmodum non ſequitur hominem, & equum conuenire vniuocè in ratione eſſentiali animalis; etſi inter ſe conueniant in albedine & nigredine, quæ ſunt quædam accidentia animalis.

ARTICVLVS III.

In quo ſenſu propoſitio conditionalis ſumi poſſit.

RESPONDEO 1. dubium non eſſe quin propoſitio conditionalis ſumi poſſit in ſenſu illatiuo. Ita omnes Philoſophi, & Theologi, patetque ex illa vulgari propoſitione

conditionali, *si Sol lucet, dies est*, in qua infertur dici existentia ex eo quod sol luceat, etsi neque solem lucere, neque diem esse affirmetur. Hoc enim proprium est Enunciationis conditionalis in sensu illatiuo sumptæ, vt sola consecutio consequentis ex antecedenti affirmetur, non autem ipsum consequens, vel antecedens. Quò fit vt etsi antecedens, & consequens falsa sint, enunciatio conditionalis in sensu illatiuo sumpta vera sit, dummodo consequens legitimè inferatur ex antecedente, vt patet ex dictis.

Quo loco aduerte propositionem conditionalem triplicem sensum illatiuum habere posse, primus est in quo consecutio est naturalis, & omnino necessaria, vt in exemplo allato; si enim sol lucet, hinc sequitur naturaliter & necessario diem existere.

Secundus in quo consecutio est moraliter infallibilis, vt cùm dixit Christus, si sciret Pater-familias qua hora fur venturus esset, vigilaret vtique, & non sineret perfodi domum suam. Licèt enim non sit absolutè necessarium Patrem-familias in ea hypothesi vigilaturum, quia cum sit liber, posset absolutè curam suæ domus negligere; est tamen moraliter infallibile eum excubias acturum, & domus suæ direptionem impediturum.

Tertius est in quo consecutio est probabilis, vt cùm dico, *Si pauper occurrat Petro, quo die peccata per confessionem expiauit, & ad Eucharistiam accessit, Petrus ei eleemosynam erogabit.* Est enim probabile Petrum in ijs circumstantijs, eleemosynam pauperi non denegaturum, esto id non sit moraliter infallibile; eò quòd Petrus non semper in similibus circumstantijs eleemosynam egenis occurrentibus porrigere solet.

Respondeo 2. propositionem conditionalem interdum sumi posse in sensu non illatiuo. Probatur, quia tunc propositio dicitur sumi in sensu non illatiuo, quando particula, *si*, non significat consecutionem vnius ex alio, sed tantùm meram vtriusque coexistentiam in eodem tempore; at dubitari non potest quin propositio conditionalis eo modo sumi possit, vt patet ex communi omnium hominum sensu, qui multa affirmant sub conditione ea mente, vt non intendant inferre consequens ex antecedenti, sed tantùm innuere vtrumque simul, seu eodem tempore extiturum, ita vt particula *si* idem significet ac *cùm* vel *quando*. Vt cùm dico, *si Petrus ex Italia redierit, Iacobus amicitiam cum illo inibit*: clarum enim est reditum Petri non esse causam amicitiæ cum illo initæ, & quamuis esset, eam propositionem posse proferri ex sola intentione indicandi, eodem tempore quo ponetur antecedens, ponendum quoque consequens.

Confirmatur, nam cùm ego possim mente concipere Iacobum initurum amicitiam cum Petro, si ex Italia redierit, ita vt concipiam eam amicitiam neque necessariò, neque probabiliter posse inferri ex tali reditu, eam tamen simul cum illo extituram; nihil vetat quin mentem meam possim explicare per propositionem illam assertiuam, *si Petrus ex Italia redierit, Iacobus amicitiam cum illo inibit*, quæ proinde non illationem consequentis ex antecedenti, sed meram vtriusque coexistentiam significabit.

ARTICVLVS IV.

De Enunciatione modali.

CVm ex dictis constet propositionem modalem eam esse, quæ non tantùm significat quid subiecto insit, vel non insit, sed etiam expressè tradit modum quo illi inest, vel non inest; dubitari potest quid sentiendum sit de iis quæ spectant ad eiusmodi propositionem.

Respondeo 1. propositionem modalem esse quadruplicem, iuxta quatuor modos quibus declarari potest attributum inesse, vel non inesse subiecto. Alia enim est de contingenti, alia de necessario, alia de possibili, alia de impossibili, vt si dicam, contingens est hominem esse album, necesse est hominem esse rationalem, possibile est hominem esse doctum, impossibile est hominem esse equum. Atque hæc diuisio non tantùm habet locum in propositionibus affirmatiuis, sed etiam in negatiuis, vt, non contingens est hominem esse animal, & ita de aliis.

Respondeo 2. enunciationem modalem dupliciter efferri posse, primò ita vt modus sit aduerbium, vt cùm dico, homo contingenter est doctus, equus necessariò est hinnibilis; secundò ita vt modus sit nomen, vt cùm dico, hominem esse doctum est contingens, equum esse hinnibilem est necessarium. Inter quas formulas illud est discriminis, quod in priori modus non fit attributum, sed tantùm modificat connexionem quæ aliàs inter attributum & subiectum repe-

ritur; in posteriori verò modus fit attributum, & integra propositio de inesse quæ aliàs ex subiecto & attributo constabat, fit subiectum respectu illius, vt in illa propositione, *hominem esse album est contingens*, verba illa, hominem esse album, sunt subiectum, de quo contingens prædicatur.

Vbi obseruandum est Enunciationem quæ fit posteriori ratione, constare ex dicto & modo; dictum vocatur oratio illa quæ habet rationem subiecti respectu modi, modus verò est particula quæ tale subiectum afficit, & modificat: vt in exemplo proximè allato, hominem esse album vocatur dictum, & contingens est modus qui in illud dictum, tanquam attributum in subiectum cadit.

Respondeo 3. Enunciationem modalem (& idem dici potest de quacunque alia) vel sumi in sensu composito, vel in sensu diuiso. Tunc sumitur in sensu composito, quando extrema dicti possunt inter se componi, seu simul poni; sumitur autem in sensu diuiso, quando extrema non possunt simul existere. Exempli causa, propositio illa, *hominem esse doctum possibile est*, sumitur in sensu composito, quia doctrina cum homine coniungi potest: illa verò, *parietem album esse nigrum possibile est*, sumitur in sensu diuiso, quia nigredo non potest esse in pariete quandiu albus est, sed tantùm pro alio tempore.

Respondeo 4. aliter se habere propositiones modales quoad qualitatem siue essentialem, siue accidentalem, quàm propositiones de inesse. Nam qualitas essentialis seu affirmatio & negatio ex modo sumi debet, non ex dicto; ita vt ea propositio sit affirma-

tiua, in qua modus affirmat, etsi dictum neget, vt, *necesse est hominem non esse lapidem*; ea verò sit negatiua in qua modus negat, etsi dictum affirmet, vt *non necesse est hominem currere.*

Quod spectat ad qualitatem accidentalem, seu veritatem & falsitatem, similiter dicendum est eam sumi ex modo, non ex dicto; adeo vt tunc propositio modalis sit vera, quando modus verè affirmatur, aut negatur de dicto, etsi dictum secundum se falsum sit, vt cùm dico, impossibile est equum ratiocinari; tunc autem sit falsa, quando modus falsò prædicatur de dicto, etsi dictum in se verum sit, vt cùm dico, impossibile est hominem ratiocinari.

Respondeo 5. propositiones modales duplicem habere posse quantitatem, aliam ex parte dicti, quod potest esse vel vniuersale, vel particulare, vel singulare, vel indefinitum, vt ex suprà dictis intelligi potest: Dictum enim Enunciationis modalis nihil est aliud quàm propositio de inesse. Aliam ex parte modi, quæ duplex constitui solet, siquidem necesse & impossibile dicuntur modi vniuersales, quia prior ponit rem pro omni tempore, id est facit vt res semper sit vera, vt, *necesse est hominem esse animal*: posterior verò tollit rem pro omni tempore, seu facit vt semper sit falsa, vt, impossibile est hominem esse lapidem. At contingens & possibile dicuntur modi particulares, quia rem ponunt pro aliquo tempore, & pro alio tollunt, vt contingens seu possibile est hominem esse doctum; quod enim homo doctus sit, id tantùm pro aliquo tempore verum est.

Moneo tamen duos priores modos præmiſſa negatione fieri particulares, & duos poſteriores vice verſa fieri vniuerſales; quemadmodum in propoſitionibus abſolutis ſigna vniuerſalia fiunt particularia, & hæc vniuerſalia, præmiſſa negatione. Vnde ſicut illa propoſitio, *non omnis homo currit*, eſt particularis, ita & iſta, *non neceſſe eſt hominem currere*: & quemadmodum hæc eſt vniuerſalis, *non aliquis homo eſt animal*, ita & illa, *non contingens eſt hominem eſſe animal*.

Verùm hoc eſt diſcrimen obſeruandum inter eiuſmodi ſigna & modos, quod modi ſignificant quantitatem temporis vt explicatum eſt, ſigna verò quantitatem numeralem. Vnde illa propoſitio, *neceſſe eſt omnem hominem eſſe rationalem*, eſt perfectè vniuerſalis; quia ratione ſigni *omnem* tribuit rationalitatem omnibus hominibus, & ratione modi, *neceſſe*, eam illis tribuit pro omni tempore.

CAPVT IV.

DE VERITATE PROPOSITIONUM DE FUTURO CONTINGENTI, SIUE ABSOLUTO, SIUE CONDITIONATO.

ARTICVLVS PRIMVS.

Quid sentiat Aristoteles de veritate propositionum quæ versantur circa futurum contingens absolutum.

QVærit Philosophus cap. 9. libri de Interpret. an verum sit in omnibus propositionibus contradicentibus alteram esse determinatè veram, alteram determinatè falsam. Cui difficultati respondet per distinctionem, nam si agatur de propositionibus quæ enunciant aliquid de præsenti, vel de præterito, dicendum putat alteram earum esse determinatè veram, alteram determinatè falsam; siue sint vniuersales, siue singulares. Si verò quæstio sit de singularibus futuris & contingentibus,

Docet 1. neutram partem contradictionis esse determinatè veram aut determinatè falsam. Quod hac ratione probat, quia cùm ab eo quod res est, vel non est, propositio sit vera aut falsa; si affirmatio vel negatio est vera, aut falsa, necesse est rem esse, vel non esse. Vt si verè dicitur esse album, aut non esse al-

bum, necesse est esse album aut non esse album, sicque tollitur rerum omnium contingentia.

Confirmatur, nam si verè antea dici potuit fore album, quod nunc album est, non potuit hoc non esse album, adeoque impossibile est quod non fuerit album, & consequenter necesse est quod album fuerit; quia quod impossibile est non esse, necesse est esse. Absurdum autem est affirmare omnia euenire ex necessitate, tum quia sequeretur nulla dari contingentia, siue ex iis quæ raro eueniunt, vt inuentio thesauri; siue ex iis quæ sæpius accidunt, vt hominem nocte dormire, & die vigilare; siue ex iis que ad vtrumlibet vocantur, id est quæ indifferenter modo in hanc, modo in illam partem inclinant, & æquè fieri, ac non fieri possunt, vt sedere, stare, ambulare. Tum quia satis constat non omnia venire ex necessitate: est enim in nobis consilium & deliberatio de iis quæ æquè possunt fieri, & non fieri. Videmus vestem posse scindi, & non scindi; atteri, & non atteri; & in rebus omnibus quæ oriuntur, similis potestas ad vtrumlibet reperitur.

Docet 2. dici non posse neutram ex dictis propositionibus esse veram, tum quia ex duabus contradicentibus altera debet necessariò esse vera, altera falsa; tum quia si vtraque esset falsa, quod per illas enunciatur non eueniret; atque adeo neque esset v. c. pugna naualis, neque non esset, quod plane absurdum est.

Docet 3. necesse esse id quod est, quando est, esse, & id quod non est, quando non est, non esse, non tamen necesse esse aut omne quod est esse, aut omne quod non est, non

ARTICVLVS II.

Ostenditur propositiones de futuris contingentibus esse determinatè veras, aut falsas.

PRæmoneo 1. non hic inquiri an propositiones de futuris necessariis sint determinatè veræ aut falsæ, quia pars affirmatiua apud omnes est explorata, vt patet in illis propositionibus *sol cras orietur, sol cras non orietur*; certum enim est priorem ex illis esse determinatè veram, & posteriorem determinatè falsam. Tota ergo difficultas versatur circa propositiones quæ fiunt de futuris contingentibus; quia cùm futura illa possint esse, & non esse, dicendum videtur propositiones quæ de illis fiunt, non posse habere determinatam veritatem, aut falsitatem.

Præmoneo 2. quæstionem non procedere de propositionibus quæ fiunt de contingenti præterito, aut præsenti; quia dubitari non potest quin illæ sint determinatè veræ aut falsæ. v. c. quo tempore Petrus Christum negabat, vera erat determinatè illa propositio de præsenti, *Petrus Christum negat*, & hæc determinatè falsa, *Petrus Christum non negat*; atque ex illo tempore vera fuit determinatè illa propositio de præterito, *Petrus Christum negauit*, & ista determinatè falsa; *Petrus Christũ non negauit*. Et ratio est, quia cùm in iis casibus res sit in se determinata, mirum non est quod propositio affirmans eam esse, sit determinatè vera, & negans determinatè falsa. Hinc autem oritur difficultas circa futura contingentia, quia cùm pendeant à causa contingente quæ potest ea

ponere, vel non ponere, non satis intelligitur quomodo propositiones quæ circa illa versantur, sint determinatè veræ, aut falsæ.

Præmoneo 3. quando hic quærimus, an propositiones de futuro contingenti sint determinatè veræ, aut determinatè falsæ, non esse sensum an sint necessariò veræ, aut necessariò falsæ; talis enim necessitas repugnat contingentiæ & libertati, sed an vna ex illis distinctè sit vera, & altera distinctè falsa; an verò confusè tantùm alterutra sit vera, aut falsa: v. c. an sit distinctè verum, Petrum cras peccaturum, aut distinctè verum, cras non peccaturum; an verò confusè alterutrum tantum verum sit, nempe eum peccaturum, vel non peccaturum.

Respondeo ex communiori, longéque probabiliori Philosophorum, & Theologorum sententia, ex duabus propositionibus contradictoriis de futuro contingenti singulari, alteram esse determinatè, seu distinctè veram, alteram determinatè falsam. Probatur 1. quia illa propositio est determinatè vera, quæ est conformis obiecto, illa verò est determinatè falsa, quæ est difformis obiecto; atqui duarum propositionum contradictoriarum de futuro contingenti, altera est conformis obiecto, altera difformis; ergo vna est determinatè vera, & altera determinatè falsa. Maior perspicua est, nam ideo v. c. illa propositio, *Petrus peccat*, est determinatè vera, quia est conformis obiecto, seu quia Petrus peccat, & illa, *Petrus peccauit*, ideo est determinatè vera, quia est conformis obiecto, seu quia Petrus peccauit. Ergo generatim dici potest eam propositionem esse determinatè veram quæ est conformis obiecto: Siquidem *ab eo quod res est, vel non est, propositio vera aut falsa est*, vt sumitur ex Arist. va-

riis locis. Minor verò suadetur, exempli gratia, in duabus istis propositionibus, *Petrus cras peccabit*, *Petrus cras non peccabit*, certum enim est Petrum crastina die adueniente peccaturum, vel non peccaturum. Si est peccaturus, illa propositio *Petrus cras peccabit*, haud dubiè est conformis obiecto, & opposita difformis; si verò non est peccaturus, illa propositio, *Petrus cras non peccabit*, est conformis obiecto, & opposita difformis; atque ita altera ex contradictoriis est determinatè vera, altera determinatè falsa.

Probatur 2. nam si altera ex dictis propositionibus non est determinatè vera, & altera determinatè falsa, sequitur vtramque esse determinatè falsam: at repugnat quod ambæ sint determinatæ falsæ, ergo altera est determinatè vera, altera determinatè falsa. Ostendo sequelam maioris, nam ideo negant aduersarij alteram esse determinatè veram, alteram determinatè falsam, quia peccatum Petri nec determinatè futurum est, nec determinatè futurum non est, sed tantùm sub disiunctione futurum, vel non futurum est. Hinc autem sequitur vtramque propositionem esse determinatè falsam, cùm altera determinatè enuntiet Petrum cras peccaturum, altera Petrum cras non peccaturum. Minor verò suadetur, quia si vtraque propositio falsa est, ex eo quod altera affirmat Petrum peccaturum, sequitur Petrum non peccaturum, ex eo verò quod altera negat Petrum peccaturum, sequitur eum peccaturum; atque ita Petrus simul peccabit, & non peccabit, quod planè repugnat.

Probatur 3. nam illæ propositiones sunt determinatè veræ aut falsæ, quarum obiectum à Deo cognoscitur determinatè futurum, aut

non futurum; atqui obiectum propositionum de futuris contingentibus videtur à Deo determinatè futurũ, aut non futurum, ergo eiusmodi propositiones sunt determinatè veræ, aut falsæ. Maior certa videtur, quia cùm propositiones illæ habeant obiectum determinatè futurum, nulla ratio est cur ipsæ non sint determinatè veræ. Minor verò à Catholico negari non potest, cùm Deus infinita sui intellectus perspicacitate ab æterno omnia futura distinctissimè & certissimè præuiderit, multaque ex illis diu antequam euenirent reuelauerit, quod fieri non posset si futura non essent determinatè vera.

Probatur 4. nam Christus quando dixit Petro, *antequam gallus cantet, ter me negabis*, vel determinatè sciebat Petrum peccaturum, vel non; at hoc posterius dici non potest, quia si Christus id determinatè non sciebat, mentiebatur, quia contra propriam mentem proferebat verba quæ determinatè significabant Petrum peccaturum; prius ergo fatendum est, nempe Christum determinatè sciuisse Petrum peccaturum: at non poterat scire determinatè Petrum peccaturum, nisi Petri peccatum esset determinatè futurum, quia aliàs illius cognitio non habuisset omnimodam conformitatem cum obiecto, neque sine erroris periculo potuisset determinatè reuelare peccatum Petri futurum. Hinc ergo manifestè colligitur futurum contingens habere sufficientem determinationem, vt per certam & determinatam scientiam cognosci possit; adeoque nihil impedire quin propositio quæ illud futurum enuntiat, sit determinatè vera.

ARTICVLVS III.

Soluuntur nonnullæ obiectiones.

Contra Resolutionem allatam, Obiicies 1. propositio quæ est determinatè vera, non potest non esse vera; at propositio de futuro contingenti potest non esse vera, ergo non est determinatè vera. Maior probatur, quia aliàs eadem propositio posset simul esse vera & falsa. Minor ostenditur, quia cùm causa contingens possit agere, vel non agere, quod dicitur futurum, potest non esse futurum, & consequenter propositio quę affirmat illud futurum, potest non esse vera. Respondeo propositionem formaliter, vt est determinatè vera, non posse vt sic, & in sensu composito vt aiunt, non esse veram, posse verò secundum se, & in sensu diuiso; & hoc posteriori modo tantùm propositionem de futuro contingenti etsi determinatè veram, posse non esse veram. Quatenus etsi absolutè causa libera possit non elicere actum determinatũ, ad illum tamen actu se determinabit; & ex suppositione talis determinationis futuræ, propositio quæ enunciat illum futurum, non potest non esse vera.

Obiicies 2. propositio aliqua non potest esse determinatè vera, quandiu illius obiectum non est determinatum; at futurum contingens non est determinatum, quandiu est futurum, quia dicitur futurum pro toto tempore quod præcedit illius existentiam, & cùm adhuc latet in potentia indifferenti suæ causæ. Quare cũ toto illo tempore illius causa sit indifferens & indeterminata ad illum ponẽdum, vel non ponendum, dici non potest illud tunc esse determi-

natum;ac proinde nequit esse vera determinatè propositio quæ affirmat illud futurum. Respondeo propositionem aliquam non posse esse veram determinatè, nisi illius obiectum sit determinatum vel in se, vel in sua causa; at futurum contingens etsi non sit determinatum in sua causa, in se tamen censetur determinatum: quia licèt Petrus sit iam indifferens ad peccandum cras, vel non peccandum, certum tamen est quod crastina die aut determinatè peccabit, aut determinatè non peccabit; sicque patet propositionem quæ hodie affirmat eum cras peccaturum, esse determinatè veram, aut determinatè falsam: quemadmodum verba illa, *antequam gallus cantet, ter me negabis*, erant determinatè vera quando Christus illa protulit, quia verè Petrus Christum ter erat ante gallicinium negaturus, vt euentus monstrauit.

Obiicies 3. longe certiorem esse veritatem propositionum de futuris necessariò, quàm de futuris contingenter; quod tamen falsum esset si altera harum propositionum esset determinatè vera, altera determinatè falsa. Respondeo minorem negandam esse, nam effectus necessariò futuri, sunt determinati & in suis causis, & in seipsis; at effectus contingenter futuri non sunt determinati in suis causis, sed tantùm in seipsis, quatenus verè & determinatè futuri sunt. Vnde fit maiorem esse certitudinem propositionum de futuris necessariò, quàm de futuris contingenter; siquidem propositio de futuris necessariò ita est determinata, vt sit absolutè necessariò vera; propositio vero de futuris contingenter ita est determinata, vt non sit absolutè necessariò vera, sed tantùm ex hypothesi, & secundum quid.

Obiicies 4. veritas propositionum de futuro contingenti non tollit libertatem, at eam tolleret si esset determinata; si enim hodie verum est determinatè Petrum v. c. cras peccaturum, sequitur id ab æterno fuisse determinatè verum: quod autem ab æterno verum est, non potest non esse verum, adeoque est necessariò verum, & consequenter per libertatem caueri non potest. Respondeo negando minorē, quia licèt determinatè vera foret ab æterno illa propositio, si ab aliquo proferretur, *Petrus ter Christum negabit*, absolutè tamen posset esse falsa, eo quod non esset vera nisi dependenter à negatione futura; quæ cùm contingenter & libere esset ponenda, posset absolutè non poni.

Instabis, propositiones æternæ veritatis non possunt esse falsæ; at dictæ propositiones essent æternæ veritatis, ergo non possent esse falsæ. Respōdeo negando minorem, in sensu quo de propositionibus æternæ veritatis apud Philosophos agi solet; quia illæ tantùm propositiones vocari solent æternæ veritatis, in quibus attributum habet necessariam connexionem cum subiecto, quales sunt istæ, *homo est animal, homo est rationalis, homo est risibilis*; talis autem cōnexio non reperitur inter negationē Christi, & Petrū, cum Petrus Christum non negare potuerit, ideoq; propositio illa, *Petrus Christum negabit*, absolutè potuit esse falsa, etiā ab æterno.

Obiicies 5. nos pugnare cum Arist. qui apertè statuit propositiones de futuro contingēti non esse determinatè veras aut falsas vt art. 1. ostendimus. Respondeo non mirū esse quod ab Arist. hac in parte discedamus, cùm illius sententia parum tuta in fide videatur, vt ex dictis sufficienter colligi potest. Siquidem ablata veritate determinata futurorum contingentium,

futura absolutè, sed tantùm sub conditione. Quod enim aliquando determinatè futurum est, magis certum videtur, quàm id quod non dicitur futurum nisi sub conditione aliqua quæ fortè numquam existet; vt patet in celebri illa propositione conditionali à Christo in Euangelio prolata, *si in Tyro, & Sydone factæ essent virtutes quæ factæ sunt in vobis, pœnitentiam egissent.* Neque enim conditio illa vnquam posita fuit, quia scilicet Christus non edidit miracula apud Tyrios & Sydonios; neque etiam pœnitentia, quæ sub illa conditione secutura dicebatur, vnquam extitit.

Dicendum tamen cum communi sententia Philosophorum, & Theologorum, propositiones de futuris contingentibus conditionatis esse determinatè veras, aut determinate falsas. Probatur 1. quia illa propositio est determinate vera quæ est conformis obiecto, illa determinatè falsa quæ est obiecto difformis; atqui omnis propositio de futuro contingenti conditionato vel est conformis obiecto, vel difformis. Ergo vel est determinatè vera, vel determinatè falsa. Maior probatione non indiget, cùm satis ex supradictis, imò ex seipsa perspicua sit; minor verò ostenditur, quia vel Petrus si à Deo per talem gratiam vocaretur, pœnitentiam ageret, vel non ageret; si ageret, propositio affirmans eum pœnitentiam acturum si vocaretur, esset conformis obiecto; si non ageret, esset difformis, atque ita esset determinatè vera, aut determinatè falsa.

Confirmatur, nam ex principio illo naturæ lumine euidentissimo, *quodlibet est, vel non est*, apertè colligitur de qualibet re posse dici eam esse vel non esse; fuisse, vel non fuisse; fore, vel non fore; nec tantùm absolutè, sed

ſub quacunque conditione, quia ſi poneretur talis conditio, vel hoc eueniret, vel non eueniret. Aliunde verò propoſitio eſt vera, eo ipſo quo enuntiat eſſe quod eſt; & falſa, eo ipſo quo enuntiat eſſe, quod non eſt. Quare ſicut neceſſe eſt rem, de qua fit enunciatio, eſſe determinatè, vel non eſſe; ita neceſſe eſt quamlibet enunciationem eſſe determinatè veram aut falſam.

Probatur 2. nam illa propoſitio eſt determinatè vera, quam Deus ſcit eſſe determinatè veram, & illa determinatè falſa, quam ſcit eſſe determinate falſam; at ex duabus propoſitionibus de futuro contingenti conditionato, Deus ſcit alteram eſſe determinatè veram, alteram determinatè falſam; ergo earum vna eſt determinatè vera, alia determinate falſa. Maior perſpicua eſt, quia alias ſcientia Dei falleretur, quod ſine impietate affirmari nequit. Minor verò oſtenditur, nam quis dubitat hanc fuiſſe ab æterno determinatam veritatem in mente Dei? ſi Chriſtus apud Tyrios & Sydonios miracula patraret, conuerterentur; cum Chriſtus ipſe conceptis verbis affirmauerit, gentes illas ſub ea hypotheſi conuertendas? Idem dic de omnibus aliis propoſitionibus, non modo quæ in Scriptura ſunt reuelatæ, ſed etiam quæ à quouis fingi poſſunt, ſub quacunque conditione ad rem faciente; certiſſimum enim eſt ex fide, Deum ab æterno determinatè cognoſcere, quid quauis eiuſmodi conditione poſita, per noſtram libertatem futurum eſſet, aut non futurum. Quo fit vt ea propoſitio ſit determinatè vera, quæ enunciat futurum ſub aliqua conditione; quod Deus ſub illa futurum videt.

Confirmatur, nam quæ ratio eſt cur propoſi-

ſitio illa conditionata de conuerſione Tyriorum, & Sydoniorum ſit determinate vera, cùm à Chriſto profertur, & non ſit determinatè vera ſi à me proferatur; eſto illius veritas mihi ignota ſit? non enim ideo vt à Chriſto profertur eſt determinatè vera, quia Chriſtus determinatè nouit illius veritatem; ſed quia ſi obueniſſet conditio, populi illi verè conuerſi fuiſſent: at hoc non minùs verum eſt, dum propoſitio eadem à me profertur; ergo non minùs eſt vera determinatè hæc propoſitio, dum à me profertur, quàm fuerit cum à Chriſto prolata eſt.

ARTICVLVS V.

Dilutio quarundam obiectionum.

OBijcies 1. ad veritatem propoſitionis conditionalis requiritur vt antecedens non poſſit eſſe verum ſine conſequente, quò fit vt omnis conditionalis vera, ſit neceſſaria, & omnis falſa, ſit impoſſibilis: at in propoſitionibus de futuro contingenti conditionato, antecedens poteſt eſſe verum ſine conſequente; ergo omnes eiuſmodi propoſitiones ſunt falſæ. Maior eſt axioma Logicum, minor verò facilè ſuadetur, quia quacunque poſita conditione, voluntas hominis manet indifferens ad agendum, vel non agendum, adeoque antecedens poteſt eſſe verum ſine conſequenti; id eſt poteſt poni conditio, etſi non ponatur actio quæ ſub illa conditione dicitur ſequutura.

Reſpondeo hoc argumentum procedere de propoſitionibus conditionalibus, quæ ſumũtur in ſenſu illatiuo neceſſario, quales nõ ſunt illæ de quibus modo agimus: cùm enim nulla ſit

connexio necessaria inter conditionem & effectum, certum est eas omnes determinatè falsas esse, si sumantur illatiuè in eo sensu: agimus ergo de propositionibus conditionalibus, vt præcisè significant coexistentiam operationis liberæ, & alicuius conditionis quæ absolutè eam non infert, etsi ad illam aliquo modo moueat; vt cùm dico, *si Petrus in tali circunstantia tentetur, peccabit, si concioni interfuerit, dolorem concipiet de peccatis*, &c. & contendimus defectum necessariæ illationis non impedire, quin altera ex propositionibus contradictorijs sit determinatè vera, altera determinatè falsa.

Obijcies 2. Vt propositio aliqua de futuro conditionato sit determinatè vera, necesse est vt illius obiectum sit determinatè verũ; at non est, quia quod dicitur futurum sub conditione, neque est determinatum in sua causa, cùm voluntas maneat libera ad illud producendum, vel non producendum; neque in seipso, cùm numquam futurum sit, vt patet ex pœnitentia Tyriorum & Sydoniorum à Christo conditionaliter præuisa. Verùm hæc obiectio imprimis est iniuriosa Deo, cùm supponat eum non habere certam cognitionẽ futurorum sub conditione. Secundò nobis fauet, cùm cõcedat conditionata, in quibus purificatur cõditio, seu quæ aliquando euenient, esse determinatè vera. Tertiò inconsequenter loquitur, quia veritas conditionata est ratione prior absoluta, adeoque ab ea est omnino independens: quare qui cõcedit conditionalẽ esse veram vbi purificatur conditio, cõsequenter fateri debet eam non minùs esse verã, quando non purificatur; vt in pœnitentia Tyriorum antè memorata. Quartò refellitur quia etsi obiectũ propositionis conditionalis non sit determinatum in sua

causa, est tamen determinatum in seipso; quatenus si talis adesset conditio,re vera existeret, hocque sufficit vt propositio affirmans illud futuru sub tali cōditione,sit determinatè vera.

Obiicies 3. si propositio de futuro contingenti conditionato esset determinatè vera, tolleret libertatem; at non tollit, ergo non est determinatè vera. Maioris sequela probatur, quia si v. c. determinatè verū erat,Petrū Christum negaturum ex hypothesi quod ab ancilla tentaretur, ergo posita illa tentatione absolutè peccauit, adeoque non peccauit liberè. Minor verò ab omnibus admittitur,vnde sequitur conclusio. Respondeo negando sequelam maioris, & ad illius probationem dico, Petrum quidem positá tentatione absolutè, id est actu peccare,non tamen peccare necessariò, sed liberè; quia priusquam peccet, est indifferens ad peccandum, vel non peccandum.

Instabis, illud non fieri liberè quod necessariò sequitur ex alio,sed peccatum actuale Petri posita tentatione, necessariò sequitur ex eo quod prius verum est, eum peccaturum si tentetur; ergo peccatum illius non fit liberè.Respondeo distinguendo maiorem, est enim tantùm vera quando aliquid sequitur ex alio omnino independente à voluntate, quod hic non contingit; quia veritas propositionis conditionatæ, ex qua infertur actus vt absolutè futurus,ab vsu ipso libertatis sub conditione præuiso dependet. Quod enim Petrus si tentetur, consensurus sit, id omnino liberum est, quia posset in ea circunstantia non consentire. Quare etsi posita tentatione necessariò consentiat, ea non est necessitas antecedens vsum libertatis, sed eum consequens, adeoque cum illo optimè cohærens.

CAPVT V.

DE QVIBVSDAM AFFEctionibus propositionum absolutarum.

ARTICVLVS PRIMVS.

De oppositione propositionum absolutarum.

PRæmoneo 1. præter affectiones seu proprietates enunciationum suprà explicatas, quæ illis competunt per ordinem ad se, quatenus vna est simplex, alia composita; vna affirmatiua, alia negatiua; vna vera, alia falsa; vna vniuersalis, alia particularis, &c. alias assignari posse, quæ iis conueniunt quatenus vna cum alia confertur, nimirum oppositionem, æquipollentiam, & conuersionem de quibus hic breuiter agendum est.

Præmoneo 2. cùm aliæ enunciationes sint absolutæ seu de inesse, in quibus scilicet prædicatum simpliciter attribuitur subiecto, aliæ modales quæ expressè indicant modum quo attributum conuenit subiecto, primò explicandum esse quomodò oppositio, æquipollentia, & conuersio enuntiationibus absolutis conueniant, quod in hoc capite præstabimus: tum verò qua ratione in modalibus reperiantur, quod in sequenti capite exequemur.

Præmoneo 3. triplicem communiter assignari oppositionem, primam rerum, qualis est inter calorem & frigus, & inter alias qualitates con-

trarias; aliam terminorum de qua supra actum est, cùm diuisimus terminos in contrarios, contradictorios, priuatiuos, & relatiuos; & tertiam propositionum, de qua sola hic agendum est. Itaque,

Quæritur 1. quid sit oppositio. Respondeo oppositionem, vt reperitur in propositionibus absolutis, sic à Logicis definiri. *Oppositio est duarum absolutarum enunciationum, eodem subiecto & prædicato constantium, repugnantia secundum affirmationem & negationem, vel secundum quantitatem.* Vt autem quæ circa hanc oppositionem tradit Aristoteles cap. 6. libri de Interpret. intelligantur,

Aduerte 1. affirmationem esse *enunciationem alicuius de aliquo*, nempe attributi de subiecto, vt animalis de homine, hoc modo, *homo est animal*: negationem verò esse *enunciationem alicuius ab aliquo*, seu qua vnum ab alio separatur, vt albedo à coruo in hunc modum, *coruus non est albus.*

Aduerte 2. omni affirmationi oppositam esse negationem, & omni negationi affirmationem; si quidem non tantum quidquid rei inest affirmari potest inesse, & quidquid non inest, negari inesse; sed etiam quidquid affirmatur inesse, negari potest inesse; & quidquid negatur inesse, affirmari potest inesse.

Aduerte 3. multa requiri ad veram oppositionem: primò vt affirmatio & negatio sint de eodem subiecto; cuius defectu istæ duæ propositiones non opponuntur inter se, *Socrates legit*, *Plato non legit.*

Secundò vt circa idem attributum versentur, quò fit vt non sit oppositio inter hanc propositionem, *Plato legit*, & istam, *Plato non ambulat*: quia per vnam non negatur quod per

alteram affirmatur; neque inter istas, *Aristoteles qui est Philosophus, docet, Aristoteles qui non est Philosophus, docet*, quia præcipuum vtriusque attributum affirmatur; neque inter has, *Aristoteles doctè Philosophatur, Aristoteles non Philosophatur*, qua nō est totale attributū in vtraque.

Tertiò vt id de quo aliquid affirmatur vel negatur, sit idem reipsa, & non tantùm nomine; quæ ratio est cur non sit oppositio inter has duas præpositiones, *Taurus mugit; Taurus non mugit*, si in priori Taurus sumitur pro animali, & in posteriori pro sydere, aut monte.

Quartò vt ambæ propositiones sumantur secundum idem tempus, & secundum eundem locum, quò fit vt istæ non sint oppositæ, *Petrus legit, Petrus non legit*, si altera intelligatur de præsenti, & altera de præterito. Neque istæ, *Petrus est in sacello, Petrus non est in sacello*, si intelligas esse in sacello beatissimæ virginis, non in sacello S. Bernardi.

Quæritur 2. quotuplex sit oppositio. Respondeo ex communi sententia oppositionem esse quadruplicem, nempe contradictoriam, contrariam, subcontrariam, & subalternam. Oppositio contradictoria ex Arist. cap. 7. libri citati est, quando altera propositio rem vniuersalem significat esse vniuersaliter, altera non esse vniuersaliter, vt *omnis homo est albus, non omnis homo est albus*: &, *nullus homo est albus, quidam homo est albus*. Non tamen ad hæc contradictio est limitanda, cùm illæ propositiones singulares *Plato docet, Plato non docet*, verè sint contradictoriæ, vt patet ex cōtextu eiusdē capitis.

Oppositio contraria iuxta Philosophū ibid. est, cùm altera propositio vniuersaliter de re vniuersali enunciat aliquid inesse, altera non inesse, vt *omnis homo est albus, nullus Homo est albus*.

Quod si de rebus vniuersalibus non enunciatur vniuersaliter, id est apposita nota vniuersali, omnis, nullus, monet Philosophus propositiones non esse contrarias, etsi plerumque pro contrarijs sumantur, vt, *homo est albus, homo non est albus*, sed indefinitas.

Oppositio subcontraria est quando duarum propositionum particularium alia affirmat, alia negat, vt *aliquis homo est doctus, aliquis homo non est doctus.* Fatendum tamen istam non esse propriam oppositionem, cùm non sit idem vtriusque subjectum: ille enim aliquis homo qui dicitur doctus, distinguitur ab eo aliquo qui dicitur non doctus; vel si de eodem homine vtrumque dicitur, iam propositiones sunt contradictoriæ, non autem subcontrariæ.

Oppositio subalterna est inter propositiones quæ habent eandem qualitatem essentialem, & distinguuntur tantum quoad quantitatem, quatenus vna est vniuersalis, & altera particularis, vt cùm dico, *omnis homo est albus, aliquis homo est albus.* Vnde patet has propositiones quarum vniuersalis dicitur subalternans, & particularis subalternata, adhuc multo minùs esse oppositas quàm subcontrarias; cum non distinguantur per affirmationem, & negationem; imò particularis necessariò ex vniuersali inferatur: si enim omnes homines sunt albi, sequitur necessariò aliquem hominem esse album. Quare in rigore duæ tantùm sunt oppositiones propositionum, nempe contradictoria, & contraria. Ne tamen hac in parte ab vsu communi recedamus, quatuor vulgares oppositiones admittendæ sunt, quas in hoc schemate descriptas habes.

Omnis homo est iustus	contrariæ	nullus homo est iustus.
Subalternæ	Contra dictoria / Contra dictoria	Subalternæ
Aliquis homo est iustus.	ſubcontrariæ	Aliquis homo non eſt iuſtus.

ARTICVLVS II.

De legibus prædictarum oppoſitionum.

ENunciationum contradictoriarum lex eſt ſeu natura, vt in quacunque materia earum altera ſit vera, altera falſa, neque fieri poſſit vt ambæ ſint veræ, aut falſæ. Cuius ratio ſumitur ex illo principio per ſe noto, *Impoſsibile eſt aliquid ſimul eſſe, & non eſſe:* verbi causâ Petrum eſſe hominem, & non eſſe hominem; eſſe lapidem, & non, eſſe lapidem; eſſe doctum, & non eſſe doctum. Quare cùm ex propoſitionibus contradictarijs altera affirmet rem eſſe, altera neget eſſe,

hinc fit vt earum altera necessariò sit vera, nimirum affirmans rem esse quæ est, aut negans esse quæ non est; altera necessariò falsa, scilicet affirmans rem esse quæ non est, aut negans esse quæ est. Atque hoc vniuersim verum est in quacunque materia siue necessaria, siue impossibili, siue contingenti, vt patet in exemplis allatis.

Enunciationum contrariarum lex est 1. vt in materia naturali altera necessariò sit vera, altera falsa; vt cùm dico, *omnis homo est animal, nullus homo est animal*; itemque in materia remota seu impossibili, vt si dicam, *omnis homo est lapis, nullus homo est lapis*. 2. vt in materia contingenti non possit vtraque simul esse vera, ambæ tamen possint esse falsæ; vt cum dico, *omnis homo est albus, nullus homo est albus.* Quare ex vnius contrariæ veritate, alterius falsitas colligi potest, non tamen ex vnius falsitate veritas alterius.

Ratio autem cur ambæ contrariæ non possunt simul esse veræ, inde sumitur, quia hinc sequeretur duas contradictorias simul esse veras, quod planè repugnat: sequela ostenditur, nam si duæ illæ propositiones contrariæ, *omnis homo est iustus, nullus homo est iustus*, sunt simul veræ, ergo hæ duæ earum subalternæ, quæ sunt inter se subcontrariæ, *aliquis homo est iustus, aliquis homo non est iustus*, sunt veræ; atqui prior contraria est contradictoria posteriori subcontrariæ, & posterior priori, vt patet ex paradigmate superius descripto; ergo duæ contradictoriæ sunt simul veræ.

Enunciationum subcontrariarum lex est 1. vt in materia naturali, & remota, altera sit necessariò vera, altera falsa; vt cum dico, *ali-*

quis homo est risibilis, aliquis homo non est risibilis: Item, *aliquis homo est hinnibilis, aliquis homo non est hinnibilis.* 2. vt in materia contingenti vtraque possit esse vera, vt *aliquis homo est iustus, aliquis homo non est iustus*; non tamen vtraque falsa, quia si ambæ essent falsæ, sequeretur duas contradictorias simul esse falsas, vt patet ex allato paradigmate; nam si prior subalternata, *aliquis homo est iustus*, falsa est, falsa item est hæc illius subalternans, *omnis homo est iustus*; & si posterior subalternata, *aliquis homo non est iustus*, est falsa, necesse est etiam hanc illius subalternantem, *nullus homo est iustus*, falsam esse. Vnde hæ duæ contradictoriæ erunt simul falsæ, *omnis homo est iustus, aliquis homo non est iustus*, & duæ istæ, *nullus homo est iustus, aliquis homo est iustus.*

Nec putes ex eo quod dicimus vtramque subcontrariam posse simul esse veram, sequi duas contradictorias posse simul esse veras. Non enim est par ratio; quia etsi ex falsitate supposita subalternatarum rectè deducitur falsitas subalternantium, & consequenter falsitas contradictoriarum, vt ostensum est; non tamen ex earum veritate veritas subalternantium colligi potest, vt liquet ex allato exemplo. Nam licèt verum sit aliquem hominem esse iustum, non ideo verum est omnem hominem esse iustum: & quamuis verum sit aliquem hominem non esse iustum, non propterea verum est, nullum hominem esse iustum.

Enunciationum subalternatarum lex est 1. vt tam in materia naturali, quàm remota simul sint veræ, vel falsæ, vt *omnis homo est animal, aliquis homo est animal, omnis homo est lapis, aliquis homo est lapis.* 2. in materia contingenti vt si vniuersalis sit vera, particularis

ſit vera, poſſit tamen vniuerſalis eſſe falſa, particulari exiſtente vera, ſed nequeat particularis eſſe falſa, quin etiam vniuerſalis ſit falſa. Declaratur exemplis, ſi omnis homo eſt albus, ſane ſequitur aliquem hominem eſſe album, ſed non ſi aliquis homo eſt albus, ſequitur omnem hominem eſſe album: ſi tamen falſum eſt aliquem hominem eſſe album, à fortiori falſum eſt omnem hominem eſſe album.

ARTICVLVS III.

De æquipollentijs propoſitionum abſolutarum.

ÆQuipollentia nihil eſt aliud quàm *duarum enunciationum ex eodem ſubiecto, & prædicato conſtantium æquiualentia, ex diuerſis ſignis prouemens.* Cuius tres regulæ aſſignari ſolent, quarum prima ſpectat ad enunciationes contradictorias, ſecunda ad contrarias, tertia ad ſubalternas vt hoc verſu indicatur.

Præ contradic, poſt contra, præ poſtque ſubalter. vbi hæc verba, *præ contradic*, ſignificant negationem ſubiecto præpoſitam facere vt propoſitio æquipolleat ſuæ contradictoriæ; illa verò, *poſt contrà* ſignificant negationem ſubiecto poſtpoſitam facere vt propoſitio æquiualeat ſuæ contrariæ; at ſequentes particulæ indicant negationem poſitam ante & poſt ſubiectum, facere vt propoſitio æquiualeat ſuæ ſubalternæ; quæ omnia per ſequentes regulas clariùs explicantur.

Prima regula: ſi particula *non* præponatur ſubiecto alicuius enunciationis, ea fiet æqui-

pollens suæ contradictoriæ, v. c. istæ propositiones sunt contradictoriæ, *omnis homo est doctus*, *aliquis homo non est doctus*: si negationem præponas priori; ea fiet æquipollens posteriori; si vero negationem præponas posteriori, ea fiet æquipollens priori. Siquidem *non omnis homo est doctus*, idem valet ac, *aliquis homo non est doctus*, & *non aliquis homo non est doctus*, idem valet ac, *omnis homo est doctus*.

Secunda regula, Si particula, *non* postponatur subiecto enunciationis vniuersalis, ea fiet æquipollens suæ contrariæ. Exempli gratia, istæ propositiones sunt contrariæ, *omnis homo est iustus*, *nullus homo est iustus*; si negationem ponas post subjectum prioris hoc modo, *omnis homo non est iustus*, ea fiet æquipollens posteriori, est enim idem ac, *nullus homo est iustus*: & similiter si dicas, *nullus homo non est iustus*, hæc propositio fiet æquipollens illi, *omnis homo est iustus*.

Tertia regula, quando negatio præponitur, & postponitur subjecto enunciationis subalternæ, ea fit æquipollens suæ subalternanti. Exempli gratia, *omnis homo est iustus*, *aliquis homo est iustus*, sunt propositiones subalternæ, quarum prior dicitur subalternans, & posterior subalternata; si subalternatam sic efferas, *non aliquis homo non est iustus*, ea idem significabit ac, *omnis homo est iustus*. Eodem modo si negatio præponatur & postponatur subiecto subalternantis, ea fit æquiualens subalternatæ, vt, *non omnis homo non est iustus*, æquiualet isti, *aliquis homo est iustus*.

Atque hæc quidem reciprocatio habet locum in subalternatis affirmatiuis, non tamen in negatiuis, quia quamuis subalternans negatiua addita duplici negatione æquiualeat

subalternatæ negatiuæ, vt hæc *non nullus homo non est iustus*, isti, *aliquis homo non est iustus*, dici non potest similiter hanc subalternatam addita dupl:ci negatione fieri æquipollentem suæ subalternanti: quia cùm habeat negationem post subiectum, duplex adhuc illi esset addenda negatio, altera ante subiectum, altera post subiectum; sicque post subiectum duas haberet negationes se immediatè sequentes, hoc modo, *non aliquis homo non non est iustus,* quod esset ridiculum. Verum vt prædicta clariùs percipiantur,

Aduerte 1. non assignari quartam regulam pro subcontrarijs, quia negatio non potest addi nisi aliquo ex modis prædictis, nempe vel ante subiectum, vel post subjectum, vel ante & post subjectum, ac primo modo facit contradictorias æquipollentes, secundo contrarias, tertio subalternas, vt ostensum est. Quod autem quocunque ex his modis negatio addatur sub contrarijs, non possit subcontrarias reddere æquiualentes, sic ostenditur. Istæ duæ propositiones, *aliquis homo est iustus, aliquis homo non est iustus*, sunt subcontrariæ, cumque ambæ sint particulares, fieri nequit vt altera alteri æquiualeat, si ea cui fiet additio negationis, per talem additionem euadat vniuersalis: at euadet vniuersalis siue ei præponatur negatio, vt patet ex contradictorijs, siue duplex ei addatur negatio, vna ante subiectum, & altera post illud, vt patet ex subalternis. Non ergo vllo ex ijs modis negatio adijci potest alicui ex propositionibus subcontrarijs. Quod autem neque tertio modo addi possit, nempe post subjectum, vt fit in contrarijs, probatur, quia si negatio addatur propositioni affirmatiuæ, hoc

modo, *aliquis homo non est iustus*, ea coïncidet cum negatiua opposita, quæ iisdem verbis concipitur; si autem addatur propositioni negatiuæ; iam illa cum duplici negatione efferenda erit hoc modo, *aliquis homo non non est iustus*, quæ repetitio ridicula est, & à Philosopho caueri debet.

Aduerte 2. tantam esse vim negationis, vt præmissa signo vniuersali faciat illud particulare, & præmissa signo particulari illud reddat vniuersale. Vnde *non omnis*, & *non nullus* sunt signa particularia, at verò *non quidam*, & *non aliquis*, sunt signa vniuersalia, vt intelligi potest ex allatis æquipollentijs, quarum vis ex his versibus percipi potest.

Non omnis, quidam non, omnis non, quasi nullus,
Non nullus, quidam; sed nullus non, valet omnis
Non aliquis, nullus; non quidam non valet omnis.

Verùm facilius totum æquipollentiæ mysterium percipies ex hac tabella, in qua exempla propositionum contradictoriarum, contrariarum, & subalternarum, earumque æquipollentium traduntur.

Propositiones contradictoriæ.

Omnis homo est iustus, aliquis homo non est iustus:
Nullus homo est iustus, aliquis homo est iustus:

Æquipollentes.

Non omnis homo est iustus; aliquis homo nō est iustus.
Non aliquis homo non est iustus, omnis homo est iustus.
Non nullus homo est iustus; aliquis homo est iustus.
Non aliquis homo est iustus; nullus homo est iustus.

Propositiones contrariæ.

Omnis homo est iustus; nullus homo est iustus.

Æquipollentes.

Omnis homo non est iustus: nullus homo est iustus.
Nullus homo non est iustus; omnis homo est iustus.

Propo-

Propositiones subalternæ.

Omnis homo est iustus; aliquis homo est iustus.

Nullus homo est iustus, aliquis homo non est iustus:

Æquipollentes.

Non omnis homo non est iustus, aliquis homo est iustus:

Non aliquis homo non est iustus, omnis homo est iustus.

Non nullus homo non est iustus, aliquis homo non est iustus.

Sed non valet.

Non aliquis homo non non est iustus, nullus homo est iustus.

Aduerte 3. etsi ante dicta nonnullis inutilia & ridicula videantur, vulgò tamen etiam à viris doctissimis tradi & Logicæ studiosis incul-cari, quæ causa est, cur à nobis prætermitti non debuerint. Maximè quia cùm frequens sit vsus apud Philosophos, & Theologos propositionum negatiuarum, quarum sensus interdum non ita peruius est, ex allatis regulis facilè intelligi potest quo sensu accipiendæ sint. Exempli gratia, si quis non capiat vim istius propositionis, *non omnis homo est iustus*, consulat primam regulam, & ex ea percipiet dempta negatione, propositionem esse contradictoriè oppositam isti, *aliquis homo non est iustus*, ac proinde cum particula negatiua illi æquiualere. Et sic de alijs.

ARTICVLVS IV.

De Conuersionibus propositionum absolutarum.

CONuersio, vt hic sumitur, est *commutatio extremorum enunciationis seruata qualitate, & veritate.* Vnde ad conuersionem tria requiruntur. 1. vt subiectum vnius propositionis fiat prædicatum alterius, & prædicatum fiat illius subiectum. 2. vt seruetur in vtraque propositione eadem qualitas essentialis, quæ est affirmatio, & negatio; ita scilicet vt propositio affirmatiua conuertatur in affirmatiuam, & negatiua in negatiuam. 3. vt seruetur eadem qualitas accidentalis seu veritas, adeo vt vera in veram tantùm conuertatur. Cæterùm propositio cuius extrema conuertuntur, dicitur conuersa, quæ autem fit ex extremis commutatis, dicitur conuertens.

Triplex vulgò assignatur conuersio, quarum 1. dicitur simplex. 2. per accidens. 3. per contrapositionem. Conuersio simplex est in qua seruatur non modo eadem qualitas tam essentialis, quàm accidentalis propositionis, sed etiam eadem quantitas, ita scilicet vt vniuersalis in vniuersalem, & particularis in particularem conuertatur. Vt *nullus homo est lapis, nullus lapis est homo; aliquis homo est albus, aliquod album est homo.*

Conuersio per accidens dicitur ea in qua manet quidem eadem qualitas, sed quantitas mutatur; adeo vt vniuersalis in particularem commutetur; vt, *omnis homo est animal, aliquod animal est homo: nullus equus est lapis, quidam la-*

pis non est equus; non tamen particularis in vniuersalem, quia non semper ea conuersio legitimè fieri potest, vt patet si dicas, *aliquis homo est albus, ergo omne album est homo: aliquis homo non est albus, ergo nullum album est homo.*

Conuersio verò per contrapositionem fit non mutata quantitate, aut qualitate propositionum, sed mutatis terminis finitis in terminos infinitos, vt si dicam, *omnis homo est animal, ergo omne non animal est non homo.* Item, *quidam equus non est lapis, ergo quidam non lapis non est non equus.* Ex quo patet hanc non esse propriam conuersionem, cùm ijdem termini non maneant.

Vt autem quæ ad conuersionem propositionum spectant, meliùs percipias, obseruandum 1. tres modos prædictos his duobus versibus contineri

Simpliciter feci, conuertitur eua per acci,
Asto per contra, sic fit conuersio tota

Quibus indicatur propositiones per, *feci*, denotatas mutari per simplicem conuersionem, denotatas verò per *eua*, conuerti per accidens; & per, *asto*, indicatas conuerti per contrapositionem.

Obseruandum 2. in verbis illis includi quatuor vocales A E I O quarum prima denotat propositionem vniuersalem affirmatiuam, secunda propositionem vniuersalem negatiuam, tertia particularem affirmatiuam, quarta particularem negatiuam, quod his duobus versibus exprimi solet

Asserit A, *negat* E: *sunt vniuersaliter ambæ,*
Asserit I. *negat* O: *sunt particulariter ambo.*

Vnde intelligis vocales inclusas in *feci*, significare propositionem vniuersalem negatiuam, & particularem affirmatiuam conuerti

ſimpliciter ; vocales autem incluſas in , *eua*, innuere vniuerſalem negatiuam & vniuerſalem affirmatiuam conuerti per accidens ; ac denique vocales incluſas, in , *Aſto*, indicare propoſitionem vniuerſalem affirmatiuam & particularem negatiuam conuerti per contrapoſitionem. Verùm quia nondum capis, quales ſint conuertentes eiuſmodi conuerſarum.

Obſeruandum 3. hunc verſum ad hoc intelligendum à Logicis fuiſſe concinnatum ,

Ecce tibi p im. armigeros ſec , arma dono ter:
nam illa verba , *ecce tibi prim*, denotant prima conuerſione ſeu ſimplici tranſmutari *Ecce*, & *tibi*, id eſt *e* in *e* & *i* in *i*. ſeu vniuerſalem negatiuam in vniuerſalem negatiuam, & particularem affirmatiuam in particularem affirmatiuam. Illa verò *armi* , *geros ſec*, denotant per ſecundam conuerſionem quæ eſt per accidens, conuerti *A* in *I* & *E* in *O*, id eſt vniuerſalem affirmatiuam in particularem affirmatiuam, & vniuerſalem negatiuam in particularem negatiuam. Illa autem *arma dono ter* , ſignificant tertia conuerſione , quæ eſt per contrapoſitionem , conuerti *A* in *A* & *O* in *O* , id eſt vniuerſalem affirmatiuam in vniuerſalem affirmatiuam , & particularem negatiuam in particularem negatiuam.

Obſeruandum 4. Ariſtotelem libro 1. priorum Analyt. cap. 2. afferre rationem quarumdam ex dictis conuerſionibus · ac primò oſtendit illam propoſitionem vniuerſalem negatiuam, *nullus homo eſt lapis* , rectè conuerti in iſtam , *nullus lapis eſt homo* ; quia aliàs ſequeretur aliquem lapidem eſſe hominem, adeoque aliquem hominem eſſe lapidem , quod eſt contradictorium primæ propoſitionis , *nullus homo eſt lapis*.

Deinde oſtendit illam propoſitionem vniuerſalem affirmatiuam, *omnis homo eſt animal*, rectè conuerti in iſtam, *aliquod animal eſt homo*; quia aliàs fatendum eſſet nullum animal eſſe hominem, adeoque nullum hominem eſſe animal: ſicque iſta duo contraria eſſent ſimul vera, *omnis homo eſt animal, nullus homo eſt animal.*

Tertio oſtendit hanc propoſitionem particularem affirmatiuam, *quædam voluptas eſt bona*, rectè conuerti in iſtam, *quoddam bonum eſt voluptas*; quia aliàs ſequeretur hanc illi contradicentem *nullum bonum eſt voluptas*, veram eſſe, & conſequenter iſtam, *nulla voluptas eſt bona*: Vnde cùm hæc vltima primæ, quæ tanquam vera admittitur ſit contradictoria, conſequens eſſet duo contradictoria eſſe ſimul vera, nempe *nulla bona eſt voluptas*, & *quædam voluptas eſt bona.*

CAPVT VI.

DE AFFECTIONIBVS propositionum modalium.

ARTICVLVS PRIMVS.

De oppositione enunciationum modalium.

VT hæc oppositio intelligatur, obseruandum est 1. quod sicut quantitas propositionum simplicium explicatur per signa superius relata, ita quantitas modalium exprimitur per modos signis illis æquiualentes, vt ex his duobus versibus intelligi potest.

Omnis necesse valet, impossibile nullus,
Possibile quidam, quidam non possibile non.

Hinc enim colligitur *necesse* æquiualere signo *omnis*, adeoque esse modum vniuersalem affirmatiuum; *impossibile* æquiualere signo vniuersali *nullus*; *possibile* seu *contingens* æquiualere signo particulari affirmatiuo *quidam*, seu *aliquis*; & *possibile non*, seu *contingens non*, idem valere ac signum particulare negatiuum *quidam non*, seu *aliquis non*.

Obseruandum 2. eandem reperiri oppositionem inter modos, ac inter signa prædicta. Vnde in primis sicut *omnis*, & *quidam non*; *nullus*, & *quidam* opponuntur contradictoriè, ita *necesse*, & *possibile non*; itemque *impossibile*, & *possibile contradictoriè* opponuntur. Deinde sicut

omnis & *nullus* opponuntur contrariè; ita *necesse* & *impossibile*. Rursus sicut *quidam*, & *quidam non* opponuntur subcontrariè, ita *possibile & possibile non*. Ac tandem sicut *omnis*, & *quidam*, *nullus* & *quidam non* sunt subalterna, ita *necesse* & *possibile*, *impossibile* & *possibile non*, quæ omnia ex subiecta tabella facilè intelligi poterunt.

Omnis necesse	contraria	nullus impossibile
Subalterna	Contra dictoria / Contra dictoria	Subalterna
quidam possibile	subcontraria	Quidam non possibile non

Obseruandum 3. ex hac modorum oppositione facilè intelligi posse, quomodo propositiones modales inter se opponantur: non tamen erit inutile exemplum harum oppositionum oculis tyronum subijcere.

Necesse esse hominem esse animal — contrariæ — impossibile est hominem esse animal

Subalternæ — Contra dictoriæ — Contra dictoriæ — Subalternæ

possibile est hominem esse animal — subcontrariæ — possibile est hominem non esse animal.

Obseruandum 4. præter dictas oppositiones, quæ fiunt circa modos diuersarum appellationum, alias esse quæ versantur circa modos eiusdem nominis. Qua ratione in primis illæ propositiones censendæ sunt contradictoriæ, quarum altera habet modum affirmatiuum, altera negatiuum, vt patet ex Arist. lib. de Interpret. cap. 12. vbi docet possibile non possibile, necesse non necesse, impossibile non impossibile, contingens non contingens, verum non verum, &c. esse contradictoria. Et rationem affert, quia si oppositio modalium non sumeretur à modo, sed à dicto, vt cum dico, *possibile est hominem currere, possibile est hominem non currere*, sequeretur duas contradictorias

posse simul esse veras: cùm constet eundem hominem qui potest currere, posse etiam non currere. Quare ait has esse propriè contradictorias, *possibile est hominem currere, non possibile est hominem currere*; quia de eodem simul affirmari nequeunt.

Deinde illæ propositiones sunt contrariæ quæ habent eundem modum vniuersalem, & dicta opposita; vt necesse est *Petrum studere, necesse est Petrum non studere. Non possibile est Petrum studere, non possibile est Petrum non studere.*

Rursus propositiones subcontrariæ habent eundem modum particularem, & dicta cōtradictoria, vt *possibile est Petrum studere, possibile est Petrum non studere; non necesse est Petrum studere, non necesse est Petrum non studere.*

Tandem propositiones subalternæ quoad modum & dictum opponuntur, vt *possibile est Petrum studere, non possibile est Petrum non studedere; necesse est Petrum non studere, non necesse est Petrum studere.* Quæ omnia ex hoc schemate clariora euadent.

neceſſe eſt Petrum ſtudere: non poſſibile eſt Petrum non ſtudere	contrariæ	neceſſe eſt Petrum non ſtudere. non poſſibile eſt Petrum ſtudere.
Subalternæ	contra dictoriæ / contra dictoriæ	Subalternæ
Non neceſſe eſt Petrum non ſtudere: Poſsibile eſt Petrum ſtudere	ſubcontrariæ	Non neceſſe eſt Petrum ſtudere Poſsibile eſt Petrum non ſtudere.

ARTICVLVS II.

De æquipollentiis Modalium.

DE hac materia tractat Ariſt. lib. de Interpret. cap. 13. vbi relato modo quo antiqui tabellas harum propoſitionum conſtruebant, alium congruentiorem tradit quem vt faciliùs percipias,

Nota 1. quatuor hæc vocabula conficta eſſe à Logicis, *Amabimus*, *Iliace*, *Edentuli*,

Purpurea, quæ ea arte constructa sunt vt singula ex quatuor syllabis constent, quibus significantur quatuor modi propositionum modalium, hoc scilicet ordine, vt prima cuiusque vocabuli syllaba significet *possibile*, secunda *contingens*, tertia *impossibile*; quarta *necessarium*.

Nota 2. cùm quælibet propositio modalis quatuor modis efferri possit v. c. possibile est hominem esse album, non possibile est hominem esse album, possibile est hominem non esse album, non possibile est hominem non esse album, primum vocabulum denotare quibus propositionibus de contingenti, de impossibili, & de necessario æquipolleat primus modus propositionis modalis de possibili: secundum, quibus æquiualeat secundus; tertium quibus tertius; quartum quibus quartus.

Nota 3. in singulis syllabis prædictorum vocabulorum reperiri aliquam ex his vocalibus A. E. I. V. quarum prima denotat propositionem simplicem affirmatiuam tam ex parte modi, quàm ex parte dicti, vt possibile est esse. Secunda negatiuam ex parte dicti tantùm, vt possibile est non esse; tertia negatiuam ex parte modi duntaxat, vt non possibile est esse; quartam negatiuam ex parte modi, & dicti, vt non possibile est non esse; quæ omnia ex his duobus versibus intelliguntur.

Destruit V. *totum, verum* A. *confirmat vtrumque,*
Destruit E. *dictum, destruit* I *que modum.*

Quare cum in primo vocabulo amabimus, sint vocales A. A. I. V. hinc manifestè colligitur propositionem simplicem affirmatiuam de possibili, denotatam per primam vocalem, æquiualere simplici affirmatiuæ de contingen-

ti, quæ secundæ vocali respondet, & impossibili negatiuæ ex parte modi quæ tertiæ, & necessariæ negatiuæ tam ex parte modi quàm dicti, quæ per vltimam vocalem repræsentatur.

Et cùm secundum vocabulum constet vocalibus I. I. A. E. id denotat propositionem de possibili negatiuam quoad modum, æquipollere contingenti negatiuæ quoad modum, impossibili simpliciter affirmatiuæ, & necessariæ negatiuæ quoad dictum.

Cumque tertium vocabulum componatur ex vocalibus E. E. V. I. id denotat propositionem de possibili negatiuam quoad dictum, æquipollere contingenti negatiuæ quoad dictum, impossibili ex vtraque parte negatiuæ, & necessariæ negatiuæ ex parte modi tantùm.

Denique quia quartum vocabulum constat ex vocalius V. V. E. A. inde colligitur, propositionem de possibili vtrinque negatiuam æquipollere contingenti ex vtraque parte negatiuæ, impossibili negatiuæ ex parte dicti duntaxat, & necessariæ simpliciter affirmatiuæ. Verum istæ omnes æquipollentiæ propositionum modalium ex his quatuor tabellis facilius percipi possunt.

I.

A	*Possibile est Socratem studere*
ma	*Contingens est Socratem studere*
bi	*Non impossibile est Socratem studere*
mus	*Non necesse est Socratem studere*

II.

I	*Non possibile est Socratem studere*
li	*Non contingens est Socratem studere*
a	*Impossibile est Socratem studere*
ce	*Necesse est Socratem non studere*

III.

E *Possibile est Socratem non studere*
den *Contingens est Socratem studere*
tu *Non impossibile est Socratem non studere*
li *Non necesse est Socratem studere*

IV.

Pur *Non possibile est Socratem non studere*
pu *Non contingens est Socratem non studere*
re *Impossibile est Socratem non studere*
a *Necesse est Socratem studere*

Fateor tamen ista etsi ingeniosè excogitata, plerumque magis confundere quàm iuuare memoriam, nec nisi longo vsu probè addisci posse vt satis experientia ostendit. Quare vtilius forte erit, aut nonnullis gratius, quatuor regulas obseruare, quæ breuiter rem totam conficiunt.

Prima sit, possibile idem valet ac contingens, si eodem modo varientur, vt, quod possibile est esse, contingens est esse; quod possibile est non esse, contingens est non esse, &c.

Secunda, possibile seu contingens idem valet ac impossibile, si quoad modum contradictorie sumantur, reliquis immutatis, ita vt vni addatur negatio modalis, quando aliud ea caret; vt quod possibile est esse, non impossibile est esse; & quod non possibile est esse, impossibile est esse.

Tertia, possibile seu contingens idem valet ac necessarium, quando se habent modo planè opposito quoad affirmationem, & negationem, tam ex parte modi, quàm ex parte dicti: vt possibile est esse, non necesse est non esse; possibile est non esse, non necesse est esse.

Quarta, impossibile & necessarium idem

valent quando vno negante quoad dictum, aliud affirmat, si alia sint similia: vt impossibile est esse, necesse est non esse, impossibile est non esse, necesse est esse.

ARTICVLVS III.

De conuersionibus modalium.

Aristoteles lib. 1. priorum Analyt. cap. 3. tradit regulas quasdam conuersionum propositionum modificatarum tam necessariarum, quàm contingentium, quas vt melius intelligas,

Præmoneo conuersionem modalium non in eo consistere vt modus mutetur in dictum, sed vt extrema dicti inter se commutentur, vt si dicam, necesse est hominem esse animal, ergo necesse est animal esse hominem.

Itaque quod attinet ad propositiones de necessario, docet eas eodem modo conuerti ac propositiones simplices, seu de inesse; nam in primis vniuersalis negans simpliciter conuertitur, vt necesse est nullum hominem esse lapidem, ergo necesse est nullum lapidem esse hominem.

Deinde vniuersalis affirmans conuertitur in particularem, vt necesse est omnem hominem esse animal, ergo necesse est aliquod animal esse hominem.

Rursus propositio particularis affirmans simpliciter conuertitur, vt necesse est quendam hominem esse animal, ergo necesse est quoddam animal esse hominem.

Tandem particularis negatiua non conuer-

titur vt patet; quia si dicas, necesse est quoddam animal non esse hominem, male inferes, ergo necesse est quendam hominem non esse animal.

Quod spectat ad propositiones de contingenti, monet Philosophus contingens sumi tripliciter, & iuxta varias illius acceptiones tradit varias regulas conuersionis propositionum de contingenti, quæ quia parum necessariæ videntur, sufficiet ex eo hic obseruare 1. si contingens propriè sumatur vt solet, pro eo quod potest esse & non esse, omnes propositiones affirmatiuas de cōtingenti conuerti eodem modo, quo dictum est conuerti propositiones affirmatiuas de necessario, ita scilicet vt vniuersalis affirmatiua conuertatur per accidens, seu in particularem affirmatiuã; vt contingens est omnem hominem esse album, ergo contingens est aliquod album esse hominem: & particularis affirmatiua simpliciter conuertatur, seu in particularem affirmatiuam; vt contingens est aliquem hominem esse album, ergo contingens est aliquod album esse hominem.

Obseruandum 2. propositionem vniuersalem negatiuam non conuerti simpliciter, sed particularem negatiuam eo modo conuerti. v. c. non rectè dicimus, contingens est nullum hominem esse album, contingens est nullum album essse hominem; multa enim sunt alba quæ necessariò non sunt homo, vt nix, cignus, &c. at rectè dicimus, contingens est aliquem hominem non esse album, contingens est aliquod album non esse hominem; quia aliquod album quod non est homo, est contingenter album, ita scilicet vt ex se possit esse, vel non esse album.

Verùm contra has conuersionum regulas ab Arist. traditas duo præter alia obiici possunt: in primis falsum videtur quod ait, propositionem vniuersalem & particularem affirmatiuam de necesse conuerti in particularem affirmatiuam de necesse; non enim sequitur, necesse est omnem vel aliquem Philosophum esse hominem, ergo necesse est aliquem hominem esse Philosophum; cùm liberum sit omnibus hominibus non studere Philosophiæ. Respondeo vt vera sit regula illa, vel necesse debere sumi in consequente pro possibili, vt aliqui putant, vel conuersionem illam intelligendam esse supposita existentia extremorum, ita vt ex hypothesi quod homines existant, & quod Philosophia etiam existat, ex illa propositione, necesse est omnem Philosophum esse hominem, rectè ista sequatur, necesse est aliquem hominem esse Philosophum; quia sensus prioris propositionis est, omnem Philosophiam quæ existit, in solis hominibus existere. Vnde necessariò sequitur, aliquem hominem præditum esse Philosophia.

Præterea durum videtur quod dixerit Aristoteles, propositionem vniuersalem negatiuam de contingenti non conuerti simpliciter, particularem verò eo modo conuerti; cùm hæc ratio conuersionis propositioni vniuersali & particulari affirmatiuæ aliorum modorum competat, non autem vniuersali & particulari negatiuæ, vt patet ex dictis. Responderi potest ex ipsomet Arist. non mirum esse quod propositiones de contingenti, de quibus agimus, in conuersione sequantur regulas affirmantium, non negantium; quia etsi videantur negatiuæ, verè

tamen ſunt affirmatiuæ, cùm earum modus ſit affirmatiuus.

Quod ſi inſtes, ſi propoſitiones illæ verè ſunt affirmatiuæ, perperam Ariſtotelem eas hic recenſere inter negatiuas. Reſpondetur id non ſequi, quia nunc ille agit de conuerſione eiuſmodi propoſitionum, in qua non tam habetur ratio modi, quàm dicti, eo quod idem modus manet immutatus in vtraque propoſitione, & tota conuerſio peragitur inter ſubiectum & attributum dicti; quare non immeritò vocat nunc affirmatiuam eam propoſitionem, in qua prædicatum dicti affirmatur de ſubiecto, & negatiuam eam in qua negatur; etſi abſolutè, & extra hanc controuerſiam aliter loquendum ſit.

CAPVT VII.

De Diuiſione.

ARTICVLVS PRIMVS.

Quid ſit diuiſio.

Reſpondeo diuiſionem communiter ſic definiri, *Eſt oratio qua totum in ſuas partes diſtribuitur*, vt cùm dico, animal aliud eſt homo, aliud brutum; hominis alia pars eſt anima rationalis, alia corpus; vbi vox *Oratio*, habet rationem generis, quia diuiſio id habet commune cum definitione, aliiſque modis ſciendi, vt ſit oratio, cum vnica vox non ſufficiat ad diuidendum explicitè totum in ſuas partes, vt perſpicuum eſt: aliæ verò particulæ habent rationem differentiæ,

quia diuisio per illas ab aliis orationibus distinguitur. Porro totum quod diuiditur, vocari solet diuisum, partes verò in quas diuiditur, vocantur membra diuidentia.

Obiicies, perinde est diuidere hominem in animal & rationale, ac illum definire animal rationale, adeoque diuisio non videtur distingui à definitione. Respondeo 1. hoc argumento non concludi diuisionem generatim coincidere cum definitione, sed ad summum quando vtraque fit per partes essentiales; nemo enim dicet cum v. c. animal diuiditur in rationale & irrationale, hanc esse veram definitionem animalis.

Respondeo 2. neque hoc posterius efficaciter euinci, tum quia de ratione diuisionis est vt totum diuidatur in partes, quæ aliquam inter se oppositionem habeant; de ratione verò definitionis est præcisè vt naturam rei definitæ clarè exprimat, adeoque ostendat qua in re cum aliis conueniat, & in qua ab aliis discrepet. Tum quia per diuisionem, vt vel ex ipsa voce constat, totum in suas partes secatur, per definitionem vero partes vniuntur vt ex ijs totum constituatur.

Quæret hic aliquis, an definitio, & diuisio sint distincti modi sciendi. Respondeo esse distinctos, tum quia probabilius videtur, definitionem ex sua ratione considerare partes formaliter vt vnitas, & totum actu constituentes; diuisionem verò eas spectare tantùm sigillatim, & præscindendo ab vnione.

Tum quia licet diuisio quæ fit per partes rei essentiales, nullo modo à definitione distingueretur; vt nonnulli probabiliter existimant, id non impediret quin diuisio absolutè sit modus sciendi à definitione distinctus: cùm plu-

res species diuisionis, quæ omnium consensu à definitione distinguuntur, in scientiis locum habeant, ac illa præsertim qua genus diuiditur per differentias specificas; vt animal per rationale, & irrationale.

ARTICVLVS II.

Quotuplex sit diuisio.

RESpondeo sex species diuisionis à nonnullis assignari: quarum prima est nominis in sua significata, vt si canis diuidatur in terrestrem, marinum, & cœlestem. Secunda est generis in suas species, vt si animal diuidatur in hominem & brutum. Tertia est totius in partes, vt si corpus hominis diuidatur in caput, manus, & alia membra: Quarta est subiecti in accidentia, vt si dicas equorum alium esse album, alium nigrum. Quinta est accidentis in subiecta, vt si dicas alborum aliud esse equum, aliud hominem. Sexta est accidentis in accidentia, vt cum dico alborum aliud est dulce, aliud amarum.

Verùm circa hanc diuisionis diuisionem nonnulla obseruanda sunt. 1. cùm diuisio definiatur oratio qua totum in partes diuiditur, consequenter omnem veram diuisionem vocari posse diuisionem totius in partes: ex vsu tamen communi inter tot species diuisionis allatas, eam tantùm quæ tertio loco numerata est, appellari diuisionem totius in partes. quia quod per illam diuiditur, habet magis proprie rationem totius, & membra diuidentia rationem partium.

Obseruandum 2. diuisionem vocis multi-

plicis in sua significata, quæ communiter vocatur distinctio, esse valde vtilem in scientiis addiscendis; cum sine illa nec definitiones, nec rerum diuisiones, nec argumentationes rectè construi possint. Verum cùm generalis diuisio tradi possit alia vocis. alia rei, quæ in varias species subdiuiditur, non de priori, sed de posteriori hoc loco tractari solet.

Obseruandum 3. diuisionem generis in species esse diuisionem totius vniuersalis, seu potentialis in partes subiectiuas; ad quam reducitur diuisio speciei in indiuidua, vt hominum alius est Plato, alius Aristoteles, &c. & differentiæ genericæ in species, vt sensibilium aliud est homo, aliud brutum; & diuisio differentiæ specificæ in indiuidua, vt rationalium aliud indiuiduum est Petrus, aliud Paulus, &c. Ad illam etiam reducitur diuisio analogi in analogata, vt cum sanum diuiditur in animal, medicinam, & vrinam; inter quæ membra diuidentia præcipuum analogatum est animal, quia ratio sani in eo principaliter & absolutè reperitur. Quo spectat illud vulgatum, Analogum per se sumptum in oratione, supponit pro præcipuo analogato.

Obseruandum 4. diuisionem totius in partes duplicem esse, alia enim est diuisio totius in partes integrantes, quæ partitio vocari solet; alia in partes essentiales. Et vtraque adhuc duplex est, prior enim diuisio vel est in partes homogeneas, seu similares & eiusdem rationis cum toto; vt cùm lignum in suas partes diuiditur; vel in partes heterogeneas, seu dissimilares & diuersæ rationis, vt cùm corpus humanum in caput, brachia, pedes, &c. diuiditur.

Posterior verò alia est Physica, alia Meta-

physica; Physica dicitur qua totum essentiale diuiditur in partes physicas; vt cùm dicimus, hominis alia pars est anima rationalis, alia corpus organicum; Metaphysica verò qua totum essentiale diuiditur in partes metaphysicas; vt cùm dicimus hominis aliam partem esse animal, aliam rationale.

ARTICVLVS III.

De regulis diuisionis, aliisque ad eam spectantibus.

QVæritur 1. quot & quænam sint regulæ, seu leges rectæ diuisionis. Respondeo quinque vulgò assignari, ad quas aliæ si quæ sunt reducuntur; quarum prima est vt membra diuidentia sint inter se opposita, ita vt vel realiter, vel saltem ratione distinguantur; vnde illa non censetur legitima diuisio; animalium alia sunt cornuta, alia quadrupedia, cùm habere cornua, & quatuor pedibus constare inter se non opponantur.

Secunda est, vt diuisum magis latè pateat quàm singula membra diuidentia. Vnde illa diuisio non valet, corporum aliud est quantum, aliud viuens, aliud non viuens; cùm corpus quantum æquè latè pateat ac corpus. Nec dicas hominem rectè diuidi metaphysicè per animal & rationale, etsi animal latius pateat homine: siquidem in diuisione illa animal est pars hominis, quomodo non tam latè patet ac homo.

Tertia vt membra diuidentia simul sumpta totum diuisum adæquent, seu reciprocentur cum illo, quare illa diuisio non est legitima,

animalium alia sunt terrestria, alia aquatilia; cùm dentur alia animalia, nempe volatilia.

Quarta vt diuisio fiat in membra paucissima, quantum fert natura totius diuisi, quò fit vt reiicienda sit illa diuisio, animal aliud est homo, aliud equus: aliud bos, aliud canis, &c. sed priùs debet diuidi animal in rationale & irrationale, deinde irrationale in terrestre, aquatile, & volatile, &c. sic deinceps.

Quinta vt diuisio fiat in membra proxima & immediata, seu vt non fiat per saltum, vt loquuntur Logici. Ex quo etiam capite peccat diuisio iam allata animalis in species infimas.

Quæritur 2. quinam sint modi argumentandi à diuiso ad membra diuidentia, & vice versa. Respondeo hos à Logicis assignari. In primis in diuisione totius potentialis rectè arguitur affirmatiuè à membro aliquo diuidente, ad diuisum: vt, est homo, ergo est animal; non autem negatiuè, vt non est homo, ergo non est animal. Dixi totius potentialis, nam in diuisione totius physici non valet, est anima rationalis, ergo est homo; valet tamen, non est anima rationalis, ergo non est homo.

Deinde in diuisione totius potentialis valet consequentia à negatione diuisi ad negationem omnium partium subiectiuarum illius; vt, non est animal, ergo neque homo, neque brutum: at in toto physico non valet, non est homo, ergo neque anima rationalis, neque corpus; vtraque enim pars destructo toto existere potest, vt post mortem contingit.

Rursus à toto potentiali bene arguitur

affirmatiuè ad membrum aliquod disiunctiuè, vt, est animal, ergo vel homo, vel equus, &c. & vice versa à negatione omnium membrorum diuidentium rectè arguitur ad negationem diuisi, vt non est homo, nec equus, nec asinus, &c. ergo nec animal: at verò à toto physico arguitur affirmatiuè ad omnes illius partes collectiuè; vt, est homo, ergo est corpus, & anima simul vnita. Cùm tamen non modo à negatione omnium partium physicarum, sed à negatione vnius, vel etiam solius vnionis, totius physici negatio rectè inferatur.

Præterea ab affirmatione diuisi, & negatione aliorum membrorum diuidentium, vno excepto, rectè proceditur ad affirmationem illius quod superest; vt, est persona diuina, non Pater, aut Filius; ergo Spiritus Sanctus.

Quæritur 3. quænam sint vtilitates diuisionis. Respondeo cùm diuisio ponatur inter sciendi instrumenta, dubium non esse quin valde vtilis sit ad rerum cognitionem assequendam. Inprimis enim non parum conducit ad rem clarè & distinctè concipiendam. Deinde ad intelligendum quid de re aliqua affirmandum, aut negandum sit. Tum verò vt sciatur num vnum ex alio rectè inferatur. Ac tandem diuisio generis per differentias specificas modum ostendit, quo legitima cuiusque rei definitio inuestigari possit, vt patet ex supradictis.

LIBER III.

DE IIS QVÆ SPECTANT ad directionem tertiæ mentis operationis.

In hoc libro agendum est de Syllogismo in genere, & sigillatim de varijs illius speciebus; nempe Syllogismo demonstratiuo, topico, & sophistico.

CAPVT PRIMVM.

De Syllogismo secundum se

ARTICVLVS PRIMVS.

Quid sit argumentatio.

PRæmoneo quæ sequuntur vsque ad finem Logicæ, speciatim destinari ad directionem tertiæ mentis operationis, quæ in discursu consistit. Nam cum discursus sit actus intellectus quo vnum ex alio infert, vt si quis ex eo quòd nouit hominem esse rationalem, inferat eum esse risibilem, & in illatione vnius ex alio possit deceptio contingere

tingere; hinc ad perfectionem Logicæ, quæ ex communi sententia, præsertim ad dirigendum discursum instituta est, requiritur vt tradat instrumentum aliquod quo intellectus certò dirigatur ad vnum ex alio legitimè deducendum; sicut & alia instrumenta hactenus subministrauit, quorum ope intellectus noster potest res propositas sine errore apprehendere, & de ijs verum iudicium ferre: hoc autem instrumentum nihil est aliud, quàm argumentatio, de qua quæritur quid sit.

Respondeo argumentationem definiri, orationem qua vnum ex alio infertur. Ex quo intelligis, ad argumentationem propriè dictam tria requiri, nempe vnam propositionem ex qua aliquid infertur, aliam quæ infertur, & illationem per particulam, ergo, denotatam. Vt cùm dico, Petrus est Homo, ergo est risibilis: etsi enim Petrus sit homo, & quia est homo, sit risibilis; illæ tamen duæ propositiones, Petrus est homo, Petrus est risibilis, non sufficiunt per se ad argumentationem; sed ad illam requiritur vt posterior propositio per particulam, ergo, vel aliam similem inferatur ex priori.

Quo loco aduerte 1. propositionem quæ infertur, posse inferri vel ex vnica propositione, vt in exemplo allato, vel ex duabus, vt cum dico, Omnis homo est risibilis, Petrus est homo, ergo est risibilis.

Aduerte 2. quando propositio ex qua alia infertur, non est nisi vnica, eam vocari antecedens; quando verò illatio fit ex duabus propositionibus, primam illarum vocari maiorem, & secundam minorem.

Aduerte 3. propositionem quæ infertur, duobus modis spectari posse, vel cum nota illa-

tionis, vel secundum se, ac sine illa nota; ac priori modo vocari consequentiam, posteriori verò consequens; vt in exemplo allato, propositio illa, ergo Petrus est risibilis, vocatur consequentia; at verò sola hæc propositio, Petrus est risibilis, consequens appellatur.

Aduerte 4. etsi consequens quando est ambiguum, à respondente distingui possit; non tamen negandum esse, sed consequentiam negandam, quando consequens ex antecedente malè infertur, vt si quis dicat, Petrus est homo, ergo est doctus. Licèt enim consequens ipsum fortè verum sit, consequentia tamen est illegitima; cùm non sequatur aliquem esse doctum, ex eo præcisè quòd homo sit, vt perspicuum est.

ARTICVLVS II.

Quotuplex sit argumentatio.

RESpondeo 1. duplicem esse generatim argumentationem, aliam bonam, aliam vitiosam. Argumentatio bona est, quando vnum ex alio verè deducitur, sicut deduci significatur; vt cùm dico, Petrus est homo, ergo est animal. Est autem vitiosa, quando secus contingit; vt si dicas, Petrus loquitur, ergo vociferatur; id enim non sequitur, cùm possit submissa voce loqui.

Vbi nota ad bonam consequentiam non requiri veritatem antecedentis & consequentis, sed tantùm bonitatem illationis: quo fit vt quando bona est illatio, consequentia sit legitima, esto antecedens & consequens sint falsa; contrà verò argumentatio sit illegitima,

quando consecutio non est bona, etsi antecedens & consequens sint vera, vt ex supradictis satis intelligitur.

Respondeo 2. bonam argumentationem seu consequentiam aliam esse materialem, aliam formalem; materialis est cùm vnum ex alio sequitur ob solam rerum coniunctionem, adeo vt retenta eadem forma, possit in alia materia non rectè concludere; vt cùm dico, Petrus est homo, ergo est animal, consequentia est tantum materialis, propter necessariam connexionem animalis cum homine; non formalis, quia in simili forma falsò colligerem, Petrus est homo, ergo est doctus. Est autem consequentia formalis, quando retenta eadem forma rectè concluditur in quacumque materia; vt cùm dico, omne animal est viuens, omnis equus est animal, ergo omnis equus est viuens. Similis enim forma valet in quacunque alia materia, vt, omnis quantitas est extensa, omnis linea est quantitas, ergo omnis linea est extensa. Item, omnis virtus est laudanda, omnis iustitia est virtus, ergo omnis iustitia est laudanda, &c.

Respondeo 3. quatuor species argumentationis vulgò à Logicis assignari, nempe Inductionem, Exemplum, Enthymema, & Syllogismum. Inductio est argumentatio in qua ex sufficienti singularium enumeratione conclusio vniuersalis deducitur; vt cùm dico, Petrus est risibilis, Paulus est risibilis, Iacobus est risibilis, ergo omnis homo est risibilis.

Exemplum est argumentatio in qua ex vno, aut quibusdam particularibus aliquid particulare ob aliquam rationis paritatem colligimus: vt cùm dico, Christus pepercit Petro, Latroni, Magdalenæ, ergo & mihi parcet.

Enthymema est argumentatio in qua ex vna præmissa elicitur conclusio, vt omnis homo est rationalis, ergo omnis homo est risibilis. Vnde vocatur Syllogismus truncatus seu imperfectus, quia additione alterius propositionis fieri potest syllogismus perfectus; vt si dicam; omne rationale est risibile, omnis homo est rationalis, ergo omnis homo est risibilis.

Syllogismus denique est argumentatio in qua ex duabus propositionibus tertia deducitur, vt sequenti articulo declarabimus. Quo loco obseruãdum est à nonnullis hic addi Dilemma, & Soritem: Dilemma est argumentatio in qua duabus partibus propositis, necesse est vt respondens earum altera feriatur; quare & argumentum cornutum vocari solet. Vt si dicam Confessario, vel sciebas te non posse absoluere pœnitentem à tali peccato, vel nesciebas: si sciebas, peccasti contra reuerentiam sacramento debitam; si nesciebas, peccasti contra proprium officium, quia scire tenebaris.

Sorites verò est argumentatio in qua multæ propositiones coaceruantur ea arte, vt attributum præcedentis sit subiectum sequentis, donec vltimum prædicatum enuncietur de primo subiecto; vt cùm dico, omnis homo est animal, omne animal est viuens, omne viuens est corpus, omne corpus est substantia, ergo omnis homo est substantia; quæ argumentatio etiam vocari solet de primo ad vltimum, itemque coaceruatio, & à conglobatis. Verum præter Syllogismum & Inductionem aliæ species argumentationis magis spectare videntur ad oratores, quam ad Logicos.

ARTICVLVS III.

De natura Syllogismi.

QVæritur 1. quid sit Syllogismus. Respondeo syllogismum ab Arist. lib. 1. priorum Analyt. cap. 1. sic definiri. *Est oratio in qua quibusdam positis, aliud quippiam diuersum ab his quæ posita sunt, necessariò sequitur, eò quod hæc sunt.* Id est, in qua ex duabus propositionibus necessariò colligitur conclusio ab ijs diuersa, idque ex vi & efficacia illarum, adeo vt nihil aliud necessarium sit ad eam conclusionem eliciendam.

Vbi nota duplicem esse syllogismum, alium perfectum, alium imperfectum; perfectus ille dicitur ibidem qui præter ea quæ accepta sunt, id est præter propositiones assumptas, nulla alia re indiget vt necessitas conclusionis clarè appareat; & hoc competit quatuor syllogismis qui in prima figura directè concludunt.

Imperfectus verò syllogismus dicitur, qui etsi necessariò vi formæ concludat, indiget tamen vno, aut pluribus vt necessitas illationis clara & perspicua sit. Atque hoc dicitur propter modos alios syllogismorum qui aliquatenus immutari debent, vt perspicuè concludant; de quo infrà.

Quæritur 2. quotuplex sit materia syllogismi. Respondeo in syllogismo duplicem esse materiam, aliam proximam, aliam remotam, materia proxima sunt propositiones ex quibus constat; remota verò sunt termini ex quibus propositiones componuntur.

Vbi nota 1. quod sicut in syllogismo sunt tres propositiones, maior, minor, & conclu-

sio ; ita in illis propositionibus tres termini reperiri debent , quorum vnus dicitur maius extremum , alius minus extremum, & tertius medium. Vocatur maius extremum , id quod connectitur cum medio in maiori propositione ; vocatur minus extremum quod cum eodem iungitur in minori ; & medium quod cum illis extremis copulatur.

Exemplum sit iste syllogismus ; Omne animal est viuens , omnis homo est animal , ergo omnis homo est viuens. Vbi homo & viuens, ex quibus constat conclusio , sunt extrema; viuens quidem est maius extremum , seu maior extremitas , quia in maiori propositione iungitur cum animali ; & homo minus extremum seu minor extremitas , quia cum eodem animali connectitur in minori ; at animal quod in maiori , & minori reponitur, medium appellatur.

Nota 2. cùm conclusio , de cuius veritate ambigitur, constet ex duobus terminis, nempe ex prædicato, & subiecto , ad eam probandam debere assumi aliquod argumentum seu medium , quod in vna parte præmissarum vniatur cum subiecto conclusionis,& in alia cum illius attributo ; vt ex modo quo illa se habent cum medio , certò colligatur modus quo se habent inter se , vt patet in syllogismo allato. Quia enim in præmissis homo, & viuens rectè vniuntur cum animali, hinc in conclusione homo, & viuens rectè vniuntur inter se. Ex quo intelligis medium quidem debere semel poni in qualibet præmissa , non tamen habere locum in conclusione.

Quæritur 3. quotuplex sit forma in syllogismo. Respondeo duplicem esse , quarum altera respondet materiæ illius remotæ , & consistit

in certa terminorum dispositione, in ratione subiecti, & prædicati, vocaturque figura; altera respondet materiæ illius proximæ, & consistit in certa propositionum ordinatione secundum qualitatem & quantitatem; vocaturque modus, de quibus in sequentibus latiùs agendum erit.

CAPVT II.

De figuris syllogismorum.

ARTICVLVS PRIMVS.

De numero figurarum, & modorum.

AD intelligentiam harum figurarum obseruandum 1. tres tantùm vulgò assignari à Logicis figuras syllogismorum, quia non nisi tribus modis terminus medius cum extremis rectè disponi potest; primò quidem ita vt in maiori propositione sit subiectum, & in minori prædicatum, quomodo constituitur prima figura. Secundò ita vt sit prædicatum in vtraque propositione, quomodo fit secunda figura; tertiò ita vt in vtraque sit subiectum, ex quo tertia figura coalescit; quæ omnia hoc versu exprimuntur.

Sub præ prima, bis præ secunda, tertia bis sub nec dicas à nonnullis admitti quartam figuram, quæ vocatur Galeni, qua medium est attributum in maiori, & subiectum in minori, vt cùm dico; Bucephalus est equus, omnis equus est sentiens, ergo Bucephalus est sentiens. Hæc enim figura à parte rei non distinguitur

à prima, vt ex eo patet, quòd syllogismus allatus non differt ab isto, qui est in prima figura; omnis equus est sentiens, Bucephalus est equus, ergo Bucephalus est sentiens, cùm vtroque idem concludatur, & in eo tantùm distinguantur, quòd propositio quæ in priori est maior, in posteriori est minor, & quæ in illo est minor, in hoc est maior.

Obseruandum 2. quamlibet figuram sexdecim modis variari posse, nam in qualibet figura vel vtraque præmissa est vniuersalis, vel vtraque particularis, vel maior vniuersalis, & minor particularis, vel maior particularis, & minor vniuersalis: Ex quo resultant quatuor modi penes quantitatem, seu vniuersalitatem & particularitatem.

Rursus quilibet horum modorum quadrupliciter variari potest ratione qualitatis essentialis, seu affirmationis & negationis: siquidem in quolibet modo vel ambæ præmissæ sunt affirmatiuæ, vel ambæ negatiuæ, vel maior affirmatiua, & minor negatiua, vel maior negatiua, & minor affirmatiua; ex quo sexdecim modi distincti resultant. Vnde vlteriùs sequitur in tribus figuris simul sumptis, quadraginta octo modos distinctos syllogismorum reperiri.

Obseruandum 3. plerosque ex illis modis inutiles esse, & ad concludendum ineptos. Nam in prima figura sunt tantùm quatuor modi vtiles directè concludentes, in secunda totidem, & in tertia sex; vnde quatuordecim modorum directorum numerus resultat. Posteriores tamen Philosophi quatuor modis primæ figuræ directè concludentibus, addiderunt quinq; vtiles quidē, sed indirectè tantum cōcludentes. Dicitur autem syllogismus directè con-

cludere, quando majus extremum concluditur de minori, seu est prædicatum in conclusione; vt, omne animal est substantia, omnis equus est animal, ergo omnis equus est substantia. Indirectè verò quando minus extremum concluditur de majori, vt si sub præmissis jam positis concluderent, ergo aliqua substantia est equus. Ex quibus collige vnde-viginti modos syllogismorum vtiles communiter admitti, qui omnes his carminibus comprehenduntur.

Barbara, Celarent, Darij, Ferio, Baralipton,
Celantes, Dabitis, Fapesmo, Frisesomorum,
Cesare, Camestres, Festino, Baroco, Darapti,
Felapton, Disamis, Datisi, Bocardo, Ferison.

Vbi verba illa *Barbara, Celarent, Darij, Ferio*; denotant quatuor modos directos primæ figuræ, & quinque sequentia, nempè, *Baralipton, Celantes, Dabitis, Fapesmo, Frisesomorum*, quinque modos indirectos eiusdem figuræ. Illa verò quatuor, *Cesare, Camestres, Festino, Baroco*, exprimunt quatuor modos secundæ figuræ. Sex denique postrema scilicet: *Darapti, Felapton, Disamis, Datisi, Bocardo, Ferison*, significant sex modos tertiæ figuræ.

Obseruandum 4. in illis vocabulis duo, quod ad præsens negotium attinet, consideranda esse, primò numerum syllabarum, quodlibet enim constat tribus syllabis, per quarum primam denotatur maior propositio syllogismi, per secundam minor, & per tertiam conclusio. Quod si plures in nonnullis sunt syllabæ, vt in *Baralipton*, & *Frisesomorum*, earum ratio habenda non est, cùm metri tantùm causa adiectæ sint.

Secundò attendendæ sunt quatuor vocales A. E. I. O. quarum prima denotat propositio-

nem vniuersalem affirmantem, secunda vniuersalem negantem, tertia particularem affirmantem, quarta particularem negantem. Ex quo intelligis in primo modo omnes propositiones esse vniuersales, & affirmatiuas, in secundo omnes quidem esse vniuersales, sed maiorem & conclusionem negatiuas, minorem vero affirmatiuam: & ita de alijs quorum omnium exempla sequentibus articulis proferemus.

ARTICVLVS II.

De quibusdam regulis generalibus consequentiarum, & syllogismorum.

Variæ assignari solent regulæ generales ad argumentationes & syllogismos spectantes, quarum prima est, ex antecedenti vero in bona consequentia non nisi consequens verum sequi, ex antecedenti autem falso interdum sequi consequens falsum: vt, homo est lapis, ergo est insensibilis; interdum verum, vt, homo est lapis, ergo est substantia.

Secunda est, contingens sequi tum ex contingenti, vt Petrus disputat, ergo loquitur; tum ex impossibili, vt Petrus volat, ergo mouetur: impossibile verò sequi tantum ex impossibili, necessarium autem tum ex contingenti, vt Petrus videt, ergo est animal; tum ex impossibili; vt Petrus est lapis, ergo est corpus; tum ex necessario, vt Petrus est homo, ergo est rationalis.

Tertia est, Syllogismum non debere constare nisi tribus terminis siue expresse, siue æquiualenter. Vnde non valet iste syllogismus;

Omnis canis latrat, ſydus eſt canis, ergo ſydus latrat; quia canis aliter in maiori propoſitione ſumitur quàm in minori, adeoque duobus terminis æquiualet.

Quarta eſt, terminos non debere immutari, ſed eodem modo ſine variatione repetendos eſſe, quo antè prolati ſunt. Vnde nihil hoc ſyllogiſmo concluditur, Omnis quantitas lata eſt ſuperficies, omnis linea eſt quantitas, ergo omnis linea eſt ſuperficies. Siquidem in minori repetenda erant duo illa vocabula, quæ in maiori poſita fuerant.

Quinta eſt, vt ſeruetur eadem ſuppoſitio terminorum; vnde hæc argumentatio friuola eſt, animal eſt nomen triſyllabum, Petrus eſt animal, ergo Petrus eſt nomen triſſyllabum: non enim ſeruatur eadem ſuppoſitio, quia in majori vox animal ſumitur materialiter, ſeu pro ſe; in minori verò formaliter, ſeu pro re ſignificata.

Sexta eſt, medium in altera præmiſſárum debere diſtribui; quò fit vt non valeat iſte ſyllogiſmus, Aliquod animal eſt rationale, omnis equus eſt animal, ergo omnis equus eſt rationalis: ſiquidem animal in nulla præmiſſarum diſtribuitur, id eſt non ſumitur generatim pro omnibus animalibus.

Septima eſt, extremum in præmiſſa non diſtributum non debere diſtribui in concluſione; vnde non bene ſic arguitur, Omnis equus eſt ſentiens, omnis equus eſt viuens, ergo omne viuens eſt ſentiens; quia viuens non diſtributum in minori diſtribuitur in concluſione.

Vbi nota diſtributionem fieri duobus modis, primò per appoſitionem ſigni vniuerſalis, omnis, nullus, quando ſubjectum propoſitionis

distribuitur, vt cùm dico, omnis homo est animal, nullus homo est lapis. Secundò per appositionem negationis quando prædicatum distribuitur, vt cùm dico, aliquod animal non est equus: sic enim equus distribuitur vt sensus sit, aliquod animal neque hunc equum esse, neque illum, neque vllum alium.

Octaua est, quotiescunque altera præmissarum est negatiua, conclusionem debere esse negatiuam, & quoties illa est particularis, hanc etiam debere esse particularem: quia conclusio semper sequitur debiliorem partem sui antecedentis. Vnde si in syllogismo altera propositio est negatiua, & altera particularis, conclusio erit simul negatiua & particularis: vt ex syllogismorum exemplis infrà referendis perspicuè intelligi poterit.

Hoc autem non videtur generatim extendendum ad omnes conditiones syllogismi, ita vt conclusio semper sit æquè imperfecta, ac præmissa imperfectior. Si enim agatur de certitudine, probabile est quando altera propositio est de fide, & altera nota lumine naturali, conclusionem inde ortam esse certiorem præmissa naturali, vt diximus in Procmio Theologiæ, Resolut. 7.

Nona est, ex duabus præmissis particularibus nihil concludi, quocunque modo affectæ sint quoad affirmationem & negationem. Vnde ex qualibet figura excluduntur quatuor modi tamquam inutiles, quorum singuli constant duabus particularibus vel affirmatiuis, vel negatiuis, vel maiori affirmatiua, & minori negatiua; vel maiori negatiua, & minori affirmatiua.

Decima est, ex duabus præmissis negatiuis nihil concludi, vnde ex qualibet figura qua-

tuor modi excluduntur, quorum quilibet constat duabus negatiuis vel vniuersalibus, vel particularibus, vel maiori vniuersali, & minori particulari, vel maiori particulari, & minori vniuersali.

ARTICVLVS III.

De modis, & regulis primæ figuræ.

EX dictis constat primam figuram esse eam, *in qua medius terminus subijcitur maiori extremo, & minori attribuitur.* In ea quatuor sunt modi directè concludentes, quorum primus est, quando ex duabus propositionibus vniuersalibus affirmatiuis colligitur conclusio vniuersalis affirmatiua; qui modus vocatur Barbara, vt

Bar Omne animal est substantia,
ba Omnis homo est animal:
ra Ergo omnis homo est substantia.

Secundus modus est, quando ex maiori vniuersali negatiua, & minori vniuersali affirmatiua colligitur conclusio vniuersalis negatiua, & vocatur Celarent, vt

Ce Nullum animal est lapis,
la Omnis homo est animal:
rent Ergo nullus homo est lapis.

Tertius modus est, quando ex maiori vniuersali affirmatiua, & minori particulari affirmatiua colligitur conclusio particularis affirmatiua; & vocatur Darij, vt

Da Omne animal est substantia,
ri Aliquis homo est animal:
j Ergo aliquis homo est substantia.

Quartus modus est, quando ex maiori vni-

uersali negatiua, & minori particulari affirmatiua eruitur conclusio particularis negatiua; & vocatur Ferio, vt

Fe Nullum animal est lapis,
ri Aliquis homo est animal:
o Ergo aliquis homo non est lapis.

Ad horum autem & sequentium intelligentiam notandum 1. ex Arist. libro 1. priorum Analyt. cap. 1. duo esse principia in quibus omnes syllogismi proximè, vel remotè fundantur. Vnum est, dici de omni, alterum dici de nullo; & primum indicat quidquid dicitur vniuersim de aliquo, dici etiam de omnibus sub illo contentis; vt si esse risibilem dicitur de omni homine, dicitur etiam de Socrate, Platone, alijsque omnibus singularibus hominibus. Secundum verò è contra denotat, quidquid vniuersim negatur de aliquo, negari etiam de omnibus sub eo contentis; vt si nullus homo est lapis, consequenter nec Socrates, nec Plato, nec vllus alius singularis homo est lapis.

Notandum 2. primum ex quatuor modis allatis fundari directè in principio dici de omni, nam quia substantia prædicatur de omni animali, & animal de omni homine; hinc manifestè sequitur substantiam prædicari de omni homine. Secundum verò fundari proximè in principio, dici de nullo; quia cùm lapis de nullo animali dicatur, & animal dicatur de omni homine, inde euidenter colligitur lapidem etiam de nullo homine dici.

Notandum 3. duos sequentes modos, qui sunt particulares, in iisdem principijs remotè fundari; quia, quod conuenit omni homini, conuenit etiam alicui homini; & quod de nullo homine prædicatur, alicui

homini conuenire non poteſt.

Notandum 4. præter quatuor modos prædictos, quorum duo ſunt vniuerſales, duo particulares, item duo affirmatiui, & duo negatiui, nullum alium vtilem, ſaltem directum, ab Ariſtot. in prima figura agnoſci: quare cùm termini ſexdecim modis varijs in hac figura combinari poſſint, quatuor priores tantum ſunt admittendi tanquam legitimi, alij vero reijciendi. Eos omnes notatos habes in ſequenti tabella in qua duæ litteræ ſignificant duas præmiſſas ſyllogiſmi, earumque qualitatem, & quantitatem iuxta antedicta.

Modi vtiles 1. Figuræ.

A A. E A. A I. E I.

Modi inutiles

A E. A O. E E. E O.

I A. I E. I I. I O.

O A. O E. O I. O O.

Dedimus ſuprà exempla quatuor modorum vtilium, nunc alia ſubijcimus ſpectantia ad duodecim modos inutiles. Exemplum primi ſit,

A Omnis homo eſt animal,
E Nullus equus eſt homo:
Ergo nullus equus eſt animal.

Exemplum ſecundi.

A Omnis homo eſt animal,
O Aliquis equus non eſt homo:
Ergo aliquis equus non eſt animal.

Exemplum tertij.

E Nulla arbor eſt hinnibilis.
E Nullus equus eſt arbor:

Ergo nullus equus eſt hinnibilis.

Exemplum quarti,

E Nulla arbor eſt hinnibilis,
O Aliquis equus non eſt arbor;
Ergo aliquis equus non eſt hinnibilis

Exemplum quinti,

I Aliquod animal eſt hinnibile,
A Omnis homo eſt animal:
Ergo aliquis homo eſt hinnibilis.

Exemplum ſexti,

I Aliquis equus eſt viuens,
E Nullus homo eſt equus:
Ergo aliquis homo non eſt viuens.

Exemplum ſeptimi,

I Aliquod animal eſt latrabile,
I Aliquis aſinus eſt animal:
Ergo aliquis aſinus eſt latrabilis,

Exemplum octaui,

I Aliquod animal eſt corporeum,
O Aliqua arbor non eſt animal:
Ergo aliqua arbor non eſt corporea.

Exemplum noni.

O Aliquod animal non eſt mobile,
A Omnis homo eſt animal:
Ergo aliquis homo non eſt mobilis.

Exemplum decimi,

O Aliqua arbor non eſt animal,
E Nullus leo eſt arbor:
Ergo aliquis leo non eſt animal.

Exemplum vndecimi,

O Aliquod animal non eſt hinnibile,
I Aliquis equus eſt animal:
Ergo aliquis equus non eſt hinnibilis.

Exemplum duodecimi,

O Aliquis equus non eſt rationalis,
O Aliquis homo non eſt equus:
Ergo aliquis homo non eſt rationalis.

Notandum 5. quatuor directis primæ figuræ suprà declaratis quinque indirectos communiter annecti, quorum exempla subiicio

I.

Ba Omne animal est substantia,
ra Omnis homo est animal:
lip. Erga aliqua substantia est homo.

II.

Ce Nullum animal est lapis,
lan Omnis homo est animal:
tes Ergo nullus lapis est homo.

III.

Da Omne animal est substantia,
bi Aliquis homo est animal:
tis Ergo aliqua substantia est homo.

IV.

Fa Omnis homo est animal,
pes Nullus lapis est homo:
mo Ergo quoddam animal non est lapis.

V.

Fri Quidam homo est animal,
ses Nullus lapis est homo:
om. Ergo quoddam animal non est lapis.

Notandum denique duas esse regulas huius figuræ proprias, altera est, maiorem debere semper esse vniuersalem; quia si sit particularis, medium non distribuitur, vt cum dico,

Aliquod viuens est planta,
Omnis equus est viuens;
Ergo aliquis equus est planta.

Altera, minorem debere semper esse affirmatiuam; quia cùm minor est negatiua, proceditur à maiori extremo non distributo, ad idem in conclusione distributum; vt in hoc syllogismo,

Omnis lapis eſt ſubſtantia,
Nullus equus eſt lapis:
Ergo nullus equus eſt ſubſtantia.

Verum iſta debent intelligi de modis directis, nam alij iſtas conditiones non recipiunt, vt patet ex dictis: vtraque autem regula hoc verſu comprehenditur.

Sit minor affirmans, nec maior ſit ſpecialis,

ARTICVLVS IV.

De modis, & regulis ſecundæ figuræ.

SEcunda figura definitur ab Ariſt. lib. 1. Priorum cap. 5. *in qua idem partim omni, partim nulli ineſt, aut vtrique omni: aut vtrique nulli.* Id eſt, in qua medius terminus de vtroque extremo vniuerſim prædicatur, ſiue de vtroque negatiuè; ſiue de altero affirmatiuè, de altero negatiuè, quæ definitio non comprehendit niſi modos vniuerſales. Quare ſecunda figura in tota ſua latitudine definietur, ſi dicas, *eam eſſe in qua medius terminus de vtroque extremo prædicatur.*

Verum ad intelligentiam Ariſtotelis aduerte 1. medium in hac figura appellari quod de vtriſque dicitur, id eſt quod de vtroque extremo prædicatur; extrema autem dici ea de quibus medium prædicatur.

Aduerte 2. maius extremum hic vocari, quod ſitum eſt propé medium, id eſt quod magis accedit ad naturam medij; minus verò extremum, quod longius abeſt à medio, ſeu quod minùs accedit ad conditionem medij. Siquidem maius extremum prædicatur in concluſione, medium in vtraque præmiſſa, minus

verò extremum nunquam prædicatur; vt patebit in exemplis postea adducendis.

Aduerte 3. medium dici in hac figura extra extrema collocari, & esse in primo loco respectu illorum, quia de vtroque prædicatur. Vnde hæc figura distinguitur à prima, in qua medium inter extrema constituitur, & à tertia, in qua infimo loco collocatur; quia est subiectum vtriusque extremi.

Aduerte 4. nullum syllogismum esse perfectum in hac figura, quia in illa medium non occupat locum sibi connaturaliter debitum inter extrema, nempe medium. Dici tamen potest syllogismos huius figuræ potestate esse perfectos, quia ad primam figuram reduci possunt.

Iam quod spectat ad modos vtiles huius figuræ, ij quatuor assignantur ab Arist. loco citato; primus est quando maior propositio est vniuersalis negatiua, & minor vniuersalis affirmatiua, & vocatur Cesare, vt

Ce Nullus lapis est animal,
sa Omnis homo est animal:
re Ergo nullus homo est lapis.

Secundus modus est, quando maior est vniuersalis affirmatiua, & minor vniuersalis negatiua, vocaturque Camestres, vt

Ca Omnis homo est animal,
mes Nullus lapis est animal:
tres Ergo nullus lapis est homo.

Tertius modus est, quando maior est vniuersalis negatiua, & minor particularis affirmatiua, vocaturque Festino, vt

Fes Nullus lapis est animal,
ti Aliquis homo est animal:
no Ergo aliquis homo non est lapis.

Quartus modus est, quando maior est vni-

A Omnis homo eſt ſubſtantia :
Ergo aliquis homo eſt lapis.
Exemplum ſexti,
I Aliquod animal eſt equus,
E Nullus canis eſt equus :
Ergo aliquis canis non eſt animal.
Exemplum ſeptimi,
I Aliquis lapis eſt ſubſtantia,
I Aliquis leo eſt ſubſtantia :
Ergo aliquis leo eſt lapis.
Exemplum octaui,
I Aliquod animal eſt brutum,
O Aliquis homo non eſt brutum ;
Ergo aliquis homo non eſt animal.
Exemplum noni,
O Aliquod viuens non eſt ſenſibile,
A Omnis homo eſt ſenſibilis :
Ergo aliquis homo non eſt viuens.
Exemplum decimi,
O Aliquod animal non eſt homo,
E Nullus equus eſt homo :
Ergo aliquis equus non eſt animal.
Exemplum vndecimi,
O Aliqua ſubſtantia non eſt viuens,
I Aliquis homo eſt viuens :
Ergo aliquis homo non eſt ſubſtanti .
Exemplum duodecimi,
O Aliquod animal non eſt planta,
O Aliquis bos non eſt planta ;
Ergo aliquis bos non eſt animal.

Tandem obſeruandæ ſunt duæ regulæ huius figuræ, quarum prima eſt. Ex puris affirmatiuis nihil concluditur in ſecunda figura. Ratio eſt, quia cùm ambæ ſunt affirmatiuæ, medium non diſtribuitur, eò quòd in vtraque eſt prædicatum ; vt ſi dicam,

Omnis homo eſt ſubſtantia,

Omnis equus eſt ſubſtantia:
Ergo omnis equus eſt homo.

Secunda eſt, ex maiori particulari nihil ſequitur in ſecunda figura. Ratio eſt quia tunc proceditur à maiori extremo non diſtributo, ad idem in concluſione diſtributum; vt ſi dicam,

Aliquod viuens non eſt ſenſitiuum,
Omnis equus eſt ſenſitiuus:
Ergo aliquis equus non eſt viuens.

Viuens enim in maiori propoſitione non ſumitur generatim pro omni viuente, ſed ſpeciatim pro aliquo viuente, & in concluſione ſumitur pro omni viuente. Cæterùm duæ iſtæ regulæ hoc verſu comprehenduntur.

Vna negans præeat, nec maior ſit ſpecialis.

ARTICVLVS V.

De modis, & regulis tertiæ figuræ.

TErtia figura dicitur ab Ariſt. libri citati cap. 6, *Cùm eidem ineſt, aliud quidem omni, aliud verò nulli; vel ambo omni, vel ambo nulli.* Id eſt, in qua vtrumque extremum vniuerſim affirmatur, aut negatur; vel alterum affirmatur, & alterum negatur de medio termino. Quæ definitio compræhendit tantùm quatuor modos ſiue vtiles, ſiue inutiles huius figuræ, in quibus vtraque propoſitio eſt vniuerſalis. Quare vt omnes ſuos modos complectitur, dici poteſt, tertiam figuram eſſe, *in qua medius terminus vtrique ſubiicitur extremo.* Quo loco

Nota 1. medium vocari in hac figura id de quo ambo extrema prædicantur, extrema

quæ de medio prædicantur, maius extremum quod longius abeſt à medio, ſeu quod ſemper prædicatur, minus extremum quod ad medium propiùs accedit, quatenus ſemel ſubiicitur; ac denique medium poni extra extrema, & eſſe vltimum poſitione ſeu ſitu, eò quòd ſemper ſubiicitur.

Nota 2. ſex eſſe modos vtiles huius figuræ, quorum primus, qui vulgò vocatur Darapti, ex vtraque propoſitione vniuerſali affirmatiua colligit particularem affirmatiuam, vt

Da Omnis homo eſt animal,
ra Omnis homo eſt rationalis:
pti Ergo aliquod rationale eſt animal.

Secundus modus, qui vocatur Felapton, ex maiori vniuerſali negatiua, & minori vniuerſali affirmatiua colligit coclusionem particularem negatiuam, vt

Fe Nullus homo eſt lapis,
lap Omnis homo eſt rationalis;
ton Ergo aliquod rationale non eſt lapis.

Tertius modus, qui vocatur Diſamis, ex maiori particulari affirmatiua, & minori vniuerſali affirmatiua deducit concluſionem particularem affirmatiuam, vt

Di Aliquis homo eſt rationalis,
ſa Omnis homo eſt animal:
mis Ergo aliquod animal eſt rationale.

Quartus modus, qui vocatur Datiſi, ex duabus affirmatiuis prima vniuerſali, & altera particulari colligit concluſionem particularem affirmatiuam, vt

Da Omnis homo eſt animal,
ti Aliquis homo eſt rationalis:
ſi Ergo aliquod rationale eſt animal.

Quintus modus, qui dicitur Bocardo, ex

maiori particulari negatiua, & minori vniuersali affirmatiua deducit conclusionem particularem negatiuam, vt

Bo Aliquis homo non est lapis,
car Omnis homo est animal:
do Ergo aliquod animal non est lapis.

Sextus modus, qui dicitur Ferison, ex maiori vniuersali negatiua, & minori particulari affirmatiua deducit conclusionem particularem negatiuam, vt

Fe Nullus homo est lapis,
ri Aliquis homo est animal:
son Ergo aliquod animal non est lapis.

Alij omnes modi huius figuræ sunt inutiles, quos in hac tabella simul cum vtilibus notatos habes

Modi vtiles 3. figuræ.
AA. EA. IA. AI. OA. EI.
Modi inutiles
AE. AO. EE. EO. IE.
II. IO. OE. OI. OO.

Verùm vt curiosi rerum Logicarum indagatores modos istos inutiles meliùs perspectos habeant, placet hic singulorum exempla reponere. Exemplum primi sit

A Omnis homo est corporeus,
E Nullus homo est bos:
Ergo nullus bos est corporeus.

Exemplum secundi,

A Omnis homo est corporeus,
O Aliquis homo non est bos;
Ergo aliquis bos non est corporeus.

Exemplum tertij,

E Nulla arbor est rationalis,
E Nulla arbor est homo:
Ergo nullus homo est rationalis.

Exem-

Exemplum quarti,

E Nulla arbor eſt rationalis,
O Aliqua arbor non eſt homo;
Ergo aliquis homo non eſt rationalis.

Exemplum quinti,

I Aliqua arbor eſt ſubſtantia,
E Nulla arbor eſt equus:
Ergo aliquis equus non eſt ſubſtantia.

Exemplum ſexti,

I Aliquod corpus eſt album,
I Aliquod corpus eſt nigrum;
Ergo aliquod nigrum eſt album.

Exemplum ſeptimi,

I Aliquod animal eſt ſentiens,
O Aliquod animal non eſt leo:
Ergo aliquis leo non eſt ſentiens.

Exemplum octaui,

O Aliqua arbor non eſt animal,
E Nulla arbor eſt equus;
Ergo aliquis equus non eſt animal.

Exemplum noni,

O Aliqua ſubſtantia non eſt materialis,
I Aliqua ſubſtantia eſt Elephas;
Ergo aliquis Elephas non eſt materialis.

Exemplum decimi,

O Aliquod corpus non eſt viuens,
O Aliquod corpus non eſt ſentiens;
Ergo aliquod ſentiens non eſt viuens.

Cæterum duæ ſunt ſpeciales regulæ huius figuræ, ſicut & præcedentium: prior eſt, ex minore negante nihil concludi. Cuius ratio eſt, quia proceditur à prædicato maioris propoſitionis non diſtributo, ad ipſum in concluſione diſtributum: vt

Omne animal eſt viuens,
Nullum animal eſt planta;
Ergo aliqua planta non eſt viuens.

Posterior est, conclusionem debere esse particularem, quia aliàs procedetur à minori extremo non distributo ad distributū; vt cū dico,

Omnis equus est hinnibilis,
Omnis equus est sentiens;
Ergo omne sentiens est hinnibile.

In hoc enim syllogismo sentiens non distribuitur in minori propositione, in qua est attributum, & distribuitur in conclusione in qua est subiectum. Vtraque autem hæc regula versu isto compræhenditur.

Sit minor affirmans, conclusio sit specialis.

CAPVT III.

DE REDVCTIONE SYLlogismorum imperfectorum ad perfectos.

ARTICVLVS PRIMVS.

De reductione ostensiua.

PRæmoneo 1. ex modis illis nouemdecim syllogismorum vtiliter concludentibus, de quibus hactenus actum est, omnes esse imperfectos, siue tantùm indirectè, siue directè concludant, præter quatuor primos primæ figuræ, ad quos proinde alij arte aliqua reduci debent, vt eorum veritas clarior euadat.

Præmoneo 2. vt statim intelligas ad quem modum perfectum reducendus sit modus aliquis imperfectus, spectandam esse primam litteram vocabuli quo exprimitur. Est enim

regula generalis, quemlibet modum imperfectum reduci ad eum modum perfectum qui ab eadem littera incipit, vt Baralipton ad Barbara, Celantes ad Celarent,&c.

Præmoneo 3. in iisdem vocabulis quatuor consonantes spectandas esse, nimirum S. P. M. C. quarum S. significat simplicem conuersionem propositionis cui respondet, ita vt si sit in prima syllaba, significet maiorem propositionem simpliciter conuertendam esse, si in secunda, secundam; si in tertia tertiam. P. significat conuersionem per accidens propositionis per illud denotatæ. M. significat transmutationem propositionum, ita vt maior fiat minor, & vice versa. C. verò in secunda, aut tertia syllaba positum significat reductionem ad impossibile. Quæ omnia his duobus versibus comprehenduntur.

Simpliciter verti vult S. P. verò per acci,
M. vult transponi, C. per impossibile duci.

His positis, quæritur quot modis reduci possit syllogismus imperfectus ad perfectum. Respondeo hanc reductionem duobus modis fieri posse, primò ostensiuè, de quo iam agendum est, secundò deducendo ad impossibile, de quo in sequenti articulo agetur. Itaque

Quod spectat ad primum reductionis modum, aduertendum est eum tunc fieri, quando per aliquam conuersionem siue simplicem, siue per accidens, aut per transmutationem propositionum colligitur in syllogismo perfecto eadem conclusio quæ fuit negata in syllogismo imperfecto, vel illius conuersa, ex qua ipsa deinde colligitur, quæ omnia exemplis declarantur.

In primis Cesare debet reduci ad Celarent, quia vtrumque vocabulum incipit à littera C. Et quia in prima syllaba habet S. id denotat reductionem illius fieri per simplicem conuersionem maioris propositionis hoc modo,

Ce Nullus lapis est animal,
sa Omnis homo est animal:
re Ergo nullus homo est lapis.

Hic syllogismus conuertitur in istum, qui est in Celarent

Nullum animal est lapis,
Omnis homo est animal:
Ergo nullus homo est lapis.

At Baralipton debet reduci ad Barbara, cùm ab eadem littera incipiant: littera verò P. quæ est in tertia illius syllaba, denotat conclusionem per accidens conuertendam esse hoc modo,

Ba Omne animal est viuens,
ra Omnis homo est animal:
lip. Ergo aliquod viuens est homo.

Qui syllogismus reducendus est ad istum qui fit in Barbara

Omne animal est viuens,
Omnis homo est animal:
Ergo omnis homo est viuens.

Camestres verò debet reduci ad Celarent propter primam litteram, verùm littera M. significat sũptiones illius transponendas esse, ita vt maior fiat minor, & minor fiat maior; at littera S. quæ in secunda & tertia syllaba reperitur, simplicem conuersionem minoris propositionis, & conclusionis significat, hoc modo,

Cam Omnis homo est animal,
es Nullus lapis est animal:

tres Ergo nullus lapis eſt homo.

Qui ſyllogiſmus conuertitur in iſtum, qui eſt in Celarent, vt ſuprà notauimus,

Nullum animal eſt lapis,
Omnis homo eſt animal:
Ergo nullus homo eſt lapis.

Ex qua illatione ſequitur concluſio negata, ergo nullus lapis eſt homo, cùm propoſitio vniuerſalis negatiua ſimpliciter conuertatur, iuxta illud ſuperiùs allatum, *ſimpliciter feci, conuertitur, &c.*

ARTICVLVS II.

De reductione ad impoſsibile.

Reductio ad impoſſibile fit, cùm negata concluſione alicuius modi imperfecti, aſſumitur contradictoria illius, & altera ex præmiſſis conceſſis, hincque concluditur contradictoria, vel contraria alterius præmiſſæ quæ conceſſa fuerat. Sit exemplum in Baroco,

Omnis equus eſt ſentiens,
Aliquod viuens non eſt ſentiens:
Ergo aliquod viuens non eſt equus.

Tunc ſi præmiſſis conceſſis, negetur concluſio, aſſumatur contradictoria illius cum maiori conceſſa, & ex vtraque concludatur contradictoria minoris quæ conceſſa fuerat, hoc ſyllogiſmo, qui eſt in Barbara,

Omnis equus eſt ſentiens,
Omne viuens eſt equus:
Ergo omne viuens eſt ſentiens.

Vt autem totum hoc negotium clariùs percipias, Obſerua 1. quod ſupra diximus omnes modos imperfectos ſyllogiſmorum reduci ad perfectos qui ab eadem littera incipiunt, non ſemper habere locum in iſta reductione ad impoſſibile, quæ proinde alia ratione inueſtigari debet. Quare

Obſerua 2. omnes modos imperfectos ſyllogiſmorum denotari per hæc vocabula, *Neſciebatis, Odiebam, Letare, Romanis*, quorum primum quinque ſyllabis conſtans, denotat quinque modos indirectos primæ figuræ, ſecundum quatuor modos ſecundæ figuræ; tertium & quartum ſex modos tertiæ, eo quidem ordine vt prima cuiuſque vocabuli ſyllaba primum modum ei reſpondentem ſignificet, ſecunda ſecundum, &c.

Obſerua 3. eaſdem ſyllabas non tantùm denotare modos reducendos, ſed etiam eos ad quos reductio facienda eſt, quatenus continent quatuor vocales A E I O quarum prima denotat modum indicatum per ſyllabam in qua reperitur, reduci ad Barbara, ſecunda ad Celarent, tertia ad Darij, quarta ad Ferio.

Ex quo patet 1. Baralipton ſignificatum per primam ſyllabam vocabuli *Neſciebatis*, in qua reperitur vocalis E. reduci ad Celarent. Celantes denotatum per ſecundam ſyllabam, in qua reperitur vocalis I. reduci ad Darij. Dabitis ad Celarent, Fapeſmo ad Barbara, Friſeſomorum ad Darij.

Patet 2. Ceſare ſignificatum per primam ſyllabam vocabuli *Odiebam*, reduci ad Ferio, Cameſtres ad Darij, Feſtino ad Celarent, Baroco ad Barbara.

Patet 3. Darapti, quod indicatur per primam ſyllabam vocabuli *Letare*, reduci ad Celarent

Felapton ad Barbara, Disamis ad Celarent.

Patet 4. Datisi significatum per primam particulam vocabuli *Romanis*, reduci ad Ferio, Bocardo ad Barbara, & Ferison ad Darij.

Quæres, quomodo intelligi possit quem locum habere debeat contradictoria conclusionis negatæ in syllogismo perfecto qui ex ea instituitur. Respondeo tres regulas quoad hoc à Logicis vulgò assignari, quarum prima est: quando probatur aliquis modus indirectus primæ figuræ, contradictoriam conclusionis negatæ debere esse maiorem in nouo syllogismo, & quæ erat maior, debere fieri minorem. Oppositum tamen seruandum esse in Celantes, quia in eius probatione minor præcedens fit maior, & contradictoria conclusionis negatæ pro minori assumi debet, vt ex his versibus intelligitur.

Maior fit minor, vt fit contradictio maior,
Excipe Celantes in quo conuertitur ordo;

Secunda regula est, quando probandus est syllogismus secundæ figuræ, maiorem seruandam esse, & minorem ex contradictoria conclusionis negatæ constituendam, vt hoc versu exprimitur,

Seruat maiorem, variatque secunda minorem.

Tertia regula est, quando probandus est syllogismus tertiæ figuræ, minorem seruandam, & contradictoriam conclusionis negatæ pro maiori assumendam, vt hoc versu indicatur.

Tertia maiorem variat, seruatque minorem.

ARTICVLVS III.

De reductione per expositionem.

PRæter duos modos aſſignatos quibus ſyllogiſmi probari poſſunt, tertius hic addi poteſt qui fit expoſitione, de qua agunt Logici poſt Ariſtotelem, & in eo conſiſtit vt per ſyllogiſmum quem vocant expoſitorium, idem concludatur quod per ſyllogiſmum imperfectum concluſum fuerat.

Dicitur autem ſyllogiſmus expoſitorius qui conſtat medio ſingulari, adeo enim apertus eſt, vt rem de qua agit velut ob oculos ponere videatur, quia res ſingulares ſunt valde nobis notæ. Itaque ſi quis neget v. c. concluſionẽ huius ſyllogiſmi conſtantis medio communi, qui eſt in Darapti, Omnis homo eſt rationalis, omnis homo eſt ſubſtantia, ergo aliqua ſubſtantia eſt rationalis, aſſumendũ eſt medium aliquod ſingulare contentum ſub homine v. c. Socrates, quem negari non poteſt eſſe rationalem, & eſſe ſubſtantiam, ſi omnis homo eſt rationalis, & ſubſtantia, vt conceditur, & inde eadẽ concluſio quæ negata fuerat eruenda hoc modo.

Socrates eſt rationalis,
Socrates eſt ſubſtantia;
Ergo aliqua ſubſtantia eſt rationalis.

Cumque iſtius ſyllogiſmi concluſio ſit certa & euidens, hinc infertur eam non minùs certo colligi ex priori ſyllogiſmo. Siquidem ex cõmuni Dialecticorum pronũciato, quidquid ſequitur ex conſequente, ſequitur ex antecedente, ſed concluſio allata ſequitur ex præmiſſis ſyllogiſmi expoſitorij, quæ ſunt conſequentes ad præmiſſas prioris ſyllogiſmi, ergo

eadem conclusio rectè sequitur ex præmissis prioris syllogismi. Porrò quia frequens est vsus syllogismi expositorij, nonnulla de eo hic obseruanda sunt.

Obseruandum 1. hunc syllogismum posse fieri in tribus figuris suprà explicatis, maximè verò in tertia, quia medium in vtraque huius figuræ propositione subiicitur; at medium syllogismi expositorij cùm sit singulare, optimè subiici potest, vt cùm dico.

Socrates est homo,
Socrates est animal:
Ergo aliquod animal est homo

Obseruandum 2. quando ambæ præmissæ sunt singulares, legitimam colligi posse conclusionem in omnibus figuris ex vtraque affirmatiua. Est tamen discrimen quod in prima, & tertia figura argumentum valet ex maiori negatiua, & minori affirmatiua, non autem ex maiori affirmatiua, & minori negatiua; at in secunda valet vtroque modo, vt his exemplis perspicuum redditur.

In primis in prima figura hoc modo legitimè concludi potest,

Hic homo non est Catholicus,
Caluinus est hic homo:
Ergo Caluinus non est Catholicus.

Iste tamen syllogismus, qui est in eadem figura, non rectè concludit,

Hic homo est doctus,
Aristoteles non est hic homo:
Ergo Aristoteles non est doctus.

Deinde in secunda figura possumus rectè in hunc modum argumentari,

Paulus non est Petrus,
Hic homo est Petrus:
Ergo hic homo non est Paulus.

Bene etiam concluditur hac ratione in eadem figura.

Hic homo eſt Iacobus,
Ioannes non eſt Iacobus:
Ergo Ioannes non eſt hic homo.

Tandem in tertia figura ſic rectè poſſumus argumentari,

Antonius non cantat,
Antonius eſt homo:
Ergo aliquis homo non cantat.

In eadem tamen figura non valet ſyllogiſmus in hunc modum concinnatus,

Stephanus currit,
Stephanus non eſt Philippus;
Ergo Philippus non currit.

Cuius ſyllogiſmi defectus ex eo oritur, quòd *currit* diſtribuitur in concluſione, non autem in maiori propoſitione. Poterit tamen ex iiſdem præmiſſis legitimè erui concluſio hæc indirecta,

Ergo aliquod currens non eſt Philippus.

Obſeruandum 3. vim ſyllogiſmi expoſitorij fundari in duobus illis principiis lumine naturæ notis, alterum, *quæ ſunt eadem vni tertio, ſunt eadem inter ſe*; alterum, *quæ ita ſe habent ad aliquid tertium, vt vnum ſit idem cum illo, non aliud, ea diſtinguuntur inter ſe* Cum enim ſyllogiſmus Expoſitorius habeat medium ſingulare, quod eſt maximè vnum; ex identitate extremorum cum tali medio, apertè concluditur identitas eorum inter ſe: & vice verſa ex eo quod duorum extremorum aliud non identificetur cum eiuſmodi medio, & aliud cum illo idem ſit, perſpicuum relinquitur ea extrema non eſſe idem inter ſe.

Obſeruandum 4. licèt quod iam dictum eſt poſſit generatim intelligi iuxta mentem Ariſt.

de quocunque singulari, ita vt nullum singulare sit quod non possit esse medium in syllogismo expositorio, Catholici tamen fatentur doctrinam traditam non habere locum in diuinis; quia etsi personæ augustissimæ Trinitatis sint idem cum essentia diuina, talis identitas non impedit quin eæ inter se distinguantur realiter. Vnde hic Syllogismus Expositorius, in quo essentia diuina quæ est singularis, habet rationem medij, nihil concludit,

Essentia diuina est Pater,
Essentia diuina est Filius:
Ergo Filius est Pater.

Quare vt ex medio singulari legitima conclusio erui possit, requiritur vt illud singulare non sit à parte rei plures res inter se distinctæ; cuius defectu syllogismus iam allatus non concludit. Item vt non identificetur cum aliquo quod sit plures res, quæ ratio est cur iste syllogismus non valeat,

Pater non est Filius,
Pater est Diuinitas:
Ergo diuinitas non est Filius.

Etsi enim Pater sit quoddam singulare & incommunicabile, quia tamen identificatur cum Diuinitate, quæ est realiter tres personæ, hinc fit vt ex eo quod Pater non sit Filius, & sit Diuinitas, non bene concludatur Filium non esse diuinitatem.

CAPVT IV.

DE MEDII INVENTIONE, vbi exhibetur figura quæ vulgò Pons Asinorum appellatur.

ARTICVLVS PRIMVS.

Regulæ quædam generales ad inuentionem Medij.

PRæcedentibus articulis ostendimus cum Arist. lib. 1. priorum Analyt. quomodo medium sit aptandum cum extremis, & consequenter qua ratione construendæ sint variæ figuræ syllogismorum. Verum quia parum iuuat scire modum quo medium cum extremis rite disponi potest, nisi etiam calleamus artem inueniendi media necessaria ad quamcunque quæstionem disputandam, quibus syllogismi expeditè construi possint, ratio postulat vt multa, eaque non parum obscura quæ de hac medij inuentione tradit Arist. lib. citato cap. 27. & 30. in breuem summam contrahamus, & pro modulo nostro illustremus.

In primis ergo recolenda est diuisio generalis eorum quæ sunt, de qua diximus in Anteprædicamentis, quædam enim de nullo subiecto dicuntur per se, etsi per accidens de aliquo dici possint, eiusmodi sunt singularia omnia. Callias enim & Socrates de nullo dicuntur per se, dicuntur tamen de aliquo per

accidens; vt cum dico, hic qui venit est Callias; hoc album est Socrates: sic enim Callias, & Socrates dicuntur de quodam suo accidente; quia accidentarium est Calliæ quod veniat, & Socrati quod albus sit. Alia verò sunt de quibus nihil synonymè dicitur, vt genera suprema; de ijs enim nihil vniuocè prædicatur, cùm ens non sit vniuocum ad decem summa genera. Alia denique sunt media inter genera suprema, & singularia, quæ de suis inferioribus dicuntur, & de quibus superiora enunciantur, vt ex arbore substantiæ perspicuum est.

Deinde hoc posito fundamento, quando se offert propositio aliqua probanda, vel reijcienda, illius subiectum & attributum diligenter sunt inspicienda, tum verò eorum antecedentia, consequentia, & repugnantia sunt inuestiganda. Dicuntur autem antecedentia, ea ex quibus alia sequuntur; consequentia, quæ ex aliis sequuntur; repugnantia, quæ cum aliis non cohærent.

Exempli gratia, homo est antecedens ad animal, quia posito homine ponitur animal, adeoque animal est consequens ad hominem; imò & gradus omnes superiores sunt consequentes respectu graduum inferiorum, de quibus prædicantur; sicut vice versa gradus omnes inferiores sunt antecedentes respectu superiorum: at equus, planta, lapis & similia quæ de homine affirmari non possunt, dicuntur repugnantia respectu hominis.

Rursus cum consequentia, seu quæ attribuuntur, alia sint communia, alia propria, alia essentialia, ea seligenda sunt quæ ad rem magis apta vidētur. Nam qui vult mediorum copia abundare, attributa primi & secundi gene-

ris adhibere poteſt; qui verò demonſtratiuè quæſtionem concludere intendit, attributa neceſſaria & eſſentialia vſurpare debet.

Debemus etiam ea ſeligere conſequentia quæ totum antecedens ſequuntur, & non tantùm aliquam illius partem. v. c. ſi quærenda ſunt conſequentia hominis, non ſunt ſumenda quæ alicui homini competunt, vt eſſe album, eſſe Philoſophum, ſed ea quæ omnem hominem conſequuntur, vt eſſe animal, eſſe viuens; quia propoſitiones vniuerſales frequentiores, & vtiliores ſunt in ſyllogiſmis quàm particulares;& ob eandem rationem debemus vti antecedentibus, de quibus vniuerſim affirmentur ea quorum reſpectu ſunt antecedentia, vt eſt homo reſpectu animalis, & iuſtitia reſpectu virtutis.

Præterea, conſequentia proxima potiùs eligenda ſunt quàm remota; quia ſi illa habentur, hæc continuo adſunt, non vice verſa. Vt inter conſequentia equi ſatius eſt aſſumere brutum, vel animal, quàm viuens, aut ſubſtantiam. Et ſimiliter antecedentia proxima potius ſumi debent quàm remota; vt inter antecedentia animalis homo, vel equus, potiùs quàm Plato, aut Bucephalus.

Illud quoque obſeruandum occurrit, ad concludendam quæſtionem in ijs quæ non ſemper & neceſſariò ſunt vera, ſed plerumque ita ſe habent vt affirmatur, ſatis eſſe inuenire media veriſimilia, & quæ affinitatem habent cum concluſione probanda.

Denique non debemus aſſumere pro medio id quod eſt conſequens ad ſubiectum, & prædicatum, ſeu quod de vtroque affirmatur, quia ſic ex duabus affirmantibus ſequeretur cõcluſio in ſecunda figura, contra regulas ſuperius

allatas. Vt si velis probare omnem hominem esse rationalem, per risibile, quod est medium consequens ad vtrumque, sic procedes in secunda figura,

Omne rationale est risibile,
Omnis homo est risibilis;
Ergo omnis homo est rationalis.

Quare cum modus iste argumentandi sit vitiosus, vt patet ex supradictis, hinc fit vt non debeamus in probatione alicuius conclusionis assumere medium, quod de illius subiecto & attributo prædicetur.

ARTICVLVS II.

Regulæ quædam speciales de inuentione Medij.

Postquam Aristoteles proposuit præcepta generalia, quæ ad concludendum quodcunque problema ipsi visa sunt apta & necessaria, consequenter transit ad regulas speciales quæ singulis quæstionibus probandis sunt accommodatæ, & quia omnis propositio probanda vel est vniuersalis, vel particularis, eaque vel affirmans, vel negans, capite 28. libri citati, tradit quatuor regulas, quarum prima docet modum probandi propositionem vniuersalem affirmatiuam, secunda particularem affirmatiuam, tertia vniuersalem negatiuam, quarta particularem negatiuam.

Prima regula: Ad concludendam propositionem vniuersalem affirmantem, inueniendum est medium quod sit consequens subiecti; & antecedens prædicati, id est quod prædicetur de subiecto conclusionis, & subiiciatur illius prædicato. Vt si velim probare omnem equum

esse viuentem, assumendum est pro medio animal, quod est consequens equi, omnis enim equus est animal, & antecedens viuentis, omne siquidem animal est viuens, sicque concludetur intentum in Barbara.

Omne animal est viuens,
Omnis equus est animal:
Ergo omnis equus est viuens.

Secunda regula: Ad concludendam propositionem particularem affirmantem, assumendum est medium quod sit antecedens subiecti, & prædicati; vt si probanda sit hæc propositio, aliquod animal est nigrum, assumendus est coruus qui vtrumque antecedit, cum sit animal, & præterea sit niger; sicque fiet syllogismus in Darapti,

Omnis coruus est niger,
Omnis coruus est animal;
Ergo aliquod animal est nigrum.

Tertia regula. Ad probandam conclusionem vniuersalem negatiuam, sumi debet medium consequens subiectum, & repugnans prædicato, vel è contra repugnans subiecto, & consequens attributum. Vt si probanda sit hæc propositio, nullus equus est lapis, vel assumi debet animal quod est consequens equi, & repugnans lapidi, vel inanimatum quod repugnat equo, & consequitur lapidem; ac priori modo fiet iste syllogismus in Celarent,

Nullum animal est lapis,
Omnis equus est animal:
Ergo nullus equus est lapis.

Poterit etiam idem concludi in Cesare, per solam conuersionem maioris hoc modo

Nullus lapis est animal,
Omnis equus est animal:
Ergo nullus equus est lapis.

Posteriori vero modo poterit fieri hic syllogismus in Camestres,

Omnis lapis est inanimatus,
Nullus equus est inanimatus:
Ergo nullus equus est lapis.

Quarta regula. Ad concludendam propositionem particularem negantem, sumendum est medium quod antecedat subiectum, & repugnet prædicato. Vt si probandum sit aliquod animal non esse album, sumi debet coruus qui antecedit animal, & repugnat albo, sicque syllogismus fiet in Felapton,

Nullus coruus est albus,
Omnis coruus est animal:
Ergo aliquod animal non est album.

Quod si minor conuertatur, syllogismus fiet in Ferio, hoc modo,

Nullus coruus est albus,
Aliquod animal est coruus:
Ergo aliquod animal non est album.

Addi potest quinta regula spectans ad Baralipton, qui est modus indirectus primæ figuræ. Vt enim aliquid concludatur in hoc modo, assumendum est medium quod sit antecedens subiecti, & consequens prædicati, vt in hoc exemplo,

Omne viuens est substantia:
Omnis homo est viuens:
Ergo aliqua substantia est homo.

Atque ex ijs habemus sex medij cum extremis combinationes ad concludendum vtiles, quibus tres aliæ inutiles adiungi solent, quarum prima est, quando medium attribuitur vtrique extremo, tunc enim fit syllogismus ex vtraque affirmatiua in secunda figura, qui vitio non caret, vt suprà diximus. Secun-

da, quando medium subijcitur maiori extremo, & de minori negatur; tunc enim fit syllogismus in prima figura ex minori negante, quod repugnat supradictis. Tertia, quando medium vtrique extremo repugnat, sic enim fieret syllogismus ex duabus negatiuis, quod in nulla figura licet.

ARTICVLVS III.

Explicatio quorumdam vocabulorum quæ ad prædicta meliùs percipienda inuenta sunt.

VT prædictæ combinationes medij cum extremis tam vtiles quàm inutiles percipiantur, firmiusque memoriæ inhæreant, hi duo versus excogitati sunt,

Fecana, Cageti, Dafenes, Hebare, Gedaco, Gebali stant, sed non stant febas, hecas, & hedas.

In quibus verbis nonnulla obseruanda sunt. 1. nouem hic esse vocabula quæ nouem medij combinationibus prædictis respondent, ita vt sex priora vocabula denotent sex modos vtiles, tria verò posteriora tres inutiles.

Obseruandum 2. sex prima vocabula constare tribus syllabis, quibus tres syllogismi propositiones indicantur, tria verò vltima duabus tantùm, vt indicetur conclusionem legitimam sequi ex sex prioribus modis, non autem ex tribus postremis.

Obseruandum 3. in tertia syllaba sex priorum vocabulorum reperiri aliquam ex istis quatuor vocalibus A. E. I. O. quarum prima

ſignificat concluſionem vniuerſalem affirmatiuam, ſecunda vniuerſalem negatiuam, tertia particularem affirmatiuam, quarta particularem negatiuam iuxtà ſuperius dicta.

Obſeruandum 4. in duabus primis ſyllabis ſpectandas eſſe has octo litteras A. B. C. D. E. F. G. H. quarum quatuor priores pertinent ad attributum concluſionis probandæ, quatuor verò poſteriores ad illius ſubiectum. Itaque A ſignificat attributum, B conſequens, C antecedens, D repugnans attributi, E verò ſignificat ſubjectum, F conſequens, G antecedens, & H repugnans ſubjecti, quæ omnia duobus hiſce verſibus exprimuntur

Prædicat A, ſequitur B, præit C, D, manet extra,

E ſubit, F ſequitur, G præit, H manet extra.

Ex his iam incipit ſublucere vſus prædictarum vocum; nam *Fecana* indicat ad probandam concluſionem vniuerſalem affirmatiuam indicatam per ſyllabam *na* aſſumendum eſſe medium quod ſit conſequens ſubjecti vt innuit ſyllaba *fe*, & antecedens prædicati, vt denotat ſyllaba *ca.* Idque eſt conſentaneum primæ regulæ ſuperius traditæ.

Cageti ſignificat, ad probandam concluſionem particularem affirmatiuam, aſſumendum eſſe medium antecedens ad prædicatum & ad ſubjectum; vt fertur in ſecunda regula.

Daſenes ſignificat, ad probandam concluſionem vniuerſalem negatiuam, aſſumendum eſſe medium repugnans prædicato, & conſequens ſubjectum; vt in prima parte tertiæ regulæ ſtatuitur

Hebare ſignificat, ad probandam conclu-

sionem vniuersalem negatiuam, assumendum esse medium quod sit repugnans subjecto, & consequens prædicatum; vt traditur in secunda parte eiusdem regulæ


Gedaco significat, ad probandam conclusionem particularem negatiuam, assumendum esse medium antecedens ad subjectum, & repugnans attributo; vt statuit quarta regula.

Gebali significat, ad probandam conclusionem particularem affirmatiuam, assumendum esse medium antecedens ad subjectum, & consequens ad prædicatum; iuxta quintam regulam. Atque hi sunt sex modi vtiles

. At *Febas* denotat, ex medio quod sit consequens ad subjectum, & ad attributum nihil concludi; & hic est primus modus inutilis.

Hecas significat, ex medio repugnante subjecto, & prædicatum antecedente nihil concludi: & hic est secundus mobus inutilis.

Hedas significat, ex medio quod sit repugnans subjecto, & attributo, nihil concludi; & hic est tertius modus inutilis. Quæ omnia vt accuratiùs percipiantur, excogitata est à Logicis hæc figura inuentionis medij, quæ vulgò Pons Asinorum appellatur.


Pons Asinorum
Prædicatum
A
B
C
D
E
F
G
H
Consequens
Antecedens
repugnans
inutilis
inutilis
felapton
bocardo
consequens
Antecedens
repugnans
Subjectum
B.

CAPVT V.

DE QVIBVSDAM ALIIS syllogismorum formis.

ARTICVLVS PRIMVS.

De syllogismo modali, constante ex aliqua propositione de necessario.

Sicut syllogismi quidam constant ex propositionibus puris, seu de inesse; ita sunt alij constantes ex propositionibus modificatis, qui vulgò modales appellantur, de quibus Aristoteles à cap. 8. libri 1. priorum Analyt. fusissimè tractat. Ac primo quidem agit de syllogismo ex modo de necesse, de quo in hoc articulo; secundò de syllogismo ex modo de contingenti, de quo in articulo sequenti aliquid breuiter statuemus.

Itaque quod spectat ad syllogismos de necesse, ij duobus modis construi possunt, primò ita vt ambæ propositiones sint de necesse, secundò ita vt altera fit de necesse; altera de inesse. Quando syllogismi constant vtraque præmissa de necesse, in eo conueniunt, cum syllogismis de inesse, quòd eosdem habent cum illis modos tum vtiles, tum inutiles. Vnde tam in syllogismis de necessariò, quàm de inesse, confirmatio modorum primæ figuræ fit per duo illa principia dici de omni, dici de nullo; modi autem secundæ, & tertiæ figuræ reducuntur ad primam per conuersionem propositionum.

Est tamen discrimen, quod in puris syllogismis Baroco, & Bocardo confirmantur in prima figura per reductionem ad impossibile; at in syllogismis de necessario, modi illi confirmantur per syllogismum expositorium in propria ipsorum figura factum.

Quando verò syllogismi constant ex altera propositione pura, & altera necessaria, sic variæ ab Arist. statuuntur de illis regulæ in tribus figuris; & quidem in prima figura quatuor regulæ assignantur, quarum prima est si major propositio sit necessaria, & minor pura seu absoluta, sequitur conclusio necessaria, vt patet in hoc syllogismo, in Barbara,

Necesse est omne animal viuere,
Omnis homo est animal:
Ergo necesse est omnem hominem viuere.

Secunda regula, si major est absoluta, & minor necessaria, conclusio non est necessaria; vt constat ex hoc syllogismo in eodem modo,

Omne animal mouetur,
Omnis homo necessariò est animal:
Ergo omnis homo mouetur.

Tertia regula, quando maior est vniuersalis de necesse, & minor particularis absoluta, sequitur conclusio particularis de necesse, vt si dicam in Darij,

Necesse est omne animal viuere,
Aliquis homo est animal:
Ergo necesse est aliquē hominem viuere.

Quarta regula, si minor particularis sit necessaria, conclusio est absoluta, vt in eodem modo,

Omne animal mouetur,
Necesse est aliquod album esse animal:
Ergo aliquod album mouetur.

In ſecunda verò figura ſunt duæ regulæ; prima eſt, quando propoſitio negans vniuerſalis eſt neceſſaria, concluſio eſt neceſſaria, vt patet in Ceſare,

Neceſſe eſt nullum lapidem eſſe animal,
Omnis homo eſt animal:
Ergo neceſſe eſt nullum hominem eſse lapidem.

Altera eſt, quando propoſitio affirmans eſt neceſſaria, concluſio eſt de ineſſe, vt in Cameſtres,

Neceſſe eſt omnem hominem eſſe animal,
Nullum album eſt animal:
Ergo nullum album eſt homo.

In tertia autem figura tot conſtitui poſſunt regulæ, quot ſunt modi illius,

Prima regula in Darapti. Quando maior propoſitio eſt neceſſaria, concluſio etiam eſt neceſſaria, vt,

Omne animal neceſſariò eſt ſubſtantia,
Omne animal mouetur:
Ergo aliquid quod mouetur neceſſariò eſt ſubſtantia.

Secunda regula in Felapton. Quando major propoſitio eſt neceſſaria, concluſio etiam eſt neceſſaria, vt,

Neceſse eſt nullum hominem eſſe lapidem,
Omnis homo eſt animal:
Ergo neceſse eſt aliquod animal non eſſe lapidem.

Tertia regula in Diſamis. Quando minor eſt neceſſaria, concluſio eſt etiam neceſsaria, vt

Aliquod expetendum eſt voluptas,
Neceſse eſt omne expetendum eſse bonũ:
Ergo neceſſe eſt aliquod bonum eſse voluptatem,

Quarta

Quarta regula in Datisi. Quando maior est necessaria, conclusio quoque est necessaria; vt si dicam,

Necesse est omne expetendum esse bonum,
Aliquid expetendum est voluptas:
Ergo necesse est aliquam voluptatem esse bonam.

Quinta regula: In Bocardo nunquam colligitur conclusio necessaria.

Sexta regula in Ferison. Si major sit de necesse, conclusio similiter erit necessaria, vt

Necesse est nullum animal esse lapidem,
Aliquod animal est homo:
Ergo necesse est aliquem hominem non esse lapidem.

ARTICVLVS II.

De syllogismo modali, constante ex aliqua propositione de contingenti.

Postquam Aristoteles egit de syllogismo modali, qui constat ex propositione aliqua de necesse, tractare aggreditur de contingenti à cap. 13. ex quo tria sumenda sunt,

Primò contingens definiri *quod non est necessarium, & si ponatur, nihil inde sequitur impossibile*. Ex quo patet quando ab Arist. necessarium vocatur contingens, tunc contingens sumi valde impropriè & æquiuocè, vt ipsemet hic obseruat.

Secundò propositiones de contingenti inter se conuerti quoad dictum, ita vt affirmatiua fiat negatiua, & vice versa; vt contingit hominem currere, contingit hominem non currere; Item, contingit omnem hominem cur-

rere, contingit nullum hominem currere, & non omnem hominem currere. Quia cùm contingens non sit necessarium & quod non est necessarium possit non esse, planum est id quod contingit esse, contingere etiam non esse, & si omni contingit esse, omni etiam contingere non esse.

Tertiò duplex esse contingens, aliud quod plerumque fit, vt hominem canescere, vel augeri, & vno verbo quod natura esse solet, adeoque vocatur contingens natum; aliud quod est indefinitum seu indifferens vt sit, vel non sit, vt animal moueri, aut non moueri: posse autem syllogismum fieri de vtroque contingenti, sed cum discrimine, nam de contingenti indefinito nec scientia dari potest, nec demonstratio; quia medium est valdè incertum & inconstans, ex quo proinde non magis hoc quam illud colligi potest. Secus autem res se habet in contingenti quod plerumque accidit; quia cùm tale contingens habeat causam certam & determinatam, sub scientiam cadere potest.

His positis, quædam regulæ ex capitibus sequentibus eruendæ sunt; & quia syllogismus de quo agimus, constare potest vel vtraque contingenti, vel altera de inesse, & altera contingenti, vel altera contingenti, & altera necessaria, de duabus prioribus combinationibus breuiter agendum est, & quid ex ijs in qualibet figura colligi possit indicandum, dimissa tertia quæ parum vsitata videtur.

In primis quando ambæ propositiones sunt contingentes, hæc tria documenta obseruari debent; primum, in quatuor modis directis primæ figuræ deduci potest legitima conclusio de contingenti, v. c. in Barbara, sic,

Contingens eſt omnem vigilantem moueri,
Contingens eſt omnem hominem eſſe vigilantem:
Ergo contingens eſt omnem hominem moueri.

Secundum, ex duabus de contingenti nihil concludi poteſt in ſecunda figura, vt patet v.c. in Ceſare,

Contingit nullum canem currere,
Contingit omnem equum currere:
Ergo contingit nullum equum eſſe canem.

Hæc enim concluſio falſa eſt, cùm non ſit contingens, ſed planè neceſſarium nullum equum eſſe canem.

Tertium, ex duabus de contingenti in omnibus modis tertiæ figuræ concluſio de contingenti legitimè deduci poteſt. Exemplum ſit in Darapti,

Contingit omnem hominem diſputare,
Contingit omnem hominem eſſe muſicum:
Ergo contingit aliquod muſicum diſputare.

Quod ſi præmiſsarum altera ſit contingens, altera de ineſse, tres iſtæ regulæ obſeruandæ ſunt. Prima regula. Si major propoſitio ſit contingens in prima figura, & minor pura ſeu de ineſse, concluſio eſt de ineſse, vt in Barbara,

Contingit omne animal currere,
Omnis equus eſt animal:
Ergo contingit omnem equum currere.

Secunda regula. Quando in ſecunda figura propoſitio affirmatiua eſt contingens,& negatiua de ineſse, rectè infertur concluſio contingens vt in Ceſare,

Nullum album eſt nigrum,
Contingit omnem hominem eſse nigrum;
Ergo contingit nullum hominē eſse album.

Fatendum tamen contingens hic valdè impropriè sumi, quia in simili propositionum dispositione non semper sequitur conclusio de contingenti propriè sumpto, vt ex hoc syllogismo clarè intelligi potest,

Nullus canis currit,
Contingit omnem equum currere;
Ergo contingit nullum equum esse canem.

Hæc enim conclusio de proprio contingenti intellecta, est omnino falsa, cum non sit contingens, sed planè necessarium nullum equum esse canem.

Tertia regula. Quando in tertia figura altera propositio est de inesse, altera de contingenti, conclusio etiam est contingens, vt in Darapti,

Omnis equus sentit,
Contingens est omnem equum currere;
Ergo contingens est, aliquod currens sentire.

ARTICVLVS III.

De syllogismo hypothetico conditionali.

Syllogismus hypotheticus vulgò confunditur cum conjuncto seu composito, cùm tamen sit tantum quædam species illius, vt ex dictis de propositione hypothetica intelligi potest. Dicitur autem hypotheticus qui ex altera, aut vtraque præmissa hypothetica constat, eiusque tres species assignantur; conditionalis, copulatiuus, & disiunctiuus, de quorum primo hic agemus, & de alijs in sequenti articulo.

Syllogismus conditionalis in duplici figura

conſtrui poteſt, quarum prima eſt in qua poſito antecedente, ponitur conſequens, quod quatuor modis fieri poteſt, primò ita vt vtrumque ſit affirmatiuum, ſecundò ita vt vtrumque ſit negatiuum; Tertiò ita vt antecedens ſit affirmatiuum, & conſequens negatiuum. Quartò ita vt antecedens ſit negatiuum, & conſequens affirmatiuum, vt patet in his exemplis.

1

Si equus eſt, animal eſt,
Sed equus eſt:
Ergo animal eſt.

2

Si non eſt animal, non eſt equus,
At non eſt animal:
Ergo non eſt equus.

3

Si equus eſt, non eſt leo,
Sed eſt equus:
Ergo non eſt leo.

4

Si non eſt videns, eſt cœcus,
At non eſt videns:
Ergo eſt cœcus.

Secunda figura eſt in qua ablato conſequente, tollitur antecedens, quod etiam quatuor modis antedictis fieri poteſt, quorum hic ſubijcio exempla,

1

Si equus eſt, animal eſt,
Sed non eſt animal:
Ergo non eſt equus.

2

Si non eſt animal, non eſt equus,
At eſt equus.
Ergo eſt animal.

3

Si eſt equus, non eſt leo,
At eſt leo:
Ergo non eſt equus.

4

Si non eſt videns, eſt cœcus,
At non eſt cœcus:
Ergo eſt videns.

Quo loco aduerte 1. priorem figuram ſyllogiſmi hypothetici fundari in illo principio, *poſito antecedente, ponitur conſequens*, & poſteriorem in illo, *ablato conſequente, tollitur antecedens.*

Aduerte 2. duo alia eſse principia iſtis oppoſita ex quibus nihil concluditur: alterum eſt, *poſito conſequente ponitur antecedens*, vt

Si equus eſt, animal eſt:
Atqui animal eſt:
Ergo equus eſt.

Alterum, *ablato antecedente, tollitur conſequens*, vt

Si equus eſt, animal eſt,
Atqui equus non eſt:
Ergo animal non eſt.

Aduerte 3. quod iam diximus intelligendum eſse ex vi formæ; nam ob connexionem materiæ, oppoſitum ſæpè contingit, vt in terminis conuertibilibus, ſeu reciprocis, v.c.

Si eſt equus, eſt hinnibilis,
Atqui eſt hinnibilis:
Ergo eſt equus.

Si eſt equus, eſt hinnibilis,
Atqui non eſt equus:
Ergo non eſt hinnibilis.

Idem habet locum in terminis correlatiuis, vt patet in his ſyllogiſmis.

Si eſt Pater, eſt Filius,
Atqui eſt Filius:
Ergo eſt Pater.

Si eſt Pater, eſt Filius,
Atqui non eſt Pater:
Ergo non eſt Filius.

ARTICVLVS IV.

De ſyllogiſmo hypothetico copulatiuo, & diſiunctiuo.

SYllogiſmus copulatiuus nunquam eſt affirmatiuus, quia poſita enunciatione copulatiua abſque alia præmiſsa, ſtatim ſequitur conſequentia alterutrius partis, ſicque fit Enthymema, non ſyllogiſmus, vt cum dico,

Plato eſt bonus, & doctus,
Ergo eſt bonus; vel:
Ergo eſt doctus.

Negatiuus autem vnam habet figuram, quæ in eo conſiſtit, vt ex poſitione vnius partis propoſitionis altera pars tollatur, vt cum dico,

Non & Petrus ſedet, & currit,
At ſedet,
Ergo non currit; vel
At currit,
Ergo non ſedet.

Neque valet ſyllogiſmus, ſi ex ablatione vnius partis altera ponatur, vt patet ſi dicam.

Non & Petrus ſedet, & currit,
Sed non ſedet:
Ergo currit.

Non enim ſequitur Petrum currere, etſi non ſedeat, cùm poſſit ſtare, aut lento gradu ambulare.

Syllogiſmus diſiunctiuus duobus mòdis procedit, primò à poſitione vnius partis, ad deſtructionem alterius, vt

Vel Petrus eſt iuſtus, vel injuſtus,
Atqui Petrus eſt iuſtus:
Ergo non eſt injuſtus.

Secundo à deſtructione vnius ad poſitionem alterius, vt ſi è contra dicam,

Vel Petrus eſt iuſtus, vel injuſtus,
Atqui Petrus non eſt iuſtus:
Ergo eſt injuſtus.

Vbi obſeruandum eſt, ad bonitatem ſyllogiſmi diſiunctiui requiri vt partes ex quibus componitur, ſint verè inter ſe repugnantes; quia alioqui à poſitione vnius ad alterius deſtructionem aut vice verſa, non rectè procederetur, vt patet ſi dicam,

Aut Petrus eſt iuſtus, aut Philoſophus,
Atqui Petrus eſt iuſtus,
Ergo non eſt Philoſophus: vel,
Atqui Petrus non eſt iuſtus,
Ergo eſt Philoſophus.

ARTICVLVS V.

De ſyllogiſmo ex obliquis.

Præter ſyllogiſmos hactenus ex poſitos, eſt quidam alius qui dicitur ex obliquis; quia conſtat terminis caſus obliqui, vt cùm dico,

Omnis iuſtus diligitur à Deo,
Qui eſt in charitate eſt iuſtus:
Ergo qui eſt in charitate diligitur à Deo.

Vbi nota 1. ob periculum terminos multiplicandi, vocem quæ in aliqua propositione afficitur casu obliquo, eodem modo in alia repetendam esse; vnde iste syllogismus non valet. Omnis stella firmamenti altior est sole, Mercurius est stella, ergo Mercurius est altior sole. Siquidem stella firmamenti, & stella sine addito, sunt duo termini; sicque syllogismus constat quatuor terminis, contra regulas syllogisticas.

Nota 2. interdum tamen eundem terminum, qui in vna propositione ponitur in recto, posse poni in alia in obliquo, & vice versa. Vt cùm dico

Omni virtuti opponitur vitium,
Quidam habitus est virtus:
Ergo cuidam habitui opponitur vitium.

Nota 3. varias posse assignari regulas tum pro modis affirmatiuis, tum pro negatiuis huius syllogismi, vt intelligatur an rectè, an vitiosè concludant. Verùm in iis recensendis immorandum non est, sed illud generatim obseruandum, ad agnoscendam veritatem syllogismi ex obliquis, illius propositiones reducendas esse ad rectum casum seruato eodem sensu. Exempli gratia, si quis hunc syllogismum proponat,

Cuilibet Asino insunt aures,
Cuilibet Asino insunt pedes:
Ergo pedes sunt aures.

Illius reductio fiet hoc modo, qui optimè concludit in Darapti.

Omnis Asinus habet aures,
Omnis Asinus habet pedes;
Ergò aliquid habens pedes, habet aures.

Q v

CAPVT VI.

DE SYLLOGISMO DEmonstratiuo.

ARTICVLVS PRIMVS.

Quid sit Demonstratio.

PRæmoneo 1. syllogismum duobus modis spectari posse, primò secundum formam seu figuram, quomodo de eo hactenus actum est, secundo ratione materiæ, seu propositionum ex quibus constat, quomodo de illo deinceps agemus. Non quod forma negligenda sit in syllogismis, de quibus acturi sumus; sed quia supponenda ex ante dictis.

Præmoneo 2. syllogismum secundum materiam spectatum diuidi ab Arist. lib. 1. Topic. cap. 1. in Demonstratiuum, Dialecticum, Pseudographum, & Sophisticum. Demonstratiuus est cuius propositiones sunt necessariæ, dialecticus seu Topicus, cuius propositiones sunt probabiles; pseudographus cuius propositiones videntur necessariæ, cum tamen non sint, ideoque opponitur demonstratiuo; Sophisticus cuius propositiones videntur probabiles, nec tamen sunt, opponiturque Topico. Verum syllogismus pseudographus cum Sophistico confundi solet. His præmissis vt difficultati propositæ satisfiat.

Respondeo demonstrationem duobus modis posse definiri, ex ijs quæ de illa tradit Arist. lib. 1. poster. cap. 2. In primis definitur.

syllogismus scientialis, seu faciens scire. Tunc autem scientiam habemus ex eodem capite, quando cognoscimus causam propter quam res est, eius rei causam esse, nec posse eam aliter se habere; de quibus scientiæ conditionibus infrà agetur.

Secundo demonstratio definitur ratione materiæ, *syllogismus constans ex veris, primis, immediatis, notioribus, prioribus, causisque conclusionis.* In primis dicitur syllogismus, in quo distinguitur ab omnibus argumentationibus quæ non sunt syllogismi, & conuenit cum aliis syllogismis qui non sunt demonstratiui, à quibus per sequentes particulas distinguitur.

Deinde demonstratio debet constare ex veris, quia vt ait Arist. quod non est, non scitur, id est falsi non potest esse scientia, vt non potest sciri hominem esse lapidem, quia id falsum est.

Neque dicas ex præmissis falsis posse elici veram conclusionem, vt si probem omnem hominem esse rationalem, ex eo quod omnis homo est equus, & omnis equus est rationalis; siquidem eiusmodi præmissæ ratione formæ syllogisticæ sunt tantùm causæ cur sequatur conclusio, sed ratione materiæ non sunt causæ rei quæ concluditur; ad veram autem demonstrationem nòn solum requiritur, vt conclusio sequatur ex præmissis vi formæ syllogisticæ, sed etiam vt ratione materiæ ex qua constant, sint causæ rei conclusæ; vt cum concludo hominem esse risibilem, ex eo quod est animal rationale, & omne animal rationale est risibile.

Tertiò debet constare ex primis, & immediatis seu indemonstrabilibus, quia præmissæ

demonſtrationis debent carere medio per quod probentur, ſicque debent eſſe immediatæ, & eatenus etiam debent eſſe primæ, cùm nulla ſit prior propoſitio qua probari poſſint. Rationem aſſignat Ariſtoteles, qùia ſi præmiſſæ ſint demonſtrabiles, non poterimus perfectam éarum habere notitiam, niſi per præcedentem demonſtrationem; quare priùs erunt demonſtrandæ, vt ſimpliciter ſciantur.

Obſeruandum tamen non dubium eſſe, quin vera demonſtratio ex propoſitionibus mediatis & demonſtrabilibus conſtare poſſit; vt cùm probatur animæ impaſſibilitas ex illius immortalitate, quæ à priori per immaterialitatem demonſtrari poteſt: verùm vt quis cenſeatur habere veram demonſtrationem ex præmiſſis demonſtrabilibus, neceſſe eſt vt eas reducere poſſit ad propoſitiones primas & indemonſtrabiles; quo ſenſu Ariſtoteles dixit lib. 1. Topic. cap. 1. demonſtrationem eſſe cùm ex veris & primis ſyllogiſmus conſtat, vel ex eiuſmodi quæ à quibuſdam veris & primis ſuæ cognitionis principium ſumpſerunt.

Quartò demonſtratio debet conſtare ex cauſis, quia per demonſtrationem generatur ſcientia, ſcire autem eſt effectum per cauſam cognoſcere. Vnde ſequuntur duæ aliæ conditiones, cauſæ enim ſunt priores effectu, eoque ſecundum ſe notiores.

Vbi nota 1. non requiri ad veram demonſtrationem quod præmiſſæ ſint formaliter cauſæ concluſionis quoad eſſe, ſed ſufficere cauſalitatem virtualem; vt cùm animæ immortalitas probatur per illius immaterialitatem ab ea realiter indiſtinctam, & æternitas Dei per illius immutabilitatem à quo non re-

liter, sed virtualiter causari dicitur; quatenus si æternitas causam haberet, ab immutabilitate realiter flueret.

Nota 2. Aristotelem probare præmissas debere esse notiores conclusione, vulgari illo axiomate, *propter quod vnumquodque tale, & illud magis tale.* Verùm quia hoc effato plerique passim abutuntur, moneo illud non admitti nisi sub tribus hisce conditionibus. Prima, vt comparatio fiat inter duo in re aliqua ipsis communi, quo fit vt non valeat ista consequentia; propter vinum homo ebrius est, ergo vinum magis est ebrium.

Secunda, vt illud commune possit intendi & remitti; vnde non valet si non dicam, propter patrem est homo, ergo pater est magis homo; quia magis & minus in substantiam non cadit, vt diximus in categoria substantiæ.

Tertia, vt comparatio fiat in re aliqua positiua, non in priuatiua; vt etsi quis sit paruus ob patrem, non sequitur patrem esse magis paruum.

ARTICVLVS II.

Quotuplex sit demonstratio.

QVatuor diuisiones demonstrationis assignari possunt: Prima in demonstrationem ostensiuam, & ad impossibile. Secunda in affirmatiuam, & negatiuam. Tertia in vniuersalem & particularem: Quarta in demonstrationem propter quid, & quia. Verùm quia tres priores diuisiones conueniunt demonstra-

tioni, quatenus est syllogismus, postrema verò illi competit quatenus est demonstratio ab aliis syllogismis distincta, de hac tantum nobis hoc loco agendum est.

Demonstratio propter quid ea communiter dicitur, quæ non tantum probat passionem inesse subiecto, sed etiam assignat veram & proximam causam cur illi insit; at demonstratio quia ea dicitur, quæ ostendit quidem passionem inesse subiecto, sed non assignat veram causam cur illi insit.

Exemplum prioris demonstrationis est, cùm probo hominem esse risibilem, quia est admiratiuus; posterioris verò cum probo è contra esse admiratiuum, quia est risibilis. Siquidem esse admiratiuum est vera & proxima causa risibilitatis, adeoque prior demonstratio est propter quid, & posterior est tantùm quia,

Quo loco aduertenda sunt nonnulla ex Arist. lib. 1. poster. cap. 13. in primis demonstrationem quia, procedere posse tum ab effectu proximo, vt cum ostendo planetas propè esse, quia non scintillant, vel lunam esse rotundam, quia paulatim illustratur; non enim ideo planetæ propè sunt, quia non scintillant, sed potiùs quia sunt propè, ideo non scintillant; nec luna ideo est rotunda, quia paulatim lucem recipit, vel amittit; sed è contra ideo paulatim fit lucida, quia est rotunda, seu sphærica.

Tum ab effectu remoto, vt si probem hominem esse animal, quia est aptus ad ridendum, posset enim idem probari per effectum proximiorem, nempe quia est admiratiuus, vel disciplinæ capax. Verùm etsi causa rectè probari possit per effectum

remotum, non tamen vice versa effectus per causam remotam, cùm hæc latiùs pateat. Licèt enim ex eo quòd aliquid sit aptum ad ridendum bene sequatur illud esse animal; non tamen ex eo quod aliquid sit animal, rectè colligitur illud esse aptum ad ridendum.

Tum à causa remota, vt si quis probet parietem non respirare, quia non est animal, qua etiam demonstratione vsus est Anacharsis, cùm à Græcis interrogatus, an in Scythia essent tibicines, Respondit non esse, quia ibi non essent vites. Siquidem non esse animal, non est proxima causa cur non respiretur, quia apes, muscæ, vermes & cætera animalcula non respirant, sed carent pulmone. Quòd etiam in Scythia non essent vites, ea non erat causa proxima cur tibicines ibi non degerent, sed proxima causa erat inopia vini. Cùm enim Cantores & tibicines lauta vini potatione indigeant, qua fauces nimia vocis contentione spirituumque emissione exsiccatas identidem reficiant, ij non libenter ea loca incolunt, vbi copia vini non suppetit.

Aduertendum 2. ex iisdem terminis ex quibus fit demonstratio ab effectu proximo, posse fieri demonstrationem à causa, vt patet si probem planetas non scintillare, quia propè sunt; aut lunam paulatim illustrari, quia est globosa. Verùm ex iisdem terminis ex quibus fit demonstratio ab effectu remoto, non potest demonstratio fieri à causa; quia non sequitur poni effectum, posita causa illius remota, quamuis ea ablata tollatur. Vnde etsi ex eo quòd homo sit aptus ad ridendum, rectè probetur eum esse animal, quia non nisi animalia rident; non tamen ex eo quod est

animal rectè concluditur eum esse aptum ad ridendum; cùm non omnia animalia, sed tantùm rationalia rideant.

Aduertendum 3. scire propter quid spectare ad scientiam subalternantem, & scire quia ad scientiam subalternatam. Vt medicus nouit contraria contrariis curanda, at Physicus huius rei causam tradit, quia scilicet vnum contrariorum expellit aliud Imò hoc interdum contingit in scientiis minimè subalternatis, vt medicus nouit vulnera rotunda difficiliùs curari; at Geometra huius rei causam tradit, quia nimirum latera figuræ orbicularis magis inter se distant, adeoque difficilius coeunt.

ARTICVLVS III.

Quædam dubia proponuntur circa allatam diuisionem.

QVæritur 1. an demonstratio quia, sit vera demonstratio. Respondeo eam dici posse veram, licèt non perfectam demonstrationem. Ratio est, quia etsi longe distet à perfectione demonstrationis propter quid, eò quòd non procedit ex causa essendi; negari tamen non potest quin per illam vera & certa cognitio comparetur, quod sufficit vt vera demonstratio censeri possit.

Confirmatur, nam syllogismus quo concludo à posteriori hominem esse rationalem, quia est admiratiuus, vel est verus, vel falsus; non falsus, vt perspicuum est, si autem verus, vel est tantum topicus seu probabilis, vel est verè demonstratiuus; non tantùm topicus,

quia non eſt tantùm probabilis connexio inter admiratiuum &. rationale, ſed naturalis & neceſſaria: ergo eſt ſyllogiſmus demonſtratiuus, adeoque demonſtratio quia, eſt vera demonſtratio.

Quod adhuc magis declaratur, quia cognitio quam per talem diſcurſum comparamus, cum ſit certa & euidens, non eſt error, nec opinio, ergo eſt vera ſcientia; & vera ſcientia non niſi per veram demonſtrationem comparari poteſt. Ergo demonſtratio quia, vera demonſtratio cenſeri debet.

Obiicies Ariſtotelem lib. 1. poſter. cap. 2. poſtquam docuit quænam ſint conditiones demonſtrationis propter quid, expreſsè declarare ſyllogiſmum iis carentem non eſſe demonſtrationem. Reſpondeo Ariſtotelem nihil aliud velle quàm, ſyllogiſmum ijs conditionibus carentem non eſſe perfectam demonſtrationem, vt vel ex eo manifeſtum eſt, quod cap. 13. duplicem facit ſcientiam, nempe quod ſit, & cur ſit, & conſequenter duplicem demonſtrationem, ſcilicet propter quid, & quia; quas inter ſe variè comparat, & pluries expreſſis verbis docet demonſtrationem fieri ex effectibus, quia ſunt nobis notiores, idque variis exemplis ſuprà à nobis relatis oſtendit.

Quæritur 2. an diuiſio demonſtrationis in demonſtrationem propter quid, & quia, ſit diuiſio generis in ſuas ſpecies, an analogi in analogata. Reſpondeo non incongruè dici poſſe eſſe diuiſionem generis in ſuas ſpecies. Ratio eſt, quia cùm demonſtratio quia, ſit vera demonſtratio, vt oſtenſum eſt; ſicut poſſumus abſtrahere ab homine, & equo rationem genericam animalis ijs vniuocè conuenientem; ita à demonſtratione propter quid, &

quia, possumus abstrahere rationem communem demonstrationis quæ ijs vniuocè competat, nempe rationem syllogismi certi & euidentis, in quo conclusio ex præmissis necessariò colligatur. In hoc enim demonstrationes illæ eodem modo conueniunt, nec dici potest quod demonstratio quia, id habeat dependenter à demonstratione propter quid, etsi aliunde sit illa ignobilior.

Quæritur 3. an sit adæquata diuisio demonstrationis in demonstrationem propter quid, & quia. Respondeo hanc quæstionem videri de nomine, in qua placet modus loquendi eorum qui putant diuisionem esse adæquatam. Nam omnis demonstratio vel ostendit veritatem conclusionis per propriam & immediatam illius causam, vel ostendit simpliciter veritatem conclusionis, non per propriam & immediatam illius causam: quando demonstratio fit priori modo, ea est demonstratio propter quid, quando verò fit modo posteriori, est demonstratio quia. Si quidem per demonstrationem quia, communiter intelligi solet syllogismus quo aliquid certò & euidenter concluditur, neglecta illius causa propter quam est.

Obiicies esse quandam demonstrationem à præcedentibus distinctam, quæ dicitur per æquiparantiam seu æqualitatem, qua aliquid concluditur de subiecto per medium æquale attributo, vt cùm concludo hominem esse animal, quia est sentiens; ista autem demonstratio nec est propter quid, cum sentiens non sit causa proxima animalis, nec quia, cùm non sit illius effectus, aut causa remota; ergo est demonstratio ab illis distincta. Ita, vt plerique referunt, Raymundus Lullius qui tanti facit

hanc demonſtrandi rationem, vt exiſtimet ea poſſe euidenter confirmari Trinitatem, Incarnationem, aliaque myſteria noſtræ Religionis. Reſpondeo demonſtrationem illam eſſe propter quid, vt intelligi poteſt ex dictis art. 1. cum ſentiens ſit cauſa formalis propter quam homo eſt animal. Quod autem ait Lullius myſteria noſtræ fidei per eiuſmodi demonſtrationes poſſe euidenter confirmari, id non modo ridiculum eſt, & falſum, ſed etiam temerarium, & apertè erroneum: vt in materia de Trinitate à Theologis probari ſolet.

Quæritur 4. an diuiſio demonſtrationis in demonſtrationem propter quid, & quia, omnino coïncidat cum diuiſione vulgari demonſtrationis à priori, & à poſteriori; ita vt omnis demonſtratio à priori conuertatur cum demonſtratione propter quid, & omnis demonſtratio à poſteriori cum demonſtratione quia. Reſpondeo negatiuè, ſupponendo per demonſtrationem à priori eam communiter intelligi cuius medium eſt prius in eſſendo concluſione; & per demonſtrationem à poſteriori eam cuius medium eſt poſterius in eſſendo concluſione. Probatur, nam demonſtratio quia duplex eſt, alia ab effectu, alia per cauſam remotam, vt ſuprà ex Ariſt. diximus; at perſpicuum eſt demonſtrationem per cauſam remotam eſſe à priori, non à poſteriori: vnde euidenter ſequitur aliquam demonſtrationem quia, eſſe demonſtrationem à priori.

Itaque qua ratione duæ illæ diuiſiones demonſtrationis inter ſe comparari poſſint, his duabus propoſitionibus intelligitur; prima, Omnis demonſtratio propter quid eſt demonſtratio à priori, ſed non omnis demonſtratio à priori eſt demonſtratio propter quid. Se-

cunda, omnis demonſtratio à poſteriori eſt demonſtratio quia. ſed non omnis demonſtratio quia eſt demonſtratio à poſteriori.

ARTICVLVS IV.

De præcognoſcendis ante demonſtrationem.

PRæmoneo 1. quinque de re aliqua à nobis cognoſci poſſe. 1. quid per nomen illius intelligatur. 2. an ſit, ſeu an in rerum natura exiſtat. 3. quid ſit, ſeu in quo illius eſſentia conſiſtat. 4. qualis ſit, ſeu quibus proprietatibus ornata ſit. 5. propter quid talis ſit, ſeu quænam ſit cauſa cuius ratione eiuſmodi affectiones illi competant.

Præmoneo 2. inter iſtas cognitiones talem eſſe ordinem, vt prior reſpectu poſterioris dicatur præcognitio, & poſterior reſpectu prioris quæſtio; quò fit vt prima ſit tantùm præcognitio, non autem quæſtio, cùm nullam priorem cognitionem ſupponat; vltima verò è contra ſit tantùm quæſtio, non autem præcognitio, eò quòd nihil ſupereſt poſt ipſam cognoſcendum, cuius reſpectu præcognitio dici poſſit.

Præmoneo 3. cùm in demonſtratione propter quid reperiantur ſubiectum, & paſſio quæ de illo prædicatur, itemque propoſitiones ex ijs conſtantes, dubium eſſe qua ratione iſta præcognoſcenda ſint antequam ſyllogiſmus conſtruatur. Vt enim ait Ariſtoteles 1. Poſter. cap. 1. antequam aliquid per demonſtrationem concludamus, nonnulla ſunt à nobis cognoſcenda; quod probat ex maxima illa generali apud Philoſophos celeberrima, *Omnis*

doctrina, omnisque disciplina discursiua ex præcedente fit cognitione; idque confirmat inductione, tum in Mathematicis disciplinis, quæ procedunt ad demonstrandas suas conclusiones ex præcognitione quorundam principiorum; tum in Dialectica quæ si quid per syllogismum probabilem concludat, procedit ex præmissis datis & concessis; si verò per inductionem, ex cognitione singularium doctrinam vniuersalem colligit. Tum in Rhetorica quæ dum Enthymemate intentum persuadere nititur, procedit ex præcognitione antecedentis ad cognitionem consequentis; cum verò exemplo vtitur, ex vno singulari aliud singulare ob similitudinem colligit. Vnde legitimè concluditur, etiam demonstrationem per quam vera scientia acquiritur, ex quibusdam præcognitis debere procedere. Quænam autem illa sint in dubium vertitur. Itaque.

Respondeo & Dico 1. *ante demonstrationem propter quid præcognoscendum esse de subiecto primò quid nominis. Secundò interdum quid rei. Tertiò non quidem an sit actu, sed an possit existere.* Prima pars probatur, nam qui vult probare v. c. hominem esse risibilem, necessariò debet præcognoscere quid nomine hominis intelligatur; aliàs æquè de boue, ac de homine posset concludere risibilitatem.

Secunda pars ostenditur, nam interdum in demonstratione propter quid probamus proprietatem per definitionem subiecti; vt cùm concludimus hominem esse risibilem, quia est animal rationale; tunc autem perspicuum est requiri præcognitionem de essentia subiecti. Eò vel maximè quia definitio illius continetur in præmissis, quarum veritas præcognosci debet, vt postea dicemus.

Non tamen id in omni demonſtratione propter quid requiritur. Nam Aſtrologi probant demonſtratiuè ideo Lunam pati eclypſim, quia terra interponitur inter ipſam & ſolem, etſi de eſſentia Lunæ non multum ſint ſolliciti; & plerique alij effectus per ſuas cauſas demonſtratiuè probari poſſunt, licet natura & quidditas ſubiecti, cui tales effectus attribuuntur, non cognoſcatur, ſaltem clarè & perfectè.

Tertia pars ſuadetur, quia pleræque demonſtrationes fiunt de rebus non exiſtentibus, ſicut & datur ſcientia de illis, vt de roſa in hieme. Quare non neceſſariò præcognoſcitur actualis ſubiecti exiſtentia, ſed illius ſaltem poſſibilitas ſupponi debet.

Qui tamen demonſtrare intendit aliquod accidens quinti prædicabilis inhærere ſubiecto, vt hominem eſſe album, ſupponere debet ſubiectum exiſtere; quia non poteſt dic de homine non exiſtente, quòd ſit albus, eti: de eo dici poſſit quod ſit rationalis, vel etian riſibilis, propter neceſſariam connexionem quam habent rationalitas, & riſibilitas cum homine.

Dico 2. *de paſsione demonſtranda præcognoſcendum eſſe quid nominis, & confusè ſaltem quid rei, non tamen an ſit.* Primum nimis perſpicuum eſt, cùm nemo ſenſatus poſſit concludere riſibilitatem de homine, niſi intelligat quid ſignificet nomen, riſibilitas.

Secundum verò oſtenditur, quia vt concludatur v. c. hominem eſſe admiratiuum, aſſumenda eſt hæc maior propoſitio, omne animal rationale eſt admiratiuum, quod tamen fieri non poſſet, niſi admiratiuum connexum eſſe cum animali rationali vtcumque cognoſcere-

tur, adeoque illius essentia saltem imperfectè perspecta haberetur.

Tertium suadetur, quia non est præcognoscendum ante demonstrationem quod per illam cognoscitur, at per demonstrationem cognoscitur de passione an sit, cum concludatur eam inesse subiecto. Ergo id non est præcognoscendum.

Obijcies, nemo ignorat hominem esse risibilem antequam id demonstret, ergo falsum est ante demonstrationem non requiri de passione præcognitionem an sit. Respondeo etsi qui demonstrat hominem esse risibilem, antea nouerit esse risibilem, non tamen id nouit cognitione distincta, & perfecta; quia causam risibilitatis ignorabat, adeoque non nouerat risibilitatem vt propriam hominis passionem, sed tantùm confusè vt quoddam accidens illius.

Instabis, postquam noui per demonstrationem, adeoque distinctè hominem esse risibilem, possum demonstratiuè concludere Socratem esse risibilem, tuncque saltem prænotio an passio sit, seu existat præcedet demonstrationem. Respondeo hoc totum à nobis concedi, quia tunc passio concluditur de subiecto illius remoto & mediato, non autem de proximo & immediato, de quo nostra assertio intelligi debet.

Dico 3. *de præmissis demonstrationis cognoscendum esse an sint, seu an veræ sint.* Ratio euidens est, quia cùm conclusio probetur per præmissas, necesse est vt intellectus ijs assentiatur, antequam earum virtute conclusioni assensum præbeat.

Non tamen absolute necessarium puto, vt ante conclusionem cognoscatur per actum

formalem & reflexum bonitas illationis. Nam etsi id requiratur interdum vel ob imperfe-ctam præmissarum dispositionem, quia scilicet non satis perspicuè continent vnionem extremorum cum medio; vel ob tarditatem illius à quo demonstratio conficitur, qui cùm talem connexionem clarè non percipiat, non potest præcisè ex vi illius vnionem extremorum inter se certò concludere; si tamen res per se spectetur, assensus præmissarum videtur sufficiens vt ex eo intellectus statim rapiatur ad assensum conclusionis. Qui enim v. c. perspicuè intelligit, omne animal rationale esse risibile, & omnem hominem esse animal rationale, nullo alio iudicio indiget vt iudicet omnem hominem esse risibilem; cùm per se notum sit, quæ sunt eadem vni tertio, esse eadem inter se. Hocque satis experientia ipsa confirmatur, cùm non iudicemus per actum formalem & expressum conclusionem bene inferri ex præmissis, quoties aliquid demonstramus, sed tantùm virtualiter, & in actu exercito.

ARTICVLVS V.

Quomodo præmissæ demonstrationis causent conclusionem.

QVæritur 1. an assensus præmissarum causent efficienter & physicè assensum conclusionis, an verò tantùm moraliter, seu directiuè illuminando intellectum. Respondeo probabiliùs videri præmissas influere in conclusionem modo tantùm posteriori. Ratio est, quia vt assensus præmissarum causent assensum

ſum concluſionis, ſufficit quod per illos clarè proponatur intellectui connexio quæ eſt inter medium & extrema; hac enim propoſitione facta intellectus elicit neceſſariò aſſenſum cõcluſionis, quo iudicat extrema inter ſe vnita eſſe, eò ipsò quòd videt ea eſſe vnita cum medio. Illa autem propoſitio non influit phyſicè in aſſenſum concluſionis, ſed tantùm moraliter, ſeu per modum directionis cuiuſdam & illuminationis, vt perſpicuum eſt.

Confirmatur. nam ſi aſſenſus præmiſſarum debent concurrere Phyſicè ad aſſenſum concluſionis, eodem modo dicendum eſſet actum quo quis alium docet, qua ratione conficienda ſit demonſtratio, in eam demonſtrationem phyſicè influere; actum cognitionis quo voluntati oſtenditur bonitas obiecti, phyſicè in amorem illius influere; intellectum per actum quo ſcriptionem hanc meam dirigit, efficienter & phyſicè ad illam concurrere; quæ & ſimilia valde abſurda ſunt, & à nemine admiſſa. Sequela patet, nam ſi aſſenſus præmiſſarum phyſicè influunt in concluſionem, ideo eſt, quia intellectum iuuat ad concluſionem eliciendam. At hæc ratio æquè habet locum in exemplis allatis.

Obiicies, illud quod conſtituit potentiam in actu primo, concurrit cum ea efficienter ad actum ſecundum; atqui per aſſenſus principiorum intellectus conſtituitur in actu primo ad aſſenſum concluſionis. Ergo, &c. Reſpondeo maiorem veram eſſe de eo quod phyſicè conſtituit potentiam in actu primo, qua ratione intellectus Beatorum conſtituitur in actu primo ad videndum Deum per lumen gloriæ: eſſe autem falſam de eo quod conſtituit potentiam in actu primo moraliter duntaxat,

quæ ratione voluntas constituitur in actu primò ad amandum per cognitionem obiecti, & intellectus per assensus principiorum ad assentiendum conclusioni. Eò vel maximè quia cùm ambæ præmissæ debeant præcedere conclusionem, ægrè concipi potest quomodo illæ secundum se & formaliter spectatæ, ad assensum conclusionis physicè influere possint.

Quæritur 2. an posito assensu præmissarum, intellectus necessitetur ad assensum conclusionis. Qua in re vnum est certum, & aliud de quo controuertitur.

Certum est intellectum tunc necessitari quoad specificationem actus, ita scilicet vt non possit elicere assensum contrarium, seu dissentire. Ratio est, quia cùm obiectum intellectus sit verum, & obiectum voluntatis bonum, sicut se habet voluntas ad bonum clarè cognitum, ita intellectus ad verum clarè repræsentatum. Atqui voluntas omnium consensu, est determinata quoad speciem circa obiectum clarè cognitum, adeo vt non possit illud odisse; ergo etiam intellectus est determinatus quoad speciem circa verum euidenter propositum, ita vt nequeat actum dissensus circa illud elicere. Sic autem proponitur per præmissas demonstrationis, quia cum contineant claram & euidentem connexionem extremorum cum medijs, perspicuè ostendunt intellectui ipsa etiam extrema esse vnita inter se.

Maior difficultas est an intellectus maneat etiam determinatus quoad exercitium, ita scilicet vt non modo non possit positiuè dissentire conclusioni, sed neque assensum suspendere. Verum in hac etiam difficultate

vnum est certum, & aliud de quo dubium moueri potest.

Intellectus enim duobus modis considerari potest, primò secundum se, vt est potentia quædam naturalis & necessaria, secundò vt subiacet imperio voluntatis. Et quidem si intellectus priori modo spectetur, certum est eum posito præmissarum assensu non posse assensum conclusionis sustinere. Quia cùm sit potentia secundum se minimè libera, & necessaria, nullam vim habet vt in ea hypothesi assensum cohibere possit; sicut non potest oculus apertus non videre obiecta colorata quæ ipsi sunt proposita.

Dubium est ergo, an, cùm intellectus posito assensu præmissarum per se non possit assensum suspendere, id possit saltem ex imperio voluntatis. Nonnulli affirmant, sed oppositum magis placet, quia cùm intellectus sit potentia naturalis & necessaria, verisimile non est quod possit ex imperio voluntatis non agere, quando obiectum illius est ipsi clarè & euidenter propositum; quia aliàs dici poſset similiter oculum apertum ex voluntatis imperio poſse non videre colorem quem coram se positum habet, quod nimis absurdum est. Quare cùm per præmiſsas clarè & euidenter proponatur intellectui veritas conclusionis, non apparet quomodo voluntas possit impedire ne illi assentiatur, seu ne veram eſse iudicet. Confirmatur, nam vel ipsa experientia rerum magistra euincitur, neminem poſse iudicare omnem hominem eſse risibilem, & Petrum eſse hominem, quin statim neceſsariò iudicet Petrum eſse risibilem.

Obiicies, voluntas non necessitatur ad operandum circa aliquod particulare bonũ, ergo

neque intellectus circa particulare verum: Sequela patet, quia cùm intellectus non agat nisi ex applicatione voluntatis, & verum particulare intellectus sit bonum particulare non tantùm ipsius, sed etiam voluntatis, si non posset voluntas impedire quin intellectus assentiretur vero particulari, quale est quod proponitur per conclusionem, sequeretur voluntatem necessitari ad amplectendum aliquod bonum particulare.

Respondeo 1. hoc argumentum posse retorqueri contra illius autores, quia concedunt voluntatem non posse impedire quin oculus apertus, & per illam applicatus percipiat colorem illustratum, & in debita distantia propositum: & aliunde negare non possunt quin visio talis coloris æquè sit bonum particulare visus, & voluntatis, ac cognitio veri particularis est bonum particulare intellectus, & voluntatis.

Respondeo 2. distinguendo maiorem propositionem, nam etsi voluntas absolutè non necessitetur ad bonum aliquod particulare, ex hypothesi tamen quod bonum aliquod particulare eligit, determinatur ad volendum aliud bonum illi necessariò coniunctum; vt qui vult aquam calefieri, necessariò vult frigus ab illa expelli; & qui finem aliquem intendit, necessariò vult media ad illum acquirendum requisita. Licet ergo possit voluntas non applicare intellectum ad dandum assensum præmissis, ex hypothesi tamen quod illum ad hoc applicauit, impedire nequit quin assensum præbeat conclusioni ex ijs necessariò ortæ.

CAPVT VII.
DE MEDIO, ET EFFECTV demonstrationis.

ARTICVLVS PRIMVS.

An quatuor causæ vulgares, nempe efficiens, formalis, materialis, & finalis posśint esse medium in demonstratione propter quid.

Respondeo poſse ex Ariſt. lib. 2. poſter. cap. ij. vbi ait formam eſse quæ explicat quid res ſit, quia cùm forma ſit præcipua pars eſsentiæ, per eam maximè cognoſcitur quid res ſit. Materiam verò ait eſse id quod quibuſdam poſitis neceſsariò eſt, non enim materia expetitur propter ſe, ſed propter formam, vt lignum quæritur non ratione ſui, ſed vt ex illo cathedra aut ſtatua conficiatur. At cauſam efficientem indicat dicens eſse id quod primum mouet, quod latè accipi poteſt vt complectatur tam cauſas quæ per motum realem & phyſicum aliquid efficiunt, quàm formas quæ per ſimplicem quandam emanationem ſuas proprietates emittunt. Denique cauſam finalẽ ait eſse id cuius gratia aliquid fit.

Ratio autem huius aſsertionis eſt, quia demonſtratio parit ſcientiam, at ſcire, eſt rem per cauſam cognoſcere, quare cùm quatuor ſint genera cauſarum, ſicut per quamlibet illarum ſcire poſsumus, ita & demonſtrare. Quod exemplis confirmatur primò in cauſa materia-

li, si dicam, quod componitur ex quatuor elementis est corruptibile, homo componitur ex quatuor elementis, ergo est corruptibilis. Ibi enim compositum ex quatuor elementis, quæ sunt materia corporis humani, est medium ex quo corruptibilitas necessariò sequitur.

Secundò in causa formali, Omne animal præditum anima rationali est discursiuum, atqui homo est animal præditum anima rationali, ergo homo est discursiuus. Vbi per animam rationalem quæ est forma hominis, concluditur discursiuum. Posset autem idem concludi per integram definitionem hominis, aut per solam illius differentiam, quia hæc ad causam formalem reducuntur.

Tertiò in causa efficiente. Quotiescumque interponitur terra inter solem & lunam, toties luna eclypsim patitur: atqui tali die & hora eiusmodi interpositio continget; ergo & eclypsis lunæ. Vbi interpositio terræ est medium ex quo concluditur lunæ defectio, vt ex causa.

Quartò in causa finali. Quicunque intendit finem debet assumere media apta ad illum assequendum; atqui omnes homines intendunt finem beatitudinis, ergo omnes debent assumere media ad illum assequendum necessaria. Verum cum Aristoteles sæpe doceat perfectissimæ demonstrationis, qua proprietas concluditur de subiecto, medium esse definitionem, inquirendum superest quomodo id intelligi debeat.

ARTICVLVS II.

Quænam definitio sit medium potissima demonstrationis.

NOnnulli dicunt id competere definitioni subiecti, ita vt numquam liceat in perfectissima demonstratione assumere pro medio definitionem attributi. Verùm hæc opinio reiicitur, quia Arist. 2. poster. cap. 8. probat eclypsim Lunæ per interpositionem terræ, & tonitru per extinctionem ignis in nube; at terræ interpositio non est definitio lunæ, sed illius eclypsis nec extinctio ignis definitio nubis sed tonitrui; quare falsum est quod demonstratio semper pro medio habere debeat definitionem subiecti, & numquam attributi.

Obiicies, in perfecta demonstratione semper concluditur propria passio de subiecto, idque per causam proximam per quam illi inest; atqui ea causa est definitio subiecti, cùm passio à principiis rei essentialibus profluat; ergo definitio subiecti semper est medium in potissima demonstratione. Respondetur hoc argumento ad summũ concludi, definitionem subiecti esse medium in demonstratione qua cõcluditur de subiecto propria passio quæ proximè ab illo fluit, vt capacitas disciplinæ à rationali; non tamen valere in passionibus quæ tantùm mediatè à subiecto oriuntur, vt risibilitas à rationali; & multò minùs in affectionibus quæ causam externam habẽt, vt patet in exemplis ex Arist. ante allatis; perspicuum enim est eclypsim non oriri ab essentia lunæ, nec tonitru ab essentia nubis, sed à causis extrinsecis per quas

proinde demonstrari debent.

Alij dicunt definitionem subiecti numquam esse medium in demonstratione, sed tantùm definitionem attributi. Verùm hoc etiam refellitur, quia interdum proprietas fluit immediatè ex principiis essentialibus subiecti, vt ex vera causa propter quam est. Certum est autem illud assumi posse pro medio in demonstratione perfecta, quod est causa vera & proxima propter quam passio conuenit subiecto. Quare nil vetat quin definitio subiecti, qua illius essentia declaratur, sit aliquando medium in demonstratione accurata, seu propter quid.

Obiicies, ea demonstratio non est admittēda in qua petitur principium; atqui petitur principium in ea demonstratione in qua medium est definitio subiecti, vt patet si probem hominem esse risibilem, ex eo quòd animal rationale est risibile. Cum enim idem sit homo ac animal rationale, qui probat hominem esse risibilem, quia animal rationale est risibile, perinde facit ac si probaret hominem esse risibilem, quia homo est risibilis, adeoque principium petit, quatenus loco probationis assumit idipsum quod probandum est.

Respondeo, in ea argumentatione non committi propriè petitionem principii; quia cùm definitio sit clarior & notior definito, præmissæ quæ continent definitionem subiecti assumuntur vt notiores conclusione, adeoque vt quodammodo ab illa distinctæ. Vnde cum probatur hominem esse risibilem, quia animal rationale est risibile, non omnino probatur idem per idem, sed quod minus perspicuum est per magis perspicuum.

Accedit quod vt rectè concludatur risi-

bilitas de homine. sufficit assumere in majori propositione, omne rationale esse risibile, cùm animal ad hoc minimè necessarium videatur; quo casu perspicuè vitatur fallacia petitionis principij. Neque dicas sic non demonstrari effectum de subiecto, per illius definitionem; Cùm enim differentia sit pars nobilior definitionis, nil vetat quin nomen totius illi tribuatur. Maximè cùm differentia respondeat formæ, & per formam definitio intelligi soleat.

Alij existimant medium potissimæ demonstrationis esse definitionem vtriusque extremi, ita tamen vt eadem sit definitio essentialis subiecti, & causalis attributi, vt cùm docilitas concluditur de homine per rationalitatem, quæ est essentialis differentia hominis, & causa docilitatis. Verùm hoc ex antedictis sponte corruit, cùm non omnes passiones quæ de subiecto aliquo demonstrantur, ab essentia subiecti fluant, sed aliquæ à causis extrinsecis, aliæ vero tantùm mediatè à subjecto. Quare impossibile est quod in ejusmodi demonstrationibus definitio vtriusque extremi pro medio assumatur.

His ergo opinionibus rejectis, tria à nobis statuenda sunt; primò quando de subjecto demonstratur passio, quæ habet causam extra subjectum, non esse assumendum pro medio definitionem subjecti, sed causam illam externam propter quam passio illi competit, vt patet exemplis contra primam sententiam allatis.

Secundo passionem demonstrandam esse per definitionem subjecti, si ab illo proximè & immediatè fluit; si verò tantùm mediante aliqua passione ab eo originem trahit, per defi-

nitionem talis passionis, vt lunam paulatim ilustrari ostenditur per illius rotunditatem, non per eius definitionem.

Tertio quando passio demonstratur per definitionem subjecti, tunc definitionem illam non tam sumendam esse pro definitione subjecti, quàm pro causa passionis. Siquidem per demonstrationem inquirimus propter quid passio conuenit subjecto, non autem quid sit subjectum; at per definitionem vt definitio est, scimus tantum quid sit subjectum; vt autem est causa passionis, scimus propter quid passio insit subjecto. Quare definitio subjecti hoc posteriori modo accipienda est.

ARTICVLVS III.

De effectu demonstrationis, seu de scientia.

Quæritur 1. quid sit scientia. Respondeo 1. nomen scientiæ variis modis sumi, primo latissimè pro quacunque cognitione siue certa, siue incerta, siue per sensum, siue per intellectum habita. Secundo pro cognitione rei per causam per quam plerumque euenit, sed non semper, & necessariò; qua ratione scimus pluuias hiemali tempore, & tonitrua autumnali vigere. Tertio pro cognitione rei necessariæ, sed non per causam; quomodo cognoscimus quodlibet esse vel non esse, totum esse majus sua parte, aliaque principia per se nota quæ causam non habent, sed ex sola terminorum notitia clarè percipiuntur, quomodo etiam cognitio quæ habetur per de-

monſtrationem, quia ſcientia dici poteſt, vt ſuprà aduertimus. Quarto pro cognitione rei neceſſariæ per propriam & proximam cauſam, quomodo eſt vera & perfecta ſcientia, cuius definitionem hic inquirimus.

Reſpondeo 2. ex Ariſtot. lib. 1. poſter. cap. 2. ſcientiam hoc modo ſumptam eſſe, *cognitionem rei per cauſam propter quam res eſt, ita vt non poſſit aliter ſe habere*. Ex quibus verbis patet tres requiri conditiones ad perfectam ſcientiam, prima vt cognoſcatur cauſa rei, ſecunda vt cauſa applicetur effectui, ita vt cognoſcatur eſſe illius cauſa; quia ſi quis ſciret hominem eſſe animal rationale, & admiratiuum, nec tamen cognoſceret prius eſſe cauſam poſterioris, non cenſeretur ille veram ſcientiam habere. Tertia vt ſciatur rem aliter ſe habere non poſſe, v. c. fieri non poſſe quin animal rationale ſit admiratiuum; nec aliquid eſſe poſſe admiratiuum, quin ſit animal rationale.

Verum obijciet aliquis, falſum videri quod ait Ariſtoteles, ad ſcientiam requiri vt cauſa cognoſcatur quatenus cauſa eſt; hæc enim reflexio non requiritur ad demonſtrationem, vt vel ipſa experientia oſtendit, adeoque nec ad ſcientiam. Reſpondeo duobus modis poſſe cognoſci cauſam vt cauſam, primò in actu ſignato, ita vt per actum formalem & expreſſum intellectus iudicet eam eſſe cauſam talis effectus. Secundò in actu exercito, quatenus re ipſa ex cauſa illa procedit ad effectum; eo modo quo quis ex intentione ſanitatis, aſſumit medicamenta ad eam conſequendam neceſſaria; etſi expreſsè non cogitet intentionem illam finiseſſe cauſam, qua impellitur ad media quærenda. Priori modo non requiritur

ad ſcientiam, quod cognoſcatur cauſa vt cauſa eſt, & hoc tantùm probat objectio; at poſtetiori id planè neceſſarium eſt, cùm eo ipſo quo quis aſſentitur concluſioni propter præmiſſas, intellectus in actu exercito, & implicitè iudicet eas eſſe cauſas concluſionis.

Quæritur 2. quotuplex ſit ſcientia. Reſpondeo ſcientiam aliam eſſe actualem, aliam habitualem; actualis nihil eſt aliud quàm actus intellectus quo aſſentimur concluſioni propter præmiſſas; habitualis verò eſt habitus ex ſcientia actuali in mente relictus, quo manet quis rectè diſpoſitus ad cognitiones actuales eliciendas circa idem obiectum. Verùm dimiſſa ſcientia habituali, de qua agitur in Metaphyſica,

Circa actualem eſt difficultas, quia ex jam dictis videtur ſequi eam non diſtingui à demonſtratione; cùm hæc nihil aliud ſit quàm cognitio actualis qua intellectus aſſentitur concluſioni propter præmiſſas: conſequens autem abſurdum eſt, quia demonſtratio eſt ſyllogiſmus faciens ſcire, eſtque cauſa ſcientiæ actualis, adeoque ab illa realiter diſtingui debet.

Reſpondeo huius difficultatis reſolutionem pendere ex illa quæſtione, an concluſio ſit de eſſentia ſyllogiſmi; qui enim negant, dicent demonſtrationem conſtare tantùm eſſentialiter ex præmiſſis, & connotare concluſionem tanquam effectum ex ea neceſſariò ortum; ſcientiam verò actualem conſiſtere formaliter in concluſione, & extrinſecè connotare præmiſſas à quibus fluit; ſicque eſſe diſtinctionem realem inter demonſtrationem, & ſcientiam actualem.

Qui verò affirmant non modo præmiſſas, ſed

etiam conclusionem spectare ad essentiam syllogismi, respondebunt demonstrationem esse syllogismum facientem scire, in genere causæ formalis, quatenus habens talem syllogismum est formaliter & actu sciens ratione conclusionis, quæ est formalis & actualis scientia. Atque hæc responsio videtur planè consentanea Aristoteli lib. 1. posteriorum cap. 2. non enim tantùm vocat demonstrationem syllogismum scientialem, sed statim addit, *scientialem appello, secundum quem, eò quòd ipsum habemus, scimus.*

Itaque iuxta hanc sententiam, quæ probabilior videtur, concedendum est non esse realem distinctionem inter demonstrationem, & scientiam actualem, & negandum id esse absurdum; quia quando dicitur demonstrationem causare scientiam, id non debet intelligi de causa efficiente, quam à suo effectu realiter distingui necesse est, sed de formali quæ omnium consensu à suo effectu realiter non distinguitur; vt patet in albedine cuius formalis effectus est subiectum facere album, quod per se ipsam facit, & non per aliquid realiter distinctum.

Quo loco aduerte hoc tantùm procedere de scientia actuali, nam si agatur de habituali, sic concedendum est demonstrationem esse illius causam efficientem, & consequenter ab ea realiter distingui; vt ex aliàs dicendis, de modo quo habitus acquisiti producuntur in nobis, clariùs intelligetur.

ARTICVLVS IV.

De nonnullis scientiæ conditionibus.

TRes sunt scientiæ conditiones breuiter hic declarandæ, nempè veritas, certitudo, & euidentia.

Quòd spectat ad primam, nemo dubitat quin ad scientiam necessaria sit veritas, vt hæc significat conformitatem scientiæ ad rem scitam. Cognitio enim quæ non est conformis suo objecto, est error, & deceptio, adeoque non scientia.

Vnde cùm aliud sit ens verum, seu quod est, aliud ens falsum, seu quod non est; vt scientia sit vera, ea debet affirmare esse quod est, & negare esse quod non est; vt affirmare hominem esse risibilem, & negare esse hinnibilem, cum verum sit esse risibilem, & falsum esse hinnibilem. Fatendum tamen scientiam affirmatiuam esse perfectiorem negatiua, cum melius hominem cognoscamus sciendo esse risibilem, quàm cognoscendo non esse hinnibilem. Eò vel maximè quia hæc cognitio negatiua sequitur necessariò ex illa affirmatiua, non autem vice versa.

Quòd spectat ad secundam conditionem, omnes etiam concedunt eam requiri ad scientiam, vt apertè colligitur ex definitione scientiæ superiùs allata. Cùm enim dicitur requiri ad scientiam, vt cognoscatur rem aliter se habere non posse, his verbis indicatur scientiam debere esse omnino certam & immutabilem. Vnde cùm veritas possit admittere formidinem oppositi, vt patet ex fide humana, &

opinione quæ etsi interdum sit vera, dubitationem adjunctam habet; non sufficit ad scientiam quod sit vera, sed prætcrea requiritur vt sit omnis formidinis expers; adeo vt sciens nullo modo dubitet, aut dubitare possit, quin res ita se habeat vt illam cognoscit. Vt autem hoc clarius percipiatur,

Obseruandum 1. certitudinem quæ aliud nihil est quàm assensus quo intellectus firmiter, & sine vlla formidine oppositi alicui objecto adhæret, duplicem esse, aliam externam, aliam internam. Certitudo externa vocatur quæ aliunde oritur quàm ex ipso objecto, ita vt etsi objectum non sit omnino immutabile, aut vt tale non cognoscatur, aliquis tamen ei firmissimè adhæreat, vel ex affectu voluntatis, vel ob rationem aliquam non satis firmam, quæ vt certissima & indubitata apprehendatur; qua ratione hæretici suis erroribus firmissimè adhærent. Certitudo verò interna dicitur quæ ex ipsa objecti infallibilitate & necessitate causatur; vt dum quis certò assentitur conclusioni, per veram & euidentem demonstrationem. Constat autem externam certitudinem, quæ etiam subjectiua vocatur, ad scientiam non sufficere, cum ex se possit esse errori obnoxia; sed requiri internam seu objectiuam, quam cum falsitate conjunctam esse repugnat.

Obseruandum 2. triplicem assignari posse gradum certitudinis, quorum primus dicitur certitudo moralis, secundus Physica, tertius Metaphysica. Certitudo moralis est de re quæ moraliter censetur infallibilis, etsi absolutè non repugnet illi falsitas. Vt certum est moraliter extare vrbem quandam quæ

vocatur Constantinopolis ; quia tot homines testantur eiusmodi vrbem extare, vt id moraliter in dubium vocari non possit.

Certitudo Physica est de re quæ Physicè seu naturaliter est infallibilis, non tamen absolutè, & spectata Dei omnipotentia ; vt Physicè certum est solem cras exoriturum, quamuis id Deus absolutè impedire possit.

Certitudo verò Metaphysica est illa, cuius obiectum est omnino infallibile, ita vt oppositum planè repugnet, non modo spectata rei natura, sed etiam in ordine ad potentiam Dei absolutam ; qua ratione certum est totum esse majus suâ parte ; hominem esse animal rationale, &c.

Obseruandum 3. licèt certitudo moralis non sufficiat ad scientiam propriè dictam, & ad scientiam perfectissimam requiratur certitudo Metaphysica, non tamen negari posse quin sit vera & perfecta scientia, saltem ex mente Aristotelis ea quæ tantùm habet certitudinem Physicam : cùm ex vna parte doceat lib. 2. poster. cap. 2. ad generandam scientiam sufficere omnes causas ; & ex alia perspicuum sit, non tantam esse connexionem omnium causarum cum effectibus per eas demonstratis, quin interdum spectata Dei omnipotentia, positis causis possint effectus non euenire, aut è contra euenire his non positis ; vt patet in eclypsi lunæ quæ impediri potest diuinitùs, etiam si terra sit interposita inter Solem & Lunam; & potest contingere, terra etiam non interposita.

Quod denique pertinet ad tertiam conditionem dubitari non potest, quin etiam euidentia requiratur ad scientiam Aristotelicè

ſumptam. Probatur, nam euidentia hic ſumitur pro cognitione rei adeo clara & perſpicua, vt intellectus non poſſit non illi aſſentiri, qua ratione euidenter cognoſcimus tum principia per ſe nota, ſeu quæ ex ipſis terminis ſunt euidentia, vt, *impoſſibile eſt aliquid eſſe & non eſſe, totum eſt maius ſua parte*; tum concluſiones quæ ex principiis euidentibus perſpicuè deducuntur; vt cùm ex eo quòd totum eſt maius ſua parte, concludimus, manum hominis eſſe minorem toto illius corpore. Talem autem euidentiam requiri ad ſcientiam Ariſtotelicam inde perſpicuum eſt, quòd ſumma illa certitudo quam ad talem ſcientiam neceſſariam eſſe diximus, non aliunde quàm ex principiorum euidentia naturaliter oriri poteſt. Siquidem intellectus noſter ſibi relictus, quandiu rei euidentia non conuincitur, non poteſt obiecto propoſito ita firmiter aſſentiri, vt omnem omnino dubitationem & formidinem abiiciat.

Quia tamen euidentia non requiritur ad ſcientiam, niſi quatenus ex ea naturaliter certitudo oritur, ſi defectus ille euidentiæ aliunde ſuppleatur, adeo vt cognitio aliqua, licèt obſcura, non minus ſit certa, quàm ſi eſſet euidens; non immeritò dici poterit eiuſmodi cognitionem habere abſolutè veram rationem ſcientiæ. Et hoc ſenſu nonnulli graues Philoſophi, & Theologi exiſtimant Theologiam dici poſſe veram ſcientiam; quatenus innititur principiis reuelatis, & fide diuina creditis, ex quibus concluſiones certiſſimæ deducuntur; vt diximus in Proœmio Theol. Reſol. 2.

CAPVT VIII.

DE SYLLOGISMO TOpico & Sophiſtico.

ARTICVLVS PRIMVS.

De natura ſyllogiſmi Topici, illiuſque effectu.

PRæmoneo 1. cùm ſuprà dictum ſit ſyllogiſmum ratione materiæ diuidi in demonſtratiuum, Topicum, & Sophiſticum; & ſufficienter capite præcedenti actum ſit de ſyllogiſmo demonſtratiuo, ſupereſſe tandem ad complementum noſtræ Logicæ, vt de ſyllogiſmo Topico, & Sophiſtico paucis differamus.

Præmoneo 2. tractationem ſyllogiſmi Topici eò ſpectare, vt facilis via & ratio inueniatur qua de omni materia propoſita probabiliter diſputari poſſit, vt monet Ariſt. 1. Topic cap. 1. vnde dubium non eſt quin tractatio iſta valde ſit vtilis, vt idem monet cap. 2. tum ad exercitationem, quia hac methodo inſtructus de omni problemate propoſito facilè argumentari poteſt; tum ad congreſſus hominum, quia aliorum opinionibus auditis, quæ non rectè dicta videbuntur nullo negotio refellere poterimus, & noſtra confirmare; tum ad ſcientias Philoſophicas, idque dupliciter, primò quia cum vtriuſque partis argumenta expenduntur, quidnam in ſingulis ve-

rum, aut falſum ſit haud dubie clariùs elucet. Secundò, quia ars Topica ſubminiſtrat multa argumenta probabilia, ad confirmanda prima cuiuſque ſcientiæ principia, quæ à priori demonſtrari non poſſunt. His præmiſſis

Quæritur 1. quid ſit ſyllogiſmus Topicus ſeu probabilis. Reſpondeo ſyllogiſmum Topicum qui etiam Dialecticus dici ſolet, eum eſſe iuxta Ariſt. 1. Topic. cap. 1. *qui ex probabilibus concludit.* Vnde diſtinguitur à ſyllogiſmo demonſtratiuo, qui ex neceſſariis procedit, & à Sophiſtico qui tantùm ex apparentibus; etſi omnes iſti ſyllogiſmi quoad formam concludendi inter ſe conuenire poſſint.

Quo loco duo obſeruanda ſunt. 1. ea eſſe probabilia ex Ariſt. loco citato, *quæ videntur omnibus, vel pleriſque, vel ſapientibus; atque his vel omnibus, vel pleriſque, vel maximè notis & claris* Exempli gratia, omnibus probabile videtur Deum eſſe colendum, & parentes diligendos; pleriſque diuitias magno ſtudio congregandas eſſe, ſapientibus omnibus doctrinam opibus præferendam eſſe; pleriſque, cœlum volui, & terram ſtare immotam; quibuſdam ſpectatiſſimis vt Platoni, admittendas eſſe Ideas, Ariſtoteli mundum eſſe ab æterno, &c. Verum quod vni alicui vel paucis, quantumuis claris probabile aut certum videtur, non cenſeri debet probabile, quando ab aliis omnibus vt paradoxum reiicitur, vt ſumitur ex Ariſt. cap. 10. qua ratione opinio de tranſmigratione animarum ex aliis corporibus in alia, Pithagoræ; & de Ideis, Platoni adſcripta, iam nullo modo probabilis exiſtimari debet.

Obſeruandum 2. non omnia quæ ſunt probabilia, eundem probabilitatis gradum habe-

re; quædam enim per se sunt adeo probabilia, vt statim ac proponuntur omnibus talia appareant, vt Deum esse colendum, parentes diligendos; alia verò non ita per se primo aspectu probabilia apparent, quin aliqua probatione indigeant; vt fœlicitatem in diuitiis, & voluptatibus non consistere.

Idem etiam ex eo colligi potest, quòd Aristoteles prædictis probabilibus alia tria adiungit, quæ non habent eundem probabilitatis gradum; primum à similibus, vt si probabile est vnam scientiam ferri circa contraria, etiam probabile est vnum sensum in obiecta opposita ferri; secundum à contrariis contrariè acceptis, vt si probabile est fidem amicis habendam esse, probabile est inimicis minimè habendam; tertium à placitis artificum, quia vnicuique in sua arte credendum est

Quæritur 2. quinam sit effectus syllogismi Topici. Respondeo proprium illius effectum esse generare opinionem, sicut effectus demonstrationis est generare scientiam, & syllogismi Sophistici generare errorem. Est autem opinio, *assensus determinatus alicuius propositionis non necessariæ, ob medium probabile, vel ob ipsam rei probabilitatem elicitus.*

In primis opinio dicitur, *assensus determinatus*, in quo conuenit cum scientia, & distinguitur à dubitatione, quæ ad neutram partem determinatur; & à suspicione, quæ etsi ob leuia indicia quibus excitatur, magis propendeat in vnam partem quàm in aliam, non tamen determinatè illi adhæret.

Deinde dicitur, *alicuius propositionis non necessariæ*, in quo distinguitur à scientia, quæ est assensus determinatus propositionis necessariæ. Vnde fit vt cùm scientia sit assensus fir-

mus & certus, opinio dubitationem aliquam seu formidinem necessario adiunctam habeat; quia fieri potest vt quod verum esse putat, sit falsum. Quod tamen intellige de formidine virtuali seu radicali, quæ ex contingentia obiecti sumitur; nam actualis non semper in opinione reperitur, vt manifestum est ex multis conclusionibus probabilibus, quibus sine vlla formidine actuali assensum præbemus.

Tertiò additur, *ob medium probabile, vel ob ipsam rei probabilitatem elicitus:* quibus verbis opinio distinguitur à fide, quæ est assensus determinatus alicuius propositionis non necessariæ, non tamen innititur medio probabili, aut ipsius rei probabilitati euidenti, & per se notæ, vt opinio, sed testimonio dicentis.

Ex quibus collige, quod sicut duo sunt habitus certi, qui versantur circa propositiones necessarias; nempe intellectus qui assentitur propositionibus immediatis, & per se notis, & scientia quæ fertur in propositiones 'meditas, & per alias priores probatas; ita in opinione assignandus est duplex habitus, quorum alius feratur in propositiones quæ per se immediatè sunt probabiles, alius verò in propositiones quæ ex aliis prioribus suam probabilitatem sumunt. Sicut enim in propositionibus necessariis non datur progressus infinitus, sed tandem sistendum est in aliqua propositione prima & indemonstrabili; Ita in propositionibus probabilibus quę sub opinionem cadunt, perueniendum est tandem ad quasdam propositiones primas, quarum probabilitas per se sit euidens, & per priores probari non possit.

Verum contra id quod ante diximus, scien-

tiam versari circa necessaria, & opinionem circa contingentia, obiicitur non repugnare quod scientia & opinio versentur circa idem obiectum, vt si quis sciat hominem esse risibilem, quia scit esse rationalem, alius verò opinetur risibilitatem esse in homine, quia rationalitatem ei inesse opinatur.

Respondeo ex Arist. 1. poster. cap. 33. scientiam, & opinionem non esse omnino de eadem re; non enim per vtramque cognoscitur solùm hominem esse risibilem, quia est rationalis; sed per scientiam cognoscitur risibilitatem homini necessario competere ob rationalitatem, per opinionem vero tantum cognoscitur eam illi contingenter competere. Vnde obiectum scientiæ est risibilitas homini necessariò competens, opinionis verò risibilitas ei non necessariò competens; quæ duo planè sunt opposita.

ARTICVLVS II.

De materia syllogismi Topici, & de generali medij inueniendi ratione.

QVæritur 1. quænam sit materia syllogismi Topici. Respondeo & Dico 1. subiectum syllogismi Topici esse posse quodcunque ens, vt patet ex Arist. 1. Topic. cap. 1. ipso initio vbi ait, propositum huius tractationis esse, inuenire methodum per quam poterimus argumentari de omni problemate proposito, ex probabilibus. Vnde cap 4. monet propositionum, & problematum par-

tes esse tres. Nam aliæ propositiones & quæstiones sunt Ethicæ, vt vtrum oporteat parentibus parere potiùs quam legibus, si discrepent. Aliæ Logicæ, vt an contrariorum sit eadem scientia. Aliæ Physicæ, vt an mundus sit ab æterno. Monet autem se hæc rudi minerua tradere, vt innuat non omnia de quibus Dialectica disputare potest, in trimembri illa diuisione contineri.

Dico 2. attributum syllogismi Dialectici esse quadruplex, nempe genus, vel definitionem, vel proprium, vel accidens, vt docet Arist. cap. 4. libri citati; quod non ita intelligendum est, vt de quacunque re instituitur disputatio Dialectica, semper quærendum sit expressè an attributum sit genus, aut definitio, aut proprium, aut accidens; sed ita vt omnia attributa ad illa quatuor capita reuocari possint, quod hac ratione concluditur ex cap. 8. Attributum vel reciprocatur cum subiecto, vel non reciprocatur; si reciprocatur, vel est essentiale, estque definitio; vel non est essentiale, estque proprium. Si non reciprocatur, vel est essentiale, vel non, si essentiale est genus, si non essentiale est accidens.

Verum obiicies numerum assignatum attributorum ex vna parte videri diminutum, quia non raro differentia & species habent rationem prædicati; ex alia verò videri redundantem, quia reliqua attributa possunt referri ad definitionem, vt patet, quia si probes risibile non inesse soli homini, adeoque non esse illius proprium, eo ipso concludes neque esse illius definitionem, cum hæc soli competere debeat: si probes animal non esse genus hominis, eo ipso probaueris animal rationale non esse hominis definitionem, cum definitio constare de-

beat ex genere & differentia; & si probes album non conuenire homini, adeoque non esse accidens illius, illico probatum erit album etiam non esse hominis definitionem, cum hæc homini conuenire debeat.

Respondeo ad priorem difficultatem, numerum attributorum esse adæquatum, quia differentia generica potest ad genus referri, & specifica ad definitionem; species verò cum plerumque subiiciatur, non fuit numerata inter attributa, quia tamen aliquando attribuitur inferioribus, potest ad genus reduci: siquidem quæstio superioris ad inferiora per se eodem modo tractatur, & per accidens est quòd inferiora specie, aut tantùm numero inter se differant.

Ad posteriorem verò dubitationem respondeo cum Arist. cap.6. rationem illam reducēdi omnia attributa ad definitionē, esse nimis generalem & obscuram, adeoque parum vtilem: nam quamuis ad neganda omnia attributa sufficiat ostendere ea non conuenire subiecto; vt tamen singula subiecto attribuantur, non satis est ostendere ea illi conuenire, sed modus peculiaris quo singula ei insunt, declarandus est; cùm aliter definitio, aliter genus, aliter alia subiecto conueniant.

Quæritur 2. quænam sint generalia instrumenta, quibus argumenta seu media possint inueniri ad concludendam quamcunque quæstionem propositam. Respondeo Arist. cap. 13. libri prædicti quatuor assignarē, quorum primum est, propositiones sumere, secundum, quot modis quidque dicatur posse distinguere, tertium, differentias inuenire, quartum, similitudines inuestigare.

In sequentibus verò media illa sigillatim explicat,

explicat, & quidem cap. 14. multa ſtatuit circa ſumptionem & delectum propoſitionũ: primò vt eligantur propoſitiones verè probabiles, de quibus artic. præcedenti diximus. Secundò vt eligantur propoſitiones quæ probabilius ſimiles videntur; vt nos videre per receptionem ſpecierum, non per radiorũ emiſſionem, quia audimus, guſtamus, & olfacimus aliquid recipientes, non emittentes. Tertiò, vt quæcunque vt plurimum ſunt vera & probabilia, v. c. liberos diligi à matribus, ſumantur quaſi ſemper & abſolutè vera ac probabilia. Quia hæc cogentur concedere, qui neſciunt aliqua in re non ita ſe habere.

Deinde nonnulla inſerit de modo quo propoſitiones colligi & parari debent, docetque tum eas colligendas eſſe non modo ex iis quæ dicuntur, & audiuntur, ſed etiam ex ſermonibus & libris ſcriptis; tum diuerſa rerũ genera ſeparatim notanda, puta de bono, de amicitia, de animali, &c. tum vt initio rei generatim acceptæ ſtatuatur definitio, ac deinceps ad illius diuiſionem, qualitates, & effectus procedatur. Tum vt ſpeciatim quid viri ſpectatiſſimi ſenſerint adnotetur, vt quod dixit Empedocles, quatuor eſſe corporum elementa, facilè enim quiſque conceſſerit quod à claro aliquo Philoſopho dictum eſt. Tum denique vt quæ ad diuerſas ſciẽtias ſpectant, ſeparatim colligãtur.

Monet tandem vt propoſitiones ſumantur quam maximè vniuerſales, quia ex vna multæ fieri poſſunt, vt *oppoſitorum eandem eſſe ſcientiam*, vnde ſequitur eandem eſſe ſcientiam contrariorum, eandemque relatorum. Ac rurſus hæ in alias diuidi poſſunt, vt eandem eſſe ſcientiam boni & mali, nec non albi & nigri, item frigidi & calidi.

ARTICVLVS III.

De secundo instrumento inueniendi media.

Qvod spectat ad secundum instrumentum, de distinctione ambiguorum, Arist. cap. 15. eiusdem libri varios profert locos quibus probetur, multiplicem esse alicuius vocis significationem.

Primus locus est à contrariis qui in varios subdiuiditur; nam in primis ea sunt multiplicia, quæ multa re & nomine contraria habent: vt acutum est nomen ambiguum, quia acuto in voce contrarium est graue, & in quantitate obtusum. Graue etiam multis modis dicitur, quia illi in voce contrarium est acutum, & leue in quantitate: Et pulchrum dicitur homonymè, quia pulchro quod est in animali, contrarium est turpe; & ei quod est in domo, vitiosum.

Secundò illud est multiplex, cuius contrarium in re, etsi non voce, est multiplex; vt obtusum est multiplex, quia acutum ei oppositum aliter dicitur de quantitate, aliter de sapore; vt ex eo liquet, quòd acutũ in quantitate visu & tactu percipitur, in sapore verò gustu.

Tertiò illud multipliciter dicitur, quod vna ratione habet contrarium, alia non habet; vt voluptas multis modis dicitur, quia voluptati ex potu perceptæ contrarius est dolor qui ex siti oritur; ei verò quæ oritur ex cognitione veritatis, vt quòd sciamus non esse communem mensuram dimetientis & lateris, nihil est contrarium.

Secundus locus est à contrariorum mediis, qui etiam triplex est. Nam in primis contraria

quæ interdum ſunt mediata, aliàs carent medio, ſunt multiplicia; vt candidum & fuſcum quæ dicuntur de colore, & de voce, ſunt multiplicia; quia in illo habent mediũ nempe pallidum; in iſta autem non habent. Quòd ſi contendas habere, adhuc iſta erunt multiplicia ex loco qui ſubiicitur.

Præterea illa contraria ſunt multiplicia, quæ non ſemper idem medium habent. Vnde ex hoc capite candidum & fuſcum ſunt multiplicia, ſi medium illorum in voce eſt raucum, vt quidam putant; cùm hoc à pallore qui eſt color medius inter cãdidum & fuſcum, diſtinguatur.

Rurſus ea contraria ſunt multiplicia, quæ modo plura, modo pauciora media habent. Vt in exemplo allato, plura ſunt media inter colorem candidum & fuſcum; in voce verò vnum ad ſummum, nempe raucum.

Tertius locus eſt à contradictoriis hoc modo: Illud eſt multiplex, cuius contradictorium multis modis dicitur; vt quia non cernere dicitur dupliciter, primò pro non habere facultatem videndi, ſecundò pro non vti facultate videndi; ita etiam cernere dupliciter dicitur, nempe pro habere facultatẽ videndi, eaq; vti.

Quartus locus eſt à priuantibus. Nam ſi alterum eorum quæ ſecundum priuationem & habitum dicuntur, multis modis dicitur, etiam alterum; vt ſi ſentire dicitur ſecundum animam, & ſecundum corpus, etiam ſenſu carere dicetur vtroque modo: & vice verſa. Quæ autem hic dicuntur de contrariis, contradicentibus, & priuantibus, ad relata, quæ etiam inter oppoſita numerantur, applicari poſſunt; ita vt ſi vnum relatorum dicatur multipliciter, etiam alterum dici debeat.

Quintus locus eſt à caſibus, qui ad coniu-

gata refertur,poteſtque dupliciter efferri. Primo quando caſus (id eſt aduerbium à nomine deductum) multis modis dicitur,etiam nomen multis modis dicetur ; vt ſi iuſtè dicitur & ex ſententia ſua iudicare , & vt oportet ; ſimiliter etiam iuſtum his duobus modis dicetur. Secundò , quando nomen multis modis dicitur , etiam caſus ab eo deductus multis modis dicetur ; vt ſi ſalubre dicitur quod ſanitatis efficiendæ,vel conſeruandæ , vel indicandæ vim habet ; etiam ſalubriter dicetur , cùm quid fiet accommodatè, ad efficiendam , vel conſeruandam , vel indicandam ſanitatem.

Sextus locus ſte à genere qui variis modis tractatur;primò ea ſunt multiplicia quæ in diuerſiis categoriis ponuntur, vt bonum quatenus efficit voluptatem in cibis,& ſanitatem in medicina , reducitur ad actionem ; quatenus denominat quale , vt hominem fortem , temperantem , iuſtum , ad qualitatem ; quatenus fit opportunè , ad quando ; & quatenus eſt moderatum , ad quantitatem. Similiter acutum dicitur multipliciter , nam vox dicitur acuta , quia citò ferit aures , & ſic ſpectat ad actionem : angulus dicitur acutus , quia eſt minor recto , ſicque ad relationem pertinet ; & machera acuta, quia acutam habet aciem , quod ad vltimam ſpeciem qualitatis ſeu figuram ſpectat.

Secundò ea ſunt multiplicia, quorum genera proxima ſunt diuerſa , nec ſubalterna. Vt grus eſt nomen multiplex , quia auem ſignificat , & inſtrumentum ad ſubleuandos lapides fabricatum ; quod perſpicuum eſt non conſtitui ſub genere auis , vel animalis.

Tertiò illud eſt multiplex,cuius contrarium ſub multiplici genere conſtituitur. Vt malum

est multiplex, quia bonum ponitur in variis Categoriis ex antè dictis.

Septimus locus est à definitione compositi seu coniuncti; si enim ablato proprio non manet eadem definitio, signum est rem esse multiplicem & homonymam: vt patet in candido corpore, & candida voce, illud enim definitur corpus disgregatiuum visus, hæc verò est vox quæ facilè exauditur. Quare si auferatur corpus & vox, quod superest non est idem; adeoque candidum est nomen multiplex, & æquiuocum respectu corporis & vocis.

Octauus locus est à comparatione. Cùm omne Synonymum comparari possit, quia vel similiter dicetur, vel secundum magis aut minus, hinc consequens est illud esse multiplex & æquiuocum, quod duobus ita competit vt in illo comparari non possint. Vt candidum est multiplex respectu vestis candidæ, & vocis; & acutum respectu saporis, & vocis; quia dici non potest quod vox sit magis aut minus candida quàm vestis; nec quod sit magis aut minus acuta quàm sapor.

Nonus locus est à differentiis, variisque modis tractatur, primò illud vocabulum est multiplex, quod significat differentias diuersorum generum, non subalternorum. Vt acutum est differentia vocis, & magnitudinis, differt enim vox à voce, quod acuta sit, & similiter magnitudo à magnitudine; quare cùm vox, & magnitudo sint genera diuersa, & non subalterna, hinc fit vt acutum sit vox homonyma.

Secundo, cùm eiusdem rei eædem sint differentiæ, nomen illud est æquiuocum quod pluribus rebus tribuitur, quarum diuersæ sunt differentiæ; vt color est vox æquiuoca, quia

aliæ ſunt differentiæ coloris, vt ſignificat qualitatem realem corpori inhærentem, aliæ vt ſumitur pro figuris Rhetoricis; priori ſiquidem modo alius color viſum diſgregat, alius congregat; non autem poſteriori.

Decimus locus eſt à ſpecie, & differentia. Tunc nomen eſt æquiuocum, quando eorum quæ ſub illo continentur, aliud eſt ſpecies, aliud differentia. Vt candidum eſt æquiuocum, quia in corpore eſt ſpecies coloris, in voce verò eſt differentia; vox enim differt à voce, quod ſit candida.

ARTICVLVS IV.

De reliquis inſtrumentis, omniumque vtilitate.

HActenus de primo & ſecundo inuentionis inſtrumento: quod ad tertium ſpectat, de eo agit Ariſt. cap. 16. vbi monet primò, differentias eorum quæ ſunt ſub eodem genere quærendas eſſe, vt quid interſit inter iuſtitiam & fortitudinem, inter prudentiam & temperantiam; quæ omnia ſunt ex eodem genere, nempe virtutis.

Monet ſecundò, quærendas etiam differentias in diuerſis generibus, inter quæ non magna eſt diſtantia, vt quid interſit inter ſenſum, & ſcientiam.

Monet tertiò, prætermittendas eſſe differentias eorum quæ longè à ſe inuicem diſtant; quia cùm facilè per ſe appareant, earum inquiſitio inutilis eſſet.

Tandem quartum inſtrumentum tractat cap. 17. circa quod tria præcipit, primò vt ſimilitu-

dinem quæramus in iis quæ sunt diuersi generis, per particulam, ad, hoc modo; vt se habet alterum ad alterum quippiam, vt scientia ad scibile; ita aliud ad aliud, vt sensus ad sensibile.

Secundò vt diuersa inter se conferantur per particulam, in, hoc modo, sicut se habet visus in oculo, ita mens in anima; sicut tranquillitas in mari, ita tranquillitas in aëre: vtrumque enim est quies.

Tertiò iubet vt exerceamur in eruendis similitudinibus eorum quæ longè inter se distant; quia in reliquis similitudines facilè deprehendi possunt.

Quartò, consideranda etiam esse ait ea quæ sunt in eodem genere, an idem quippiam omnibus insit, vt homini, & equo, & cani; quia quatenus in eis idem quippiam inest, eatenus sunt similia.

Postquam Aristoteles egit de quatuor prædictis instrumentis generalibus, trium postremorum vtilitates enumerat cap. 18. dimisso primo, quia per se notum est quantum sit necessaria propositionum sumptio ad syllogismum topicũ extruendum, cùm omnis syllogismus ex duabus sumptionibus constare debeat.

In primis ergo profert quatuor vtilitates secundi instrumenti, quod in ambiguorum distinctione consistit, prima est perspicuitas, facilius enim intelliget quispiam propositionem quã defẽdit, si verborũ ambiguitas explanetur.

Secundò, quia hinc fit vt de re ipsa disputetur, non de verbis. Cùm enim vox est ambigua, potest in vno sensu accipi à respondente, & in alio ab interrogãte: Ablata autẽ ambiguitate, & declarato sensu quo defenditur, ridiculus videbitur qui interrogat, nisi aduersus id argumentetur.

Tertiò, id etiam vtile eſt ne paralogiſmo capiamur; intellecta enim vocis ambiguitate, paralogiſmus adhibita diſtinctione facilè ſolui poteſt.

Quartò, hæc quoque multiplicium diſtinctio vtilis eſt ad alios fallendos; niſi enim reſpondens ſciat multiplicem vocis acceptionem, poterimus ipſi interrogãtes eum paralogiſmo decipere. Hoc autem non in omni verborum multiplicitate fieri poteſt, ſed tantùm quando eorum quæ multis modis dicuntur, alia ſunt vera, alia falſa. Vt ſi quis ignorans ambiguitatem huius vocis, canis, ſimpliciter concedat omnem canem latrare, hinc enim adigetur ad concedendum etiam piſcem, & ſydus latrare, cùm idem nomen iis competat. Monet tamen Ariſtoteles hunc modum non eſſe proprium Dialecticæ, ac ſi diceret artem iſtam fallendi non tam Dialectico, quam Sophyſtæ conuenire; adeoque vitandam eſſe, niſi fortè interdum animi cauſa vſurpetur.

Secundò inuentionis differentiarum duas aſſignat vtilitates, quarum prima eſt, ad ſyllogiſmos de eodem & diuerſo extruendos; inuenta enim quacunque rerum propoſitarum differẽtia, illico eas non eſſe idem probatũ erit.

Altera eſt, ad cognoſcendum quid quæque res ſit, quia propria rei cuiuſque definitio ex proprijs illius differentijs conſtat.

Tertiò, inuentionis ſimilitudinis ait tres eſſe vtilitates, prima ad probandum aliquid per inductionem, quia ſimilium particularium inductione vniuerſale concludi cenſemus; nec facilè poſſunt inductione vti, qui ſimilitudinem ignorant.

Secunda ad ſyllogiſmos hypotheticos, quia quod probatur de re ſimili rei propoſitæ, id

censetur ex hypothesi probatum de re proposita. v. c. cùm sit similitudo inter sensum & scientiam, si habeam medium quo probem contrariorũ esse eundem sensum, & non quo probem eorum esse eandem scientiam; hoc ex illius suppositione concludere potero in hunc modum: si contrariorum idem est sensus, eadem etiam contrariorum est scientia; at verum priùs, ergo & posterius.

Tertia ad definitiones construendas, nam ex similibus deprehenditur genus rei quæ definienda est, quod non modo verum est de genere vniuoco, quale est animal respectu hominis & equi, sed etiam de analogo; vt deprehendimus quietem esse genus analogum respectu serenitatis aëris, & maris tranquillitatis, quia aër serenus & mare tranquillum in eo conueniunt, quòd immota manent seu quiescunt.

ARTICVLVS V.

De Locis Intrinsecis.

PRæmoneo 1. cùm tractatio syllogismi topici eò maxime tendat, vt facilis via & ratio inueniatur qua de omni materia probabiliter disputari possit, vt supra ex Arist. retulimus, non immeritò ab omnibus Logicis constitui varios locos speciales, præter generales articulis præcedentibus memoratos, è quibus velut è quibusdam promptuarijs desumi possunt argumenta, seu media necessaria ad disserendum probabiliter de quacunque re proposita.

Præmoneo 2. à plerisque locum diuidi in maximam, & differentiam maximæ; locum maximam vocant propositionem per se no-

tam, quæ fidem aliis subministrat, qualis est hæc, *cui conuenit definitio, conuenit definitum.* Locum verò differentiam maximæ dicunt esse receptaculum plurium maximarum eiusdem generis, vt est locus à definitione è quo maxima iam relata desumpta est; sicque appellant quia quilibet locus suam denominationem tribuit maximis ad illum spectantibus, & ab alijs distinguit, ita vt alia maxima sit à definitione, alia à genere, & sic de aliis. Verùm maioris perspicuitatis gratia locum qui vocatur differentia maximæ simpliciter locum appellabimus, locum verò qui maxima dicitur, maximam duntaxat.

Præmoneo 3. locos Topicos ab Arist. & nonnullis illius Interpretibus fusissimè tractari, ab alijs verò omnino prætermitti, eò quòd ad oratores potiùs quàm ad Philosophos spectare videantur: eorum tamen methodum nobis magis arridere qui media incedentes via, de locis quidem agunt hoc loco, sed breuiter quantum ad Dialecticam institutionem pertinet: quare cùm Locorum alij sint intrinseci, alij extrinseci, de illis hoc articulo, de istis verò sequenti paucis agemus.

Loci intrinseci qui vel ad substantiam rei spectant, vel eam comitantur, septem assignari possunt; primus est à definitione & definito, è quo variæ maximæ erui possunt tam affirmatiuæ, vt, *quod conuenit definitioni conuenit definito*, & vice versa; quàm negatiuæ, vt *quod non conuenit definitioni, non conuenit definito*, & vice versa.

Vnde possumus ex definitione siue subiecti siue attributi varia eruere argumenta, tum ad confirmandum, cum ad refellendum. Ad confirmandum, vt si probemus hominem es-

se animal, quia est corpus animatum, sentiens, quæ est definitio attributi, aut iustitiam esse in Republica necessariam, quia est virtus suum cuique reddens; quæ est definitio subiecti.

Ad refellendum, vt si contra contendentem, plantam quæ vocatur sensitiua, esse animal, opponas definitionem animalis quæ tali plantæ propriè competere nequit; aut si ex definitione vitij, quod est malum rectæ rationi repugnans, eos arguas qui putant vitium esse homini connaturale, eique valde consentaneum. Cæterum locus descriptionis ad istum reduci potest.

Secundus locus est à genere ad species, ex quo variæ maximæ erui possunt, siue ad confirmandum, vt *quod conuenit essentialiter generi, conuenit essentialiter omnibus speciebus*; siue ad refellendum, vt, *quod repugnat generi, nulli illius speciei conuenire potest.*

Hinc probas primò hominem, equum, bouem, cæterasque omnes species animalium esse essentialiter sensitiuas, quia animal, earum genus, est essentialiter sensitiuum. Secundo non conuenire homini, vel equo, vel boui esse lapidem; quia esse lapidem repugnat animali.

Tertius locus est à specie ad genus, vel ad indiuidua: & quidem si à specie ad genus argumentemur, hæ duæ maximæ obseruari debent; prima, *quidquid conuenit omnibus speciebus, conuenit etiam generi.* Secunda, *quidquid repugnat omnibus speciebus, repugnat etiam generi.*

Si vero procedamus à specie ad indiuidua, hæc alia duo axiomata notanda erunt. Alterum, *quod conuenit essentialiter speciei, conuenit omnibus indiuiduis.* Alterum, quod repugnat speciei, repugnat omnibus indiuiduis.

Quartus locus eſt à differentia, qui cum præcedentibus magnam affinitatem habet. Nam ſi differentia eſt generica, ab ea ad ſpecies eodem modo poſſumus argumentari, ac à genere ad ſpecies. Si verò eſt ſpecifica, ab illa ad indiuidua eadem ratione ac à ſpecie procedi poteſt, eo ſenſu vt quod conuenit eſſentialiter differentiæ genericæ, aut ſpecificæ, conueniat eſſentialiter ſpeciebus vel indiuiduis; & quod illis repugnat, his etiam repugnare cenſeatur.

Quintus locus eſt à partibus integrantibus ad totum, & vice verſa; & quidem à partibus ad totum, eruuntur duæ iſtæ maximæ: Altera, *poſitis omnibus partibus ponitur totum*, vt poſitis fundamento, parietibus, & tecto ponitur domus. Quod intellige de partibus vnitis, nam etſi omnes partes exiſterent, ſi tamen non eſſent inter ſe vnitæ, non exiſteret totum; vt patet quòd poſt mortem non eſt homo, etſi illius anima, & corpus exiſtãt. Altera, *ablata vel vna parte, tollitur totum*; quod intellige de parte abſolutè neceſſaria, vt ablato tecto, tollitur domus.

E toto verò ad partes duæ aliæ maximæ ſumuntur, prior eſt, *poſito toto, ponuntur omnes illius partes*; vt ſi ſit domus, ſunt etiam fundamentum, parietes, & tectum. Poſterior, *ablato toto, tollitur aliqua illius pars*; vt ſi domus eſſe deſinat, vel tectum, vel alia aliqua pars eſſe deſinit. Verùm hæc intelligenda ſunt iuxta antedicta, ita ſcilicet vt poſito toto ponantur omnes partes neceſſariæ, & ablato toto tollatur plerumque aliqua pars: Abſolutè tamen ex totius ablatione non niſi vnionis partium ablatio ſequatur. Ad hunc autem locum reducitur locus à partibus eſſentialibus phyſicis ad totum;

cùm eædem maximæ ex eo erui possint.

Sextus locus est à proprio ad essentiam, ex quo variæ maximæ erui possunt, nempe, *posito proprio poni essentiam, eo ablato tolli*; & similiter possumus argumentari ab essentia ad proprium; siquidem *posita essentia, ponitur proprium, & ea ablata tollitur*, vt manifestum est in risibilitate, & rationalitate hominis, quæ se mutuò ponunt, & tollunt.

Septimus locus est ab accidente & subiecto, è quo variæ maximæ depromuntur, prima, *posito accidente ponitur aliquod subiectum*; quod intellige naturaliter. Secunda, *posito accidente, ponitur effectus illius formalis*, vt, est albedo, ergo & album. Quod intellige modò accidens sit in subiecto satis intensè & extensè. Cuius defectu aqua tepida non denominatur simpliciter calida, nec Æthiops simpliciter candidus. Tertia, *ablato accidente, tollitur effectus illius formalis*, vt si non est albedo, nec album. Quarta, *cui repugnat accidens, repugnat etiam subiectum accidentis*, vt Bucephalus non potest esse homo, quia non potest esse Philosophus. Quinta, *posito subiecto, necesse est poni aliquod accidens*, saltem naturaliter. Sexta, *ablato subiecto necesse est omnia illius accidentia tolli, & ablato omni subiecto omnia simpliciter*; quod intellige citra miraculum.

ARTICVLVS VI.

De Locis extrinsecis.

LOci extrinseci alij, sunt non repugnantes, alij repugnantes: non repugnantes sunt nouem, primus est à causis efficiente, & finali, quæ sunt externæ: Ab efficiente quidem plures maximæ generales erui possunt: prima, *po-*

sita causa in potentia, ponitur effectus in potentia, vt, si potest esse ignis, potest esse calor. Secũda, *posita causa in actu, ponitur effectus in actu*, vt, si ignis actu calefacit, est actu calor ab eo productus. Tertia, *ablata causa in potentia, aufertur effectus in potentia*, vt, si non potest esse causa productiua caloris, nõ potest esse calor. Quarta, *si non est causa actu causans, neque etiam est effectus actu causatus*, vt, si non est causa actu calefaciens, non est calor actu productus. Quinta, *causa bona vt bona, producit bonum effectum, mala vt mala, malum*, quo sensu Christus dixit in Euangelio, non posse arborem bonam malos fructus facere, nec malam bonos. Sexta, *quæ per se corrumpuntur à bonis causis sunt mala, quæ à malis bona*, vt vitium à virtute, & virtus à vitio. Huc referri potest septima, ad locum generationis & corruptionis spectans, *boni generatio est bona, & corruptio mala*, contra verò, *mali generatio est mala, & corruptio bona.*

Possunt etiam variæ maximæ sumi à causa finali; prima, *illud est bonum, cuius finis est bonus*, vt, beatitudo æterna per se est bona, ergo & bona obseruatio mandatorum, quæ ad illam ducit. Secunda, *illud est malum, cuius finis est malus*, vt, malum est occidere, ergo & venenum ad hoc parare. Hæc autem intellige de fine per se, seu ad quem res ex natura sua ordinatur. Vnde cùm eleemosyna non sit per se finis furti, si quis furetur ex intentione dandi eleemosynam, non propterea furtum bonum est. Tertia, *id melius est cuius finis melior, & optimum cuius finis optimus*, vt, melior est Ethica, quàm Physica, & Theologia melior quam Ethica: siquidem melior est recta institutio morum, ad quam tendit Ethica, quàm cognitio rerum naturalium ad quam instituta est Physica, meliorque

eſt diuinorum cognitio & amor, ad quem tendit Theologia, quàm recta morum inſtitutio. Quarta, *illud eſt peius, cuius finis eſt peior, & peſſimum cuius finis peſſimus eſt*, vt, peius eſt omittere ſacrum ex contemptu Eccleſiæ, quàm ex negligentia, & peſſimum ex odio Dei illud omittere. Quinta, *qui finem aliquem intendit, debet aſſumere media neceſſaria ad illius conſecutionem*, vt, qui vult ſalutem æternam conſequi, debet abſtinere à malo, & facere bonum. Sexta, *obtento fine ceſſant media*, vt adepta beatitudine æterna non amplius eſt locus ieiuniis, eleemoſynis, aliiſque mediis ad illum finem aſſequendum ordinatis.

Secundus eſt ab effectibus, qui ex præcedenti facilè intelligi poteſt. Hic tantùm moneo illud eſſe diſcrimen inter cauſam & effectum, quòd ex vno effectu inferuntur neceſſariò omnes cauſæ, at non niſi ex omnibus cauſis, vel vnus effectus inferri poteſt: Vt ſi puer natus eſt, ſequitur eſſe omnes illius cauſas, tam externas Deum, cælum, patrem, matrem, finemque ob quem genitus eſt; quàm internas nempe materiam, & formam, ſeu corpus, & animam ex quibus conſtituitur. At non niſi ex omnibus illis cauſis ſimul ſumptis pueri exiſtentia efficaciter deduci poteſt.

Tertius ab antecedentibus & cōſequentibus, vnde nonnullæ maximæ colligi poſſunt, ſi prius obſerues antecedens & conſequens dupliciter dici, nempe illatione & tempore, ita vt antecedens ſit quod infert & præcedit, conſequens verò quod infertur, & ſequitur. Itaque

Quod ſpectat ad antecedens, & conſequens illatione, quatuor maximæ obſeruari debent; prima, *poſito antecedente ponitur conſequens*, vt, poſito homine, ponitur animal.

Secunda ; *posito consequente non ponitur antecedens* , vt posito animali non necessariò ponitur homo. Tertia , *ex opposito antecedentis non sequitur oppositum consequentis* , non enim si nullus homo est, sequitur nullum esse animal. Quarta , *ex opposito tamen consequentis sequitur oppositum antecedentis* , quia si nullum animal est , benè sequitur nullum esse hominem.

Quod verò attinet ad antecedens , & consequens tempore , quatuor aliæ maximæ obseruandæ sunt : Prima , *posito antecedente non necessariò ponitur consequens* , vt si sunt flores , non sequitur fore fructus. Secunda , *posito consequente ponitur antecedens* , vt , si sunt fructus, ergo flores processerunt. Tertia , *ablato antecedente tollitur consequens* , vt , si non sunt flores , nec fructus erunt. Quarta , *ablato consequente non tollitur antecedens* , quia etsi non sunt fructus, non sequitur quod flores non fuerint.

Quartus à communiter accidentibus , seu à circumstantijs , ex quo tres maximæ erui possunt : Prima , *posita re ponuntur quæ illam circumstare solent* , vt , posito ludo ponuntur rixæ. Secunda , *ablata circumstantia tollitur id cui adjungi solet* , vt non fuerunt rixæ , ergo nec ludus. Tertia, *quales sunt circumstantiæ, tales plerumque sunt res quas circumstant* ; quod verum est siue circumstantiæ sint antecedentes , vt malè fuit institutus , ergo prauis est moribus; siue comitantes, vt , malorum consuetudine delectatur , ergo malus est ; siue subsequentes , vt , in morte de peccatis non dolet , ergo dum vixit salutis curam neglexit.

Quintus est à conjugatis , quæ sunt voces quædam significatione conuenientes, quarum vna ab altera deriuatur , vt justus & justè à justitia. Hinc autem duæ maximæ sumi pos-

ſunt ad confirmandum, prior eſt, *quod dicitur de vno coniugatorum, dicitur ſuo modo de alio,* vt ſi iuſtitia eſt laudanda, iuſtus eſt laude dignus, & iuſtè agere eſt laude dignum. Poſterior, *de quo dicitur vnum conjugatorum, dicitur & aliud,* vt, ſi in Petro eſt iuſtitia, Petrus iuſtus eſt, & iuſtè agit. Duæ etiam ſumi poſſunt ad refellendum, altera, *quod non dicitur de vno conjugatorum, non dicitur de alio*, altera, *de quo non dicitur vnum conjugatorum nec aliud.*

Sextus eſt à ſimili, quod vt intelligas aduerte aliqua dici ſimilia, quia conueniunt in forma ſiue accidentali, ſiue ſubſtantiali eiuſdem ſpeciei, vt duo alba, duo homines. Item quæ inter ſe proportionem habent, vt intellectus, & oculus; auriga & dux. Ex hoc autem loco eruitur hæc maxima: *Similium eadem eſt ratio*, vt cygnus diſgregat viſum, ergo & nix. Petrus eſt diſciplinæ capax, ergo & Paulus. Idem dic de proportionalibus, vt, animus intellectu regi debet, ergo & corpus oculo; auriga currum cautè regere debet, ergo & dux exercitum. Nec tantum affirmatiuè, ſed etiam negatiuè, vt, nix viſum non congregat, ergo nec cygnus; auriga cæcus currum regere non debet, ergo nec dux militiæ ignarus exercitum.

Septimus eſt à majori ſeu veriſimiliori, vnde ſumitur hæc maxima, *ſi quod magis veriſimile videtur, non eſt verum, nec id quod minus veriſimile videtur, verum erit.* Vt, ſi non poteſt tollere pondus decem librarum, multo minus quinquaginta librarum pondus tollet, ſi ne leue quidem verbum ferre poteſt, quomodo mortem ſuſtinebit?

Octauus eſt à minori, ſeu minus veriſimili; Ex quo hæc maxima depromitur, *Si quod minus*

verisimile videtur, est verum, multo magis verum erit quod est verisimilius; vt, si potest tollere centum, poterit à fortiori quinquaginta.

Vbi nota hos duos locos non eodem modo ab omnibus accipi; quidam enim locum à majori quantitate ad minorem, vocant in exemplo allato à majori ad minus, & è contra locum à minori ad majorem, vocant à minori ad majus. Cùm tamen aliter soleant & debeant accipi, ita nempè vt locus à majori ad minus sit à magis verisimili ad minus verisimile; & vice versa locus à minori ad magis sit à minus verisimili ad magis verisimile. Vnde quia magis verisimile est quod homo poterit portare pondus decem librarum quàm quinquaginta, locus est à majori ad minus cùm dico, si non potest tollere decem, multò minùs quinquaginta. Contra verò est locus à minori ad maius, cùm dico, si potest tollere centum, à fortiori quinquaginta tollet.

Nonus est ab authoritate quæ duplex est: diuina cui fides Christiana innititur, adeoque est infallibilis, & humana ex qua tantum probabiliter possumus argumentari; eò tamen efficacius quo plures & doctiores habemus opinionis nostræ patronos. Cæterùm argumentatio non valet ab autoritate negatiuè, sed tantùm affirmatiuè; Siquidem quod Aristoteles aliquid dixerit, inde probabiliter colligitur ita esse, quòd verò aliquid non dixerit, inde non sequitur id non ita se habere, nisi fortè sit locus in quo mentem suam declarare debuerit. Vnde ortum est vulgatum illud, *Argumentum à negatione non valet.* Atque hæc de locis non repugnantibus, sequitur vt de repugnantibus breuiter dica-

mus, qui duo tantùm assignantur.

Prior est ab oppositis, vnde duæ maximæ generales colligi possunt, Prima, *cui conuenit vnum oppositorum, non conuenit aliud*, vt, si est Pater, non est Filius, respectu eiusdem. Si est albus, non est niger, supple secundum eandem partem; si est videns, non est cœcus; si est homo, non est non homo.

Secunda, *si vnum oppositorum conuenit vni, aliud conuenit alteri*, vt si humilitas est laudanda, superbia est vituperanda. Quando tamen vnum oppositum habet duo opposita, fieri potest vt vnum oppositum dicatur de duobus ex illis, & aliud de tertio, vt vituperandum dicitur non modo de auaritia, sed etiam de illi opposita prodigalitate, laudandum verò de liberalitate quæ vtrique opponitur.

Posterior est à dissimilibus qui duas maximas suppeditat, prima est, *dissimilibus dissimilia conueniunt*, vt, si album disgregat visum, nigrum è contra congregat. Secunda, *de dissimilibus dissimiliter sentiendum*, vt, si virtus laudanda est, vitium est vituperandum.

Vbi aduerte hæc procedere de dissimilibus, vt dissimilia sunt, nam coruo & cygno similia conueniunt, & de iis similiter sentiendum est vt sunt aues, quia sic sunt similes.

ARTICVLVS VII.

De syllogismo Sophistico.

QVæritur 1. quid sit syllogismus Sophisticus. Respondeo eum esse qui concludit ex propositionibus quæ probabiles videntur, cùm tamen non sint. Ex quo intelligis, non esse necesse ad syllogismum Sophisticum quod

peccet in forma, sed sufficere quod peccet in materia; adeò vt constet ex præmissis quæ tantùm apparenter sunt probabiles, etsi forma syllogistica seruetur.

Nonnulli tamen contendunt tres esse syllogismi Sophistici species, quarum prima est quæ in sola materia peccat, & similis est vesti ex vili panno, secundum tamen artem optimè confectæ; vt cùm dico, quidquid est canis latrat, at sydus est canis, ergo sydus latrat. Hic enim syllogismus habet formam legitimam, sed in materia peccat, quia major propositio est falsa, etsi vera appareat.

Secunda est quæ in sola forma peccat, estque similis vesti ex optimò panno, non tamen rectè confectæ, vt si dicam, omnis homo est animal, omnis equus est animal, ergo omnis equus est homo; hic enim ambæ præmissæ sunt veræ & necessariæ, adeoque non est defectus in materia, sed tantùm in forma; quia proceditur ex duabus affirmatiuis in secunda figura, quod vitiosum est.

Tertia est quæ in materia & forma peccat, estque similis vesti ex panno detrito, & contra artis præcepta confectæ, vt in hoc syllogismo. Quidquid non amisisti habes, hunc equum quem perdideras habes, ergo hunc equum non amisisti. Hic enim est duplex defectus, alter ex parte materiæ, quia major est falsa, vt ex eo patet, quod sequatur omnes homines habere aures asini, cùm eas non amiserint; alter ex parte formæ, quia syllogismus procedit ex affirmatiuis in secunda figura. Verùm quia suprà satis actum est de forma syllogistica, hic tantum expendenda sunt vitia syllogismi Sophistici, quæ ad materiam spectant, vt ab ijs caueamus. Et quia fallaciæ Sophistarum qui-

bus incautos circumuenire tentant, aliæ consistunt in verbis, aliæ in rebus, de vtroque genere hic breuiter agendum est. Itaque

Quæritur 2. quænam sint fallaciæ verborum, seu in dictione. Respondeo sex communiter assignari, prima est æquiuocationis, quæ contingit quando ex eo quod conuenit vni æquiuoco, concludimus id alteri conuenire; vt cum ex eo quod populus est arbor, colligimus Lutetiam esse arborem.

Secunda est amphibologiæ, quando oratio habens duplicem sensum, aliter sumitur in majori propositione; aliter in minori, vt cum dico, quidquid est Aristotelis, possidetur ab Aristotele; Hæc Logica est Aristotelis, ergo possidetur ab Aristotele. Hæc enim verba, est Aristotelis, in priori propositione dicunt habitudinem possidentis ad rem possessam, & in posteriori causæ ad effectum, vnde conclusio non valet.

Tertia est compositionis, quando aliquid concluditur in sensu composito tamquam verum, quod duntaxat verum est in sensu diuiso; vt cùm dico, omnem hominem non scribere est possibile, atqui quotquot in scholis Sorbonicis scribunt sunt homines; ergo quotquot in scholis Sorbonicis scribunt non scribere est possibile. Conclusio enim est vera tantum in sensu diuiso, non autem in sensu composito, vt arguentes contendunt.

Quarta est diuisionis, quando aliquid concluditur vt verum in sensu diuiso, quod non nisi in sensu composito verum est, vt, quod est frigidum, non potest esse calidum, aqua est frigida, ergo non potest esse calida; quod quidem verum est in sensu composito, quia frigus & calor non possunt simul reperiri in gradu

intenso; sed falsum in sensu diuiso qui intenditur, quia aqua potest alio tempore esse frigida, & alio calida.

Quinta est accentus, quando scilicet ob accentus aut pronunciationis varietatem deceptio contingit, vt si dicam, qui lepores venantur, canibus indigent, Oratores & Poëtæ lepores venantur, ergo canibus indigent; ibi enim mutatur accentus in voce lepores, nam in majori vbi sumitur pro animali, penultima corripitur, in minori verò vbi significat quandam dicendi venustatem, penultima producitur.

Sic etiam ex modo pronunciationis argui potest, Deus nihil facit inuitè, atqui racemi sunt in vite: ergo Deus racemos non facit. Vbi vides fallaciam ex eo oriri, quod inuitè in majori propositione est vnica vox, idem significans ac coactè; in minori verò duas voces complectitur.

Sexta & vltima fallacia est figura dictionis, quæ ex similitudine diuersarum vocum oritur, idque aut grammaticaliter, vt si dicam, voces frons & fons esse eiusdem generis, aut Logicè, ad idem prædicamentum referendo quæ spectant ad diuersa, vt cùm dico, quidquid heri emisti hodie comedisti, at heri emisti carnes crudas, ergo carnes crudas hodie comedisti. Major enim accipitur pro carnibus quoad substantiam spectatis, at in minori, & conclusione additur cruditas, quæ est quoddam accidens substantiæ.

Quæritur 3. quænam sint fallaciæ in rebus, seu extra dictionem. Respondeo septem vulgò assignari, Prima est fallacia accidentis, cùm id quod accidentaliter tantùm competit attributo, tribuitur subjecto, vt, homo est animal, animal est genus, ergo & homo est genus, vel, Pe-

trus eſt homo, homo eſt tertiæ declinationis, ergo & Petrus: non enim quæcũque tribuuntur prædicato tribui poſſunt ſubjecto, ſed tantùm ea quæ tribuuntur prædicato, quatenus idem eſt cum ſubjecto; qua ratione rectè dicimus hominem ſentire, quia eſt animal; & Petrum eſſe rationalem, quia eſt homo: eò quod animal vt eſt ſentiens, cum homine identificatur, & homo vt eſt rationalis, cum Petro.

Secunda eſt dicti ſecundum quid & ſimpliciter: quando ſcilicet à dicto ſecundum quid proceditur ad dictum ſimpliciter, vt cum dico, Ethiops eſt albus ſecundum dentes, ergo eſt albus; vel è contra à dicto ſimpliciciter ad dictum ſecundum quid, vt cùm dico, ſacrum audiendum eſt die feſto, ergo audiendum eſt tempore, & loco interdicto.

Tertia eſt ignorationis Elenchi, eſt enim Elenchus ſyllogiſmus inferens contradictorium eius quod admiſſum eſt; vnde quando non infertur verum contradictorium, ſed tantùm apparens, tunc dicitur fallacia ignorationis elenchi; vt, ſi quis ex eo quod dormias nocte, non die, colligat te dormire & non dormire; aut ex eo quod ſis major Petro & minor Paulo, concludat te eſſe majorem & minorem. Iſta enim non ſunt verè contradictoria, cùm non ſumantur reſpectu eiuſdem.

Quarta eſt conſequentis, cum ſcilicet proceditur ab oppoſito antecedentis ad oppoſitum conſequentis; vt ſi lapis eſt, corpus eſt, ergo ſi lapis non eſt, corpus non eſt; vel cùm ex conſequente infertur antecedens, vt ſi lapis eſt, corpus eſt; ergo ſi corpus eſt, lapis eſt. Hæc autem fallacia opponitur loco ab antecedente, & conſequente de quo ſuprà.

Quinta eſt petitionis principij, cùm ſcilicet

idem per idem probatur, vt si probes spongiam viuere, quia est animata, aut vice versa esse animatam, quia viuit; siquidem viuere & animatum esse idem sunt.

Sexta est non causæ vt causæ, quæ tunc contingit quando aliquid concluditur ex antecedente, quod nō est causa illius, vt si dicas equus est animal, ergo est hinnibilis. Nam etsi equus sit animal, & sit hinnibilis, non tamen ideo est hinnibilis, quia est animal. Huc refer fallaciam eorum qui in Religionem Christianam, vel in statum monasticum insanè debacchantur, ob quædam hominum vitia quorum nec Religio Christiana, nec status monasticus causa est.

Septima plurium interrogationum vt vnius, quod non tantùm contingit quando petitur vna responsio, ad interrogationem quæ aperte est multiplex, vt dum quæro an homo & equus sint animal rationale; sed etiam, quod periculosius est, quando sub vna interrogatione plures latent, vt si quærā an homo sit bonus. Nam cùm sub voce homo, omnes homines includātur, si respondens affirmet, instabo latrones, adulteros, & similes homines esse bonos: si verò neget, arguam iustos & sanctos non esse bonos ipsumque respondentem esse malum, nisi fortè putet se non esse hominem. Quare per distinctionem huic captioni sicut & alijs fere omnibus satisfieri debet. Atque hæc de Idea Logicæ satis, ad maiorem Christi gloriam, & proximi vtilitatem.

FINIS.

THESES PHILOSOPHIÆ RATIONALIS, SEV LOGICÆ.

EX PROOEMIO.

LOGICÆ nomine intelligitur quidam mentis habitus, quo intellectus operationes diriguntur ad verum cognoscendum. *Art. 1.*

Logica fuit primùm Adamo infusa, & cùm temporum iniuria penè deleta esset, ab antiquis Philosophis, partim natiua vi intellectûs, partim longâ experientia resti.

...ica dici potest ars, quatenus ars su... ...è pro habitu, qui quomodocum... ...rationem agendi, aut qui fer... ...um contingens. *Art. 2.*
...cientia, quatenus hæc sumitur ...peculatiuo, vel practico, qui ...emonstrationem generatur.
...rt quod versetur circa mentis ...s, vt dirigibiles, cum eas spe... ...nete, & demonstratiuè in earum ...tione procedat.

Logica diuiditur in docentem & vtentem, estque secundum se totam docens & vtens. *Art. 3.*

T

Logica docens, & vtens non distinguuntur realiter quoad habitum, distinguuntur tamen quoad actum.

Non repugnat quod idem actus sit vtens respectu vnius, & docens respectu alterius.

Logica docens est propriè scientia. Vtens verò formaliter spectata, minimè: Sed si materialiter spectetur, quà parte conficit demonstrationes, sic scientia dici potest.

Art. 4. Obiectum Logicæ non sunt res omnes, nec voces externæ, nec ens rationis, quod secunda intentio vocatur, nec modus sciendi.

Obiectum materiale Logicæ est cognitio intellectus, vt complectitur tres vulgares mentis operationes, nempe primam mentis apprehensionem, iudicium & discursum.

Obiectum formale illius est cognitio mentis, vt dirigibilis ad verum.

At definitio videtur esse obiectum attributionis Logicæ, cætera verò quæ in e[illegible] traduntur, obiectum attributum.

Art. 5. Logica est scientia absolutè & simp[illegible] ter practica.

Logica potest dici secundum qu[illegible] tia speculatiua.

Nec refert quod quæ specula[illegible] tur in Logica, spectent ad alias[illegible] in ea enim reperiuntur variæ c[illegible] ad praxim minimè spectantes.

Logica potest definiri, scient[illegible] ca, quæ versatur circa cognitione[illegible] tis, vt dirigibilem ad verum cogno[illegible] dum.

Logica etsi dicatur instrumentum, seu

organum Philosophiæ, est tamen verè, & propriè illius pars.

Logica alia naturalis, alia artificialis. *Art. 6.*

Logica artificialis non est absolutè necessaria ad alias scientias, seu ad eas in statu aliquo imperfecto, ad eas tamen in statu perfecto consequendas, est secundum quid necessaria.

Logica docens actualis moraliter tantum, seu directiuè concurrit ad actus aliarum scientiarum. Logica vero docens habitualis, effectiuè & Physicè. *Art. 7.*

Præter Deum qui est prima, & vniuersalis causa rerum omnium, intellectus est causa efficiens Logicæ. *Art. 8.*

Logica cùm sit qualitas spiritualis, non potest habere materiam ex quá componatur, vt habent res corporeæ, ex materia & forma constantem. Habet tamen materiam in qua, & materiam circa quam.

Logica non habet formam intrinsecam per quam constituatur, sed ipsa potius est forma accidentalis, quâ intellectus informatur & perficitur.

Dici tamen potest actiones mentis, vt dirigibiles ad verum esse formam extrinsecam Logicæ, & rectitudinem, formam illius intrinsecam.

Præcipuus finis Logicæ est directio operationum mentis.

Logica aliquo modo subalternatur Philosophiæ, & cum aliis scientiis Metaphysicæ, sed impropriè; speciali tamen titulo per principium in quo fundatur ars syllogistica, ad illam reuocatur.

Cognitio intellectiua est actus elicitus ab intellectu. *Art. 9.*

Obiectum adæquatum intellectus est omne ens, siue reale, siue non reale.

Tres sunt gradus cognitionis intellectiuæ, Apprehensio, Iudicium, discursus.

Tres autem illæ operationes directione indigent, eò quod à perfectione possunt deficere.

Tria sunt instrumenta differendi, non tamen sic intelligenda, quatenus sunt quidam actus eliciti ab intellectu in certa materia, sed vt ab iis intellectus dirigitur in suis operationibus.

Ad assequendum finem à Logica intentum, 1. agendum de terminis, 2. de enunciatione. 3. de rectè argumentandi ratione.

EX CAP. I. LIBRI I.

Art. 1. TERMINVS est extremum ex quo propositio componitur, tanquam ex subiecto vel prædicato.

Excluditur à definitione termini, copula verbalis, nisi se habeat vt subiectum aut prædicatum.

Non solum propositiones aliquid significantes, sed & illæ quæ nihil significant possunt habere rationem termini, sicut & propositio integra si aliam sic constituit, vt sit subiectum aut prædicatum illius.

Art. 2. Terminus 1. adæquatè diuiditur in mentalem, vocalem & scriptum.

Mentalis subdiuiditur in non vltimatum & vltimatum.

Vltimatus iterum subdiuiditur in directum & reflexum, quæ tamen diuisio æquè vltimato aptari potest.

Vocalis in significatiuum & non significatiuum, qui quamuis in propositione quæ

est oratio significatiua, assumatur, non sequitur quod per se aliquid significet, sed tantum quòd de illo aliquid significari potest.

Significatiuus significat vel à natura, vel ab hominum instituto.

Non tantum in vocibus, sed & in rebus ipsis sunt signa naturalia, & signa ad placitum.

Signa naturalia, alia formalia, alia instrumentalia. Signa realia non sunt termini.

Diuiditur item terminus in terminum primæ, & secundæ intentionis, positiuum & negatiuum, communem & singularem. *Art. 3.*

Positiuus sumitur à nonnullis pro non negatiuo.

Negatiuus distinguitur à priuatiuo.

Communis plura aut significat, aut significare potest.

Singulare vni tantum rei competit. Diuiditur in determinatum, indeterminatum, demonstratiuum, ex suppositione, ex hypothesi, & collectiuum.

Diuiditur iterum terminus in vniuocum, Æquiuocum, & Analogum. *Art. 4.*

Terminus æquiuocus, sicut & analogus potest esse vniuocus.

Terminus vniuocus, æquiuocus & analogus, conueniunt & discrepant diuerso respectu.

Terminis homonymis opponuntur polyonima, sicut & Synonymis Heteronyma.

Vniuoca tripliciter diuiduntur. 1. in vniuoca vniuocantia, & vniuocata. 2. in par-

ticipata & participantia. 3. in essentialia, & accidentalia.

Æquiuoca diuiduntur, in æquiuoca æquiuocantia, æquiuocata à casu & à consilio. Æquiuoca à consilio subdiuiduntur, in Æquiuoca à memoria, à spe, propter proportionem, ab vno, ad vnum.

Analoga diuiduntur à multis, in analoga inæqualitatis, attributionis, & proportionalitatis.

Art. 5. Diuiditur item terminus, in transcendentem, & supertranscendentem, in Categorematicum & Syncategorematicum; Complexum & Incomplexum: quibus & à nonnullis additur Mixtus.

Art. 6. Diuiditur præterea terminus in concretum & abstractum; absolutum & connotatiuum; denominatiuum, & denominantem. denominans subdiuiditur in denominantem intrinsecè, & denominantem extrinsecè.

Termini denique à nonnullis diuiduntur in repugnantes & conuertibiles; magis & minus communes, excedentes & excessos.

Termini inter se comparati, alij sunt impertinentes, alij pertinentes.

Art. 7. Suppositio, est 1. terminorum affectio, & acceptio vocis pro se, vel pro re, quam significat. Duplex est, materialis & formalis, item formalis duplex. Propria & impropria. Propria item duplex. Simplex & personalis. Personalis, duplex; Singularis & communis. Communis quadruplex, distributiua, copulata, determinata & confusa. Distributiua item duplex, absoluta & accommoda. Accommoda diui-

ditur in completam & incompletam.

A terminis inferioribus ad superiorem fit ascensus, & à superiori ad inferiores, descensus. Ascensus & descensus quadruplex. Distributiuus, copulatus, determinatus, & confusus.

Sunt & aliæ terminorum affectiones. Status, ampliatio, distractio, restrictio, diminutio, alienatio, & appellatio. *Art.* 8.

Duplex appellatio. Formalis & materialis.

EX CAP. II.

QVINQVE prædicabilium tractatio necessaria est 1. ad intelligentiam Catheg. Arist. 2. ad construendas definitiones, 3. ad rectè diuidendum. 4. ad conficiendas demonstrationes. *Art.* 1.

Genus tripliciter accipitur. 1. pro collectione, 2. pro principio. 3. pro eo cui subiicitur species.

Genus 3. modo spectatum describitur id quod pluribus, & differentibus specie attribuitur in quæstione quid est.

Species duobus modis accipitur. 1. pro pulchritudine. 2. pro vniuersali quod sub genere constituitur.

Species 3. modis potest definiri. 1. Species est quæ subiicitur generi. 2. de qua genus prædicatur in quæstione quid est. 3. quæ de pluribus differentibus numero prædicatur in quæstione quid est. quæ 3. definitio conuenit tantum speciei specialissimæ. In qualibet enim cathegoria est genus generalissimum, & species specialissima, & inter illa extrema mediant nonnulla quæ simul sunt genera, & species diuerso respectu. Media autem il- *Art.* 2.

ia diuerſos habent reſpectus ad priora, & ad inferiora; extrema verò vnum duntaxat.

Genus generaliſſimum definitur quod nunquam eſt ſpecies, & quo non eſt ſuperius genus. Species verò infima, quæ cùm ſit ſpecies non eſt genus, vel quam cùm ſit ſpecies, in ſpecies diuidere non poſſumus. Item quæ pluribus, & differentibus numero attribuitur in quæſtione quid eſt.

Art. 3. Indiuiduum ſpectari poteſt vel primo intentionaliter, vel 2. intentionaliter.

Indiuiduum ſpectatum 1. intentionaliter, definitur quod conſtat ex proprietatibus, quarum collectio nunquam in aliquo alio eadem eſſe poteſt. Hæc autem definitio non eſt eſſentialis, ſed tantum deſcriptiua.

Indiuiduum ſpectatum 2. intentionaliter, eſt quod de vno tantum prædicatur, vel, quod ſubiicitur ſpeciei.

Indiuiduum diuiditur in certum, & incertum quod aliàs vagum, aliàs diſiunctiuum appellatur. Indiuiduum certum triplex, determinatum, demonſtratiuum, & per periphraſim.

Art. 4. Differentia diuiditur in communem, propriam, & propiiſſimam. Item in ſeparabilem & inſeparabilem. Inſeparabilis ſubdiuiditur in differentiam per ſe, & differentiam per accidens.

Differentia item per ſe ſubdiuiditur in eam quæ diuidit genus, & eam quæ conſtituit ſpeciem.

Differentia pluries definitur. 1. quâ ſpecies ſuperat genus. 2. Eſt quæ pluribus

& differentibus ſpecie attribuitur in quæſtione quale quid eſt. 3. Id quod naturalem vim habet ſeparandi ea, quæ ſub eodem genere collocantur. 4. id quo quidque differt. 5. & accuratiùs; Differentia eſt id quod ita ſeparat ea quæ ſunt ſub eodem genere vt ſpectet ad quidditatem, ſeu eſſentiam eorum.

Proprium ſpectatur ſiue vt ab improprio, & Metaphorico, ſiue vt à communi diſtinguitur. *Art. 6.*

Proprium quadrupliciter ſumitur. 1. pro eo quod ſoli alicui ſpeciei conuenit. 2. pro eo quod omni, etſi non ſoli ſpeciei accidit. 3. pro eo quod ſoli & omni, & aliquando, ſed non ſemper. 4. pro eo quod ſoli, omni & ſemper ſpeciei conuenit. Et hoc eſt proprium maximè propriè dictum, veráque, & eſſentialis eius definitio.

Proprium definitur ab Ariſtotele, quod non declarat quidditatem, ſed ſoli ineſt, & cum re reciprocatur.

Solum proprium in 4. acceptione conſtituit 4. prædicabile.

Proprium diciturvniuerſale per ordinem ad inferiora ſpeciei, non ad ipſam ſpeciem.

Accidens tripliciter ſumitur. 1. pro eo quod eſt extra rei eſſentiam, eique accidit, ſiue ſit ſubſtantia, ſiue accidens. 2. pro eo quod non eſt ſubſtantia, ſiue ab ea fluat, ſiue non. 3. pro eo quod nec eſt ſubſtantia, nec ab eius principiis fluit. *Art. 7.*

Accidens diuiditur in ſeparabile, & inſeparabile.

Accidens definitur quod adeſt, & abeſt

sine subiecti interitu, vel quod contingit eidem inesse, vel non inesse, vel quod neque est genus, neque species, nec differentia, nec proprium, semper autem in subiecto inhæret.

Accidens est quintum prædicabile per ordinem ad subiecta, de quibus prædicatur, non per ordinem ad inferiora, de quibus essentiabiliter dicitur.

Accidens vt sit vniuersale, debet respicere plura subiecta actu existentia.

Art. 8. Non sunt admittenda plura vniuersalia, seu prædicabilia, quam quinque: requiritur enim ad veram rationem vniuersalis, quod aliquid dicatur de pluribus copulatiuè, non disiunctiuè.

Duo tantum vniuersalia strictè, & propriè loquendo admittenda sunt, absolutè tamen quinque vulgaria recipienda.

EX CAP. III.

Art. 1. QVINQVE vniuersalia in aliquibus conueniunt, in aliquibus differunt.

Art. 2. Tria sunt generi, & differentiæ communia.

Sex sunt in quibus genus à differentia distinguitur.

Art. 3. Genus & species infima in tribus conueniunt, In septem differunt.

Art. 4. Tria sunt generi & proprio communia. in quinque discrepant.

Art. 5. In vno conueniunt genus & accidens. In quatuor non item.

Art. 6. In duobus differentia & species communicant, In quatuor distinguuntur.

Art. 7. Duo sunt differentiæ & proprio communia, In duobus differunt.

Art. 8. Differentia & accidens in duobus qua-

drant, in tribus colluctantur.

Species, & proprium duo habent communia, quatuor contraria. *Art. 9.*

Species & accidens in vno conueniunt, in tribus differunt. *Art. 10*

Proprium & accidens, in tribus inuicem aduersantur. *Art. 11.*

EX CAP. IV.

EORVM quæ dicuntur, alia sunt coniuncta, alia sine coniunctione. Ista autem diuisio non tantum voces, sed & earum significatum attendit. *Art. 1.*

Eorum quæ sunt, alia de subiecto aliquo dicuntur, sed in nullo subiecto sunt, alia in subiecto aliquo sunt, de subiecto autem nullo dicuntur; quædam & de subiecto dicuntur, & in subiecto sunt. Nonnulla nec in subiecto sunt, nec de subiecto aliquo dicuntur. Hæc diuisio eò tendit vt detur generalis diuisio entis in substantiam & accidens, & in vniuersale & particulare.

In subiecto esse dicitur id, quod cum in aliquo non quasi pars sit, non potest esse sine eo in quo est. Hæc descriptio accidentibus competit.

Cum alterum alteri attribuitur tanquam subiecto, quicquid dicitur de attributo, dicitur & de subiecto. Ex hac regula intelligi potest sub quo genere prædicamentali res quæque constitui debeat. *Art. 2.*

Heterogeneorum, seu diuersorum generum, quorum alterum sub altero non collocatur, diuersæ specie sunt etiam differentiæ.

Subalternorum autem generum, seu quorum vnum sub altero ponitur, nihil

prohibet easdem esse differentias.

Art. 3. Prædicamentum est alicuius generis summi realis, & eorum quæ sub ipso sunt, naturalis quædam dispositio. Dicitur naturalis, non quod à parte rei existat, sed quia fit ab intellectu, cum fundamento in re.

In prædicamento constituendæ sunt duæ lineæ, vna recta, & alia indirecta, siue lateralis.

Recta linea prædicamentalis, duobus modis potest construi, nempe per ascensum, & per descensum.

Ab indiuiduis specierum substantialium lineæ rectæ totidem duci possunt ad substantiam, quot sunt eiusmodi indiuidua.

Non solùm autem in prædicamento substantiæ, sed & in aliis reperiuntur lineæ ex prædicatis superioribus, & inferioribus constitutæ.

Art. 4. Decem sunt prædicamenta. Tot enim sunt modi essendi: Et hic numerus retinendus quamuis plura vel pauciora possint assignari.

Nonnulla prædicamenta ab aliis distinguuntur realiter.

Non tamen absolute necessaria est realis illa distinctio, sed formalis, quæ omnino ad diuersorum prædicamentorum constitutionem est necessaria.

Art. 5. Quod ponitur directè, & per se in prædicamento, debet esse ens per se, seu vnius naturæ. Dubitatur tamen an hoc hactenus fuerit obseruatum.

Quod ponitur in prædicamento, debet esse ens completum, quamuis constet omnia generatim entia incompleta non

excludi à recta linea prædicamentali.

Genus quamuis sit pars speciei , habet tamen locum per se in in prædicamento , tanquam totum potentiale.

Quidcquid ponitur in prædicamento tanquam prædicatum , debet esse vniuersale , quicquid vero ponitur vt subiectum prædicatorum essentialium , non item , vt indiuidua.

EX CAP. V.

SVBSTANTIA diuiditur in primam & secundam. Substantia prima , ea est quæ neque de subiecto dicitur , neque in subiecto aliquo est. Art. 1.

Substantiæ secundæ dicuntur species , in quibus insunt quæ primùm substantiæ dicuntur , & harum specierum genera.

Primæ substantiæ insunt in secundis , vt partes subiectiuæ sunt in toto substantiali.

Nulla res potest existere sine primis substantiis.

Primæ substantiæ sunt priores secundis perfectione & tempore : secundæ priores primis naturâ.

Species est magis substantia quam genus.

Omnes species infimæ inter se collatæ , sunt æquè substantiæ. Nomen autem substantiæ non extenditur ad accidentia, sed tantum ad genera & species.

Diuisum diuisionis substantiæ in primam, Art. 2. & secundam non est genus generalissimum substantiæ , nec substantia vniuersalis , nec particularis. Potest tamen dici substantia prædicamentalis , quæ hîc diuiditur secundum suam rationem realem, &

essentialem non autem secundum aliquam proprietatem, vel secundum rationem intentionalem.

Diuisio substantiæ in primam, & secundam seu in particularem & vniuersalem, potest dici diuisio subiecti in accidentia.

Art. 3. Sex sunt proprietates substantiæ. 1. non esse in subiecto, quæ non modo substantiæ, sed etiam differentiæ conuenit. 2. synonymè dici de suis inferioribus, quod secundis, non primis substantiis conuenit. 3. significare rem aliquam singularem, quod primæ, non secundæ competit substantiæ. 4. substantiæ nihil esse contrarium, nec primæ scil, nec secundæ. 6. non recipere magis aut minùs. Cui non obstat, quod primæ substantiæ magis substent, seu pluribus subiiciantur, quàm secundæ. 6. quòd eadem numero substantia potest sui mutatione contraria suscipere, quæ est propriissima substantiæ proprietas, nec vlli alteri rei competit.

Art. 4. Certum est in prædicamento substantiæ directè constitui, substantias corruptibiles completas.

Cœli reponuntur in cathegoria substantiæ, quamuis incorruptibiles: Incorruptibile enim differt à corruptibili, genere quidem Physico, non Logico, vel Metaphysico. Nec refert quòd substantia prædicamentalis suscipiat contraria: Cœli enim sunt capaces contrariorum, cùm moueantur ab Oriente in Occidentem, & ab Occidente in Orientem.

Etiam Angeli debent constitui in prædicamento substantiæ, sunt enim sub-

ſtantiæ finitæ & completæ, & conſtant genere & differentia.

Deus ex probabiliori ſententia in cathegoria ſubſtantiæ non eſt conſtituendus. Quia rationes abſtractæ à Deo & à creatura, non poſſunt in vnum genus ſubſtantiæ vniuocum, inferioribus ex æquo competens, coaleſcere.

Chriſtus non vt Deus, ſed vt homo ponitur in cathegoria ſubſtantiæ.

Deus non conſtituitur reductiuè in aliquo prædicamento.

EX CAP. VI.

QVANTVM diuiditur in diſcretum & continuum. Art. I.

Diſcretum eſt cuius partes nullo communi termino copulantur.

Continuum eſt cuius partes aliquo termino communi inter ſe vniuntur.

Quantum iterum diuiditur in ea quæ ſitum, & poſitionem partium inter ſe habent, & ea quæ non habent.

Tertio diuiditur quantum in quantum per ſe, & quantum per accidens.

Prima quantitatis proprietas, eſt quanto nihil eſſe contrarium.

Secunda non recipere magis & minus.

Tertia & maximè propria, dici æquale & inæquale.

Linea definitur longitudo ſine latitudine, Superficies, longitudo, & latitudo ſine profunditate: corpus autem, craſſities cum longitudine, & latitudine. Art. 2.

In quantitate continua permanente non aliæ poſſunt concipi ſpecies, quam linea, ſuperficies & corpus.

Linea, ſuperficies, & corpus, ſi dantur,

possunt dici veræ species quantitatis.

Linea, superficies, & corpus possunt dici tres species quantitatis, essentialiter inter se distinctæ.

Nec obstat quod superficies includat formaliter longitudinem cum latitudine, & corpus includat formaliter vtramque cum profunditate, quia superficies cum non tantum sit longa, sed etiam lata, non includit formaliter longitudinem, vt est propria linea, & corpus cum sit non tantum longum & latum, sed etiam profundum, non includit formaliter latitudinem superficiei, quæ dicit tantum latitudinem vt excludentem profunditatem & crassitiem.

Art. 3. Spatium quod à corpore repletur, non est vera quantitas.

Locus vt est superficies corporis ambientis, non est per se quantitas ab ipsa superficie distincta.

Nec obstat quod locus sit magnus, & extensus, & consequenter quantus, hoc enim illi competit ratione superficiei, cum qua identificatur. Quamuis autem superficies, vt sic sit mensura interna corporis continentis, & vt locus, mensura externa corporis locati, non sequitur esse species quantitatis, mensuratur enim extrinsecè corpus locatum eadem extensione, quâ extrinsecè corpus continens.

Art. 4. Motus, quoad suam entitatem spectatus, non est propria species quantitatis.

Probabile tamen videtur, reperiri aliquid in motu, quod inter species quantitatis non incongruè potest numerari.

Tempus non videtur ſpecies quantitatis ſucceſſiuæ ab extenſione motus diſtincta.

Nec obſtat quod interdum ſit parua temporis, & magna motus extenſio, & ex aduerſo; hinc enim bene colligitur, non eſſe eandem extenſionem motus, & temporis externi: non verò motum, & durationem illius extrinſecam, diuerſas habere extenſiones.

Numerus dupliciter conſideratur. 1. vt determinata vnitatum multitudo. 2. vt adunatio eiuſmodi vnitatum, per quam confluunt in vnam numeri ſpeciem. Art. 5.

Numerus ſecundo modo ſpectatus, non eſt propria ſpecies quantitatis.

Numerus non eſt per ſe vnum. Secundum rationem ſuam formalem pendet ab intellectu, & conſtat ex ente reali, & ex ente rationis.

Ratio extenſionis, & menſuræ non competit numero niſi per aliquam ſimilitudinem.

Oratio non eſt vera ſpecies quantitatis.

EX CAP. VII.

RELATA dicuntur quæcumque id quod ſunt, aliorum eſſe dicuntur, vel quocunque alio modo ad aliud referuntur. Aliter, relata ſunt quorum eſſentia tota in eo poſita eſt, vt ad aliud ſe aliquo modo habeant. Aliter, relata ſunt ea quorum totum ſuum eſſe eſt ad aliud. Art. 1.

Quatuor ſunt proprietates relatorum. 1. habere contrarium. 2. admittere magis & minus. 3. Referri ad ea quæ recipro-

cantur. 4. Relata esse simul.

Art. 2. Relata prædicamentalia, sunt quorum esse est ad aliud, vt ad purum terminum, transcendentalia verò, quorum esse est ad aliud, non vt ad purum terminum.

Cùm dicitur totum esse relationis, esse ad aliud, non excluditur ratio accidentis subiecto inhærentis, sed solùm esse absolutum.

Art. 3. Prima proprietas relatorum non conuenit propriè relatiuis.

Relatio secundùm se non suscipit magis & minùs, sed tantum ratione fundamenti, quando est qualitas.

Relata ea dicuntur simul naturâ, quorum vno posito, necessariò ponitur alterum, & vno ablato aufertur alterum, nec tamen vnum est causa alterius.

Non omnibus relatis conuenit esse simul natura.

Art. 4. Potest vnum relatum cognosci, aut in communi, & consultè, aut in particulari, & determinate.

Relatio diuiditur 1. in realem & rationis. 2. in relationem secundum esse, & relationem secundum dici. 3. In prædicamentalem, & transcendentalem. 4. In mutuam & non mutuam. Mutua subdiuiditur in relationem æquiparantiæ, & disquiparantiæ.

EX CAP. VIII.

Art. 1. QVALITAS est accidens à quo denominamur quales.

Quatuor sunt species qualitatis. 1. Habitus & dispositio. 2. Naturalis facultas, & imbecillitas. 3. patibilis qualitas, & passio. 4. figura, & circa rem consistens forma.

Qualia definiuntur ab Aristotele, quæ à qualitatibus denominantur, vel quouis alio modo ab eis dicuntur.

Tres sunt proprietates qualitatis. 1. est habere contrarium. 2. est recipere intensionem, aut remissionem. 3. eaque solis qualitatibus propria, vt aliqua dicantur similia, aut dissimilia, ratione qualitatum, quas participant, vnum & idem potest sub diuersa ratione ad aliud, & aliud prædicamentum spectare.

Diuisio qualitatis in quatuor species assignatas, est vniuoca & omnino adæquata. Art. 2.

Actionis nomen variis modis sumitur. 1. pro sola actione libera nostræ voluntatis. 2. prout distinguitur à factione, seu effectione. 3. pro quacumque actione siue immanente, siue transeunte. Art. 3.

Actio est vltimus actus agentis, vt agens est, quo mediante aliquid efficit.

Actio diuiditur 1. in eductionem, & creationem. 2. in actionem immanentem, & transeuntem. 3. in substantialem & accidentalem. 4. in supernaturalem, naturalem, & artificialem. 5. in instantaneam, & successiuam.

Passio 1. significat proprietatem ex rei essentia fluentem. 2. qualitatem sensibilem cito transeuntem. 3. perturbationem appetitus sensitiui. 4 receptionem formæ ab agente productæ, & definitur actus patientis vt patiens est. Art. 4.

Actio, & passio non distinguuntur realiter, sed tantum formaliter.

Duæ sunt actionis, & passionis proprietates. 1. est, recipere contrarietatem. 2.

recipere magis & minus.

Art. 5. Quando est id quod ex adiacentia temporis relinquitur, & sumitur per ordinem ad tempus externum, quod à motu primi mobilis sumitur, ac proinde non consistit in duratione rei interna, sed externa.

Res tantum temporales constituuntur in hoc prædicamento, quoad denominationem existendi in tempore.

Duæ sunt huius prædicamenti proprietates. 1. est non habere contrarium. 2 non suscipere magis & minus.

Vbi potest definiri circumscriptio corporis à circumscriptione loci prouenìens.

Duæ sunt proprietates vbi, 1. non habere contrarium. 2. non suscipere magis & minus.

Art. 6. Situs est dispositio partium in loco.

Tres sunt proprietatis sitûs. 1. non habere contrarium. 2. non habere magis & minus. 3. non conuenire, nisi rei materiali, & corporeæ.

Habitus est corporum, & eorum quæ circa corpus sunt, adiacentia.

Ad hoc prædicamentum spectant non vestes, & arma animalium, sed vestes artefactæ, quæ etiam tribuuntur animalibus, aut rebus inanimatis. Tapetia etiam & aulæa, necnon & omnes denominationes ab aliqua substantia per modum ornamenti alteri apposita, prouenientes.

Tres sunt proprietates habitus. 1. non habere contrarium. 2. Suscipere magis & minus. 3. vt vestis vnius partis totum denominet.

EX CAP. IX.

QVATVOR modis aliqua inter se opponi possunt. Relatiuè, contrariè, priuatiuè & contradictoriè. Art. 1.

Quinque sunt contrariorum proprietates. 1. quicquid bono contrariatur, est malum. 2. Si vnum contrariorum est in natura, non est necesse alterum esse. 3. Contraria non possunt esse simul in eodem subiecto singulari. 4. Contraria sunt in eodem genere, aut specie, subiecto. 5. Contraria sunt vel in eodem genere, vel in diuersis generibus, vel ipsa sunt genera.

Vnum dicitur prius quinque modis. 1. ac maximè propriè ratione temporis, ex quo vnum alio antiquius dicitur. 2. id priùs dicitur quod infertur, sed non infert. 3. aliquid dicitur prius ordine, quod scil. priori loco est collocandum. 4. Id videtur prius! quod est melius, & præstantius. quintus modus prioris habet locum in re, quæ cum alia conuertitur in subsistendi consequentia, estque causa vt sit. Art. 2.

Tribus modis aliqua dicuntur esse simul. Primò simpliciter & maximè propriè, quorum ortus est in eodem tempore. 2. Aliqua dicuntur simul naturâ, quæ scil. reciprocantur quidem secundum existendi consecutionem, sed nullo modo alterum est causa cur alterum sit. 3. Ea simul natura dicuntur, quæ ex eodem genere sibi inuicem in diuisione opponuntur, Art. 3.

Simultas, vt hic sumitur dicit negationem prioris & posterioris.

Non solum tribus supradictis modis, quædam possunt esse simul, sed etiam plerisque aliis.

Non ſolum qui eodem naſcuntur tempore dicuntur eſſe ſimul, ſed & hi qui eodem tempore moriuntur, ita vt hi ſimul ſint tempore quoad inceptionem, iſti quoad deſitionem, & qui ſimul naſcuntur, & intereunt, quoad vtrumque.

Vt aliqua dicantur ſimul natura, duo requiruntur. Alterum, vt reciprocentur, tam quoad poſitionem, quam quoad ablationem. Alterum, vt neutrum ſit propriè cauſa alterius.

Vt aliqua dicantur ſimul natura in diuiſione generis, ea debent ex æquo genus diuidere.

Art. 4. Sex ſunt ſpecies motus. Ortus, interitus, auctio, diminutio, variatio, & ſecundum locum mutatio.

Alteratio diſtinguitur ab aliis motibus.

Motui ſimpliciter quies eſt oppoſita.

In motu duo ſunt termini. Alter à quo, alter ad quem.

Aliter motus opponitur motui, aliter quieti.

Art. 5. Habere ſumitur 1. ſecũdum habitum, aut diſpoſitionem. 2. ſecundum quantitatem, 3. ſecundum ea quæ ſunt circa corpus. 4. vt in parte. 5. vt partem. 6. vt in vaſe 7. vt poſſeſſionem. 8. dicitur vir mulierem habere, & mulier virum, ſed impropriè

EX CAP. X.

Art. 1. DEFINITIO eſt oratio explicans naturam rei.

Quicquid propriè definitur, debet aliquo modo conſtare ex partibus.

Definitio accurata debet conſtare ex genere & differentia. Ex ſolo autem genere proximo, & ex vltima differentia.

Definitio diuiditur in definitionem nominis, & definitionem rei. Art. 2.

Definitio rei, vel est essentialis, vel non essentialis.

Definitio essentialis, vel est descriptiua. vel causalis.

Definitio causalis potest esse triplex, 1. à causa efficiente sola. 2. à causa finali sola, 3. à causa efficiente simul & finali.

Definitio essentialis potest subdiuidi in puram & mixtam.

Definitio debet esse clarior definito, & cum illo conuerti. Art. 3.

In definitione nihil superfluum debet esse, nec necessarium deesse.

Definitio debet esse breuis, & paucis verbis contineri.

Entia fictitia & imaginaria non possunt verè, & propriè definiri. Art. 4.

Entia per accidens non possunt vna aliqua definitione accurata explicari.

Substantiæ completæ, & specificæ propriè possunt definiri.

Etsi accidentia in concreto propriè non possint definiri, nihil tamen impedit, quin per se sumpta, & in abstracto, possint habere propriam definitionem.

Singularia siue substantiarum, siue accidentium, propriè non definiuntur, sed tantum vniuersalia.

Duplex est modus inquirendi definitionem accuratam. Primus per diuisionem, seu descendendo à supremo genere prædicamenti, in quo reperitur res definienda, vsque ad genus sub quo proximè collocatur, & ad differentiam per quam constituitur. Secundus est per compositio- Art. 5.

nem, quæ fit aſcendendo ab indiuiduis ad ſpecies infimas, & à ſpeciebus ad genera.

Duplici via poteſt cognoſci ad quam Cathegoriam ſpectet id cuius inueſtigatur tur definitio. 1. diſcurrendo per proprietates omnium prædicamentorum. 2. conſiderando quid de re definienda primò eſſentialiter prædicetur, tum verò quid de tali attributo eſſentialiter prædicetur.

EX CAP. I. LIBRI II.

Art. 1. SIGNVM eſt id quod præter ſpeciem quam ingerit ſenſibus, aliquid aliud facit in cognitionem venire.

Signum propriè acceptum, eſt id quod eſt inſtitutum ad aliquid ſignificandum.

Verba & res quæ ad placitum ſignificant, conſtituuntur formaliter in ratione ſigni per denominationem extrinſecam à voluntate illius qui talia ſignâ inſtituit.

Signum non exercet cauſalitatem realem, & Phyſicam in potentiam intellectiuã.

Art. 2. Voces ex Ariſtotele ſunt notæ, ſeu ſigna paſſionum quæ ſunt in anima.

Voces aliæ ſunt ſimplices, aliæ compoſitæ.

Vox propriè eſt ſonus ore animalis prolatus.

Voces ab hominibus inſtitutæ naturaliter non ſignificant: quamuis voces Hebraicæ quibus Adam vſus eſt, dici poſſint re habere vim naturalem ſignificandi, & multa nomina ſint rebus impoſita propter quanuam proportionem quam cum illis habent, & peculiarem vim eas ſignificandi.

Per voces ſignificantur immediatè & directè, res ipſæ, non conceptus, qui à loquente

quente habentur de rebus. Mediatè enim tantum, & indirectè dicuntur ab Aristot. notæ passionum, idest conceptuum, quæ sunt in anima.

Scriptura res ipsas, non voces immediatè significat.

Nomen ab Aristotele definitur, vox significans ex instituto sine tempore, cuius nulla pars separatim significat. Art. 3.

Nomen infinitum non est propriè & absolutè nomen, sicut nec casus nominis. Hinc fit quod vt integra sit nominis definitio, hoc modo est concipienda. Nomen est vox significans ex instituto, sine tempore, cuius nulla pars separatim significat, finita & recta.

Verbum est vox significans ad placitum, cum tempore præsenti, cuius nulla pars significat separatim, & est semper nota eorum quæ de altero dicuntur, finita & recta. Art. 4.

Verbum quatenus est copula subiecti cum prædicato, est pars essentialis, & formalis propositionis.

Verbum infinitum manet infinitum in propositione.

Oratio est vox significans ex instituto, cuius aliqua pars significat separatim, vt dictio, non vt affirmatio, aut negatio. Art. 5.

Oratio generatim diuiditur in eam quæ significat verum & falsum, & eam quæ veri & falsi est expers. Posterior subdiuiditur in deprecatiuam, & imperatiuam, & alias.

Oratio ex D. Thoma diuiditur in perfectam& imperfectam: & ab eodem perfecta subdiuiditur, in enunciatiuam, depre-

catiuam, imperatiuam, interrogatiuam, & vocatiuam.

EX CAP. II.

Art. I. ENVNCIATIO definitur ab Aristotele, Oratio verum aut falsum significans. Ad enunciationis constitutionem tria requiruntur, subiectum, prædicatum, & copula.

Enunciatio tunc est vera quando est conformis suo obiecto, falsa quando illi non est conformis.

Veritas, & falsitas non sunt de essentia enunciationis, & ideo congruentius potest definiri, Oratio, quâ vnum enunciatur de alio, vel oratio quâ vnum affirmatur, aut negatur de alio, sed prior definitio posteriori præferenda.

Art. 2. Enuntiatio diuiditur in simplicem & cōpositam. Simplex vel est de inesse, vel modalis. Enunciatio simplex de inesse, est vel de secundo, vel tertio adiacente. Rursus enunciatio de inesse triplex est, vel contingens, vel repugnans, vel impossibilis.

Enunciatio ratione qualitatis, est affirmatiua, aut negatiua, vera aut falsa. Ratione eiusdem qualitatis, diuiditur in vniuersalem particularem, singularem & indefinitam.

Art. 3. Enunciatio composita, diuiditur ab Aristotele, in compositam seu hypotheticam, causalem, rationalem copulatiuam, & disiunctiuam.

In propositionibus compositis reperitur materia, forma, quantitas & qualitas.

Art. 4. Ad enunciationem compositam reduci potest exponibilis, cuius tres præsertim

ſunt ſpecies, nimirum excluſiua, exceptiua, & reduplicatiua.

Particula excluſiua non excludit concomitantia, ſiue ſe teneat ex parte ſubiecti, ſiue ex parte prædicati.

Ad propoſitionē exceptiuam requiritur, 1. vt ſimplex ex qua componitur, conſtet ſigno diſtributiuo; 2. vt quod excipitur ſit inferius reſpectu illius à quo fit exceptio. Non omnes propoſitiones, quæ conſtant aliqua particula reduplicatiua, ſumuntur in ſenſu reduplicatiuo, ſed interdum in ſenſu reduplicatiuo, aliàs in ſenſu ſpecificatiuo.

Enunciatio reduplicatiua tunc ſumitur in ſenſu reduplicatiuo, quando reduplicatur cauſa cur attributum conueniat ſubiecto, in ſenſu vero ſpecificatiuo, quando reduplicatur ratio formalis, ſed non cauſa cur attributum conueniat ſubiecto.

EX CAP. III.

DIVISIO enunciationis in affirmantem, & negantem, eſt propriè diuiſio generis in ſuas ſpecies, de quibus vniuocè prædicatur. *Art. 1.*

Nec obſtat quòd enunciatio dicitur prius de affirmatiua, quam de negatiua: ea enim inæqualitas non infert analogiam, nec impedit vniuocationem.

Diuiſio Enunciationis in ſimplicem & cōpoſitam, non eſt diuiſio generis in ſpecies, ſed analogi in analogata. *Art. 2.*

Nec obſtat quòd Enunciatio definiatur Oratio vera, aut falſa, verum enim aut falſum ſignificare, non eſt ratio eſſentialis enunciationis, ſed quoddam accidens illius.

Art. 3. Propositio conditionalis sumi potest in sensu illatiuo.

Propositio conditionalis triplicem sensum illatiuum potest habere; Primus est in quo consecutio est naturalis, & omnino necessaria. 2. In quo consecutio est moraliter infaillibilis. 3. In quo consecutio est probabilis.

Propositio conditionalis interdum sumi potest in sensu non illatiuo.

Art. 4. Propositio modalis est quadruplex iuxta quatuor modos, quibus declarari potest attributum inesse, vel non inesse subiecto. Scilicet, de contingenti, de necessario, de possibili, de impossibili.

Enunciatio modalis dupliciter efferri potest. 1. Ita vt modus sit aduerbium. 2. Ita vt modus sit nomen.

Enunciatio modalis, sicut & quæcumque alia, sumitur vel in sensu composito, vel in sensu diuiso.

Aliter se habet propositio modalis, quoad qualitatem, siue essentialem, siue accidentalem, quam propositio de inesse.

Propositio modalis duplicem potest habere quantitatem. Aliam ex parte dicti quod potest esse vel vniuersale, vel particulare, vel singulare, vel indefinitum. Aliam ex parte modi, quæ duplex constitui solet. Vniuersalis & particularis.

EX CAP. IV.

Art. 1. IN quæstione de singularibus futuris & contingentibus, ex Aristotele neutra pars contradictionis est determinatiuè vera, aut determinatè falsa.

Dici non potest neutram ex dictis propositionibus esse veram.

Neceſſe eſſe id quod eſt,quando eſt, eſſe, & id quod non eſt, quando non eſt, non eſſe, non tamen neceſſe eſt aut omne quod eſt, eſſe, aut omne quod non eſt, non eſſe.

Neceſſarium eſt abſolutè, vt res contingens ſit vel non ſit.

Ex duabus propoſitionibus contradictoriis de futuro contingenti ſingulari, altera eſt determinatè falſa. *Art. 2.*

Propoſitio formaliter vt eſt determinatiuè vera, non poteſt ſic, & in ſenſu compoſito non eſſe vera, poteſt verò ſecundum ſe, & in ſenſu diuiſo, quo poſteriori modo tantum, propoſitio de futuro cōtingenti, etſi determinatè vera, poteſt non eſſe vera. *Art. 3.*

Futurum contingens etſi non ſit determinatum in ſua cauſa, in ſe tamen cenſetur eſſe determinatum.

Effectus neceſſario futuri ſunt determinati, & in ſuis cauſis & in ſeipſis, at effectus contingenter futuri non ſunt determinati in ſuis cauſis, ſed tantum in ſeipſis.

Veritas propoſitionum de futuro contingenti non tollit libertatem, nihil enim in eo verum eſt, niſi dependenter ab effectu futuro, qui cum contingenter & liberè ſit ponendus, poteſt abſolutè non poni.

Futurum contingens, aliud eſt abſolutum, aliud conditionatum. *Art. 4.*

Propoſitiones de futuris contingentibus conditionatis, ſunt determinatè veræ, aut determinatè falſæ.

Quamuis ad veritatem propoſitionis cōditionalis, antecedens non poſſit eſſe verum ſine conſequente, id non obſtat quin *Art. 5.*

propositiones de futuris contingentibus, conditionatis sint aut determinatè veræ, aut determinatè falsæ, hoc enim procedit de propositionibus conditionalibus, quæ sumũtur in sensu illatiuo necessario, quales non sunt supradictæ de futuris contingentibus conditionatis.

Nec obstat similiter quod obiectum propositionis de futuro conditionato non sit determinatè verum, quia etsi non sit determinatum in sua causa, est tamen determinatum in seipso, quatenus si talis adesset conditio, re vera existeret.

EX CAP. V.

Art. 1. PRÆTER affectiones enunciationum, quæ illis competunt per ordinem ad se, aliæ assignari possunt quæ iis conueniunt, quatenus vna cum alia confertur, quæ sunt oppositio, æquipollentia, & conuersio.

Oppositio est duarum absolutarum enunciationum, eodem subiecto & prædicato constantium, repugnantia, secundùm affirmationem & negationem, vel secundum quantitatem.

Oppositio est quadruplex, nempe contradictoria, contraria, subcontraria, & subalterna.

Art. 2. Enunciationum contradictoriarum lex est, vt in quacunque materia earum altera sit vera, altera sit falsa, neque fieri possit, vt ambæ sint veræ aut falsæ.

Enunciationum contrariarum lex est 1. vt in materia naturali altera necessariò sit vera, altera falsa. 2. vt in materia contingenti non possit vtraque simul esse vera, ambæ tamen possint esse falsæ.

Enunciationum ſubcontrariarum lex eſt 1. vt in materia naturali & remota, altera ſit neceſſariò vera, altera falſa. 2. vt in materia contingenti vtraque poſſit eſſe vera.

Enunciationum ſubcontrariarum lex eſt 1. vt tam in materia naturali, quàm remota, ſimul ſint veræ vel falſæ. 2. vt in materia contingenti, ſi vniuerſalis ſit vera, particularis ſit vera, poſſit tamen vniuerſalis eſſe falſa, particulari exiſtente vera, ſed nequeat particularis eſſe falſa, quin etiam vniuerſalis ſit falſa.

Æquipollentia eſt duarum enunciationum ex eodem ſubiecto, & prædicato conſtantium æquiualentia, ex diuerſis ſignis proueniens. *Art. 3.*

Tres ſunt regulæ æquipollentiæ. 1. ſi particula, *non*, præponatur ſubiecto alicuius enunciationis, ea fiet æquipollens ſuæ contradictoriæ. 2. Si particula, *non*, poſtponatur ſubiecto enunciationis vniuerſalis, ea fiet æquipollens ſuæ contrariæ. 3. Quando negatio præponitur, & poſtponitur ſubiecto enunciationis ſubalternæ, ea fit æquipollens ſuæ ſubalternanti.

Conuerſio eſt mutatio extremorum enunciationis, ſeruata qualitate, & veritate. *Art. 4.*

Ad conuerſionem tria requiruntur. 1. vt ſubiectum vnius propoſitionis fiat prædicatum alterius, & prædicatum fiat illius ſubiectum.

Secundo vt ſeruetur in vtraque propoſitione eadem qualitas eſſentialis, quæ eſt affirmatio & negatio.

Tertio vt ſeruetur eadem qualitas ac-

cidentalis, seu veritas.

Triplex vulgò assignatur conuersio. 1. dicitur simplex. 2. per accidens, 3. per contra positionem.

EX CAP. VI.

Art. 1. QVANTITAS propositionum modalium explicatur, per modos æquiualentes signis, per quæ propositionum simplicium qualitas explicata est. Hi autem modi sunt *necesse*, æquiualens signo vniuersali affirmatiuo, *omnis*; *impossibile* signo vniuersali negatiuo, nullus; *possibile*, signo particulari affirmatiuo *quidam*; & *possibile non*, signo particulari negatiuo. *quidam non*, æquiualens.

Eadem reperitur oppositio inter modos, ac inter signa prædicta. Et ex modorum oppositione facilè intelligitur, quomodo propositiones modales inter se opponantur.

Præter dictas oppositiones, quæ fiunt circa modos diuersarum appellationum, aliæ sunt quæ versantur circa modos eiusdem nominis.

Propositiones contradictoriæ sunt, quæ de eodem affirmari nequeunt. Contrariæ quæ habent eundem modum vniuersalem & dicta opposita. Subcontrariæ habent eundem modum particularem, & dicta contradictoria. Subalternæ quoad modum & dictum opponuntur.

Art. 2. Quatuor sunt regulæ æquipollentiæ propositionum modalium. 1. Possibile idem valet ac contingens, si eodem modo varientur. 2. Possibile seu contingens, idem valet ac impossibile, si quoad modum contradictoriè sumantur, reliquis immutatis,

ita vt vni addatur negatio modalis; quando aliud ea caret. 3. Possibile, seu contingens idem valet ac necessarium, quando se habent modo plane opposito quoad affirmationem & negationem, tam ex parte modi, quàm ex parte dicti. 4. Impossibile, & necessarium idem valent, quando vno negante quoad dictum, aliud affirmat, si alia sint similia.

Conuersio propositionum modalium in eo consistit, vt extrema dicti inter se commutentur, non autem modus in dictum. *Art. 3.*

Propositiones de necessario, eodem modo conuertuntur ac propositiones simplices.

Contingens sumitur tripliciter, & iuxta varias illius acceptiones, variæ sunt regulæ propositionum de contingenti.

Propositio vniuersalis negatiua de contingenti non conuertitur simpliciter, sed particularis negatiua eo modo conuertitur, quia etsi videatur negatiua, verè tamen est affirmatiua, cum eius modus sit affirmatiuus.

EX CAP. VII.

DIVISIO est oratio, quà totum in suas partes distribuitur. *Art. 1.*

Definitio, & diuisio sunt distincti modi sciendi.

Sex sunt diuisionis species. 1. Nominis in sua significata. 2. Generis in suas species. 3. Totius in suas partes. 4. Substantiæ in accidentia. 5. Accidentis in subiecta. 6. Accidentis in Accidentia. *Art. 2.*

Diuisio totius in partes duplex est. Scilicet, diuisio totius in partes integrantes, & hæc vocatur partitio, & in partes essentia-

les. Prior ſubdiuiditur in partes homogeneas, & heterogeneas. Poſterior in Phyſicam, & Metaphyſicam.

Art. 3. Quinque ſunt leges rectæ diuiſionis, ad quas aliæ ſi quæ ſunt, reducuntur. 1. eſt, vt membra diuidentia ſint inter ſe oppoſita, ita vt vel realiter, vel ſaltem ratione diſtinguantur. 2. vt diuiſum magis latè pateat quàm ſingula membra diuidentia. 3. vt membra diuidentia ſimul ſumpta, totum diuiſum adæquent, ſeu reciprocentur cum illo. 4. vt diuiſio fiat in membra pauciſſima, quantum fert natura totius diuiſi. 5. vt diuiſio fiat in membra proxima & immediata.

In diuiſione totius potentialis rectè arguitur affirmatiuè à membro aliquo diuiſo, ad diuiſum, non autem negatiuè. Et valet conſequentia à negatione diuiſi, ad negationem omnium partium ſubiectiuarum illius.

A toto potentiali benè arguitur affirmatiuè ad membrum aliquod diſiunctiuè.

Ab affirmatione diuiſi, & negatione aliorum membrorum diuidentium, vno excepto, rectè proceditur ad affirmationem illius quod ſupereſt.

Diuiſio cùm ponatur inter ſciendi inſtrumenta, dubium non eſt quin valde vtilis ſit ad rerum cognitionem aſſequendam.

EX CAP. I. LIB. III.

Art. 1. ARGVMENTATIO definitur oratio, quâ vnum ex alio infertur.

Ad argumentationem tria requiruntur. Propoſitio ex qua aliquid infertur, alia quæ infertur, & illatio.

Propositio quæ infertur potest inferri vel ex vnica propositione, vel ex duabus.

Duplex est argumentatio. Alia bona. Alia vitiosa. Art. 2.

Ad bonam consequentiam non requiritur veritas antecedentis & consequentis, sed tantum bonitas illationis.

Bona argumentatio, seu consequentia, alia est materialis, alia est formalis.

Quatuor species argumentationis vulgò à Logicis assignantur: Inductio, Exemplum, Enthymema, & Syllogismus A nonnullis adduntur Dilemma & Sorites.

Præter Syllogismum, & Inductionem, aliæ species argumentationis magis spectare videntur ad Oratores quàm ad Logicos.

Syllogismus ex Aristotele est oratio in qua quibusdam positis, aliud quippiam diuersum ab his quæ posita sunt necessario sequitur, eo quod hæc sunt. Art. 3.

Duplex est Syllogismus, alius perfectus, alius imperfectus.

Duplex materia Syllogismi: alia proxima, alia remota.

Vt in Syllogismo sunt tres propositiones, maior, minor, & conclusio, ita in illis propositionibus tres termini reperiri debent. Maius extremum, minus extremum, & medium, quod licèt debeat semel poni in vtraque præmissa, non tamen habet locum in conclusione.

Duplex est forma Syllogismi, altera respondet materiæ illius remotæ, vocaturque figura, altera respondet materiæ illius proximæ, & vocatur modus.

THESES
EX CAP. II.

Art. 1. TRES tantum vulgò aſſignantur figuræ ſyllogiſmorum.

Quælibet figura ſexdecim modis variari poteſt, ex quibus reſultant quatuor modi penes quantitatem, ſeu vniuerſalitatem, & particularitatem.

Quilibet horum modorum quadrupliciter variari poteſt ratione qualitatis eſſentialis, ſeu affirmationis & negationis.

Iu tibus figuris ſimul ſumptis ſunt 48. modi diſtincti ſyllogiſmorum, quorum plerique inutiles ſunt, & ad concludendum inepti.

Sunt tantum 14. modi directi. 4. in 1. figura, in 2. totidem. In 3. ſex. Additi à poſterioribus Philoſophis 4 primæ figuræ, quinque vtiles quidem, ſed indirectè tantum concludentes.

Art. 2. Variæ ſunt regulæ generales ad argumentationes, & ſyllogiſmos ſpectantes.

1. Ex antecedenti verò non niſi verum ſequitur, ex antecedenti falſo interdum, falſum, interdum verum.

2. Contingens ſequitur ex contingenti, & ex impoſſibili. Impoſſibile tantum ex impoſſibili. Neceſſarium tum ex contingenti, tum ex impoſſibili, tum ex neceſſario.

3. Syllogiſmus non debet conſtare, niſi tribus terminis ſiue expreſsè, ſiue æquiualenter.

4. Termini non debent immutari, ſed eodem modo ſine variatione repetendi, quo ante prolati ſunt.

5. Debet ſeruari eadem ſuppoſitio terminorum.

6. Medium in altera præmiſſarum debet diſtribui.

7. Extremum in præmiſſa non diſtributum, non debet diſtribui in concluſione. Diſtributio autem fit duobus modis 1. per appoſitionem ſigni vniuerſalis, 2. per appoſitionem negationis quando prædicatum diſtribuitur.

8. Concluſio ſemper ſequitur debiliorem partem ſyllogiſmi, quod generatim ad omnes conditiones ſyllogiſmi non eſt extendendum, ſi enim agitur de certitudine, quando altera propoſitio eſt de fide, & altera nota lumine naturali, concluſio inde orta certior eſt præmiſſa naturali.

9. Ex duabus præmiſſis particularibus, ſiue affirmatiuis, ſiue negatiuis, nihil concluditur.

10. Ex duabus præmiſſis negatiuis nihil etiam concluditur.

Prima figura eſt ea in qua medius terminus ſubiicitur maiori extremo, & minori attribuitur. Art. 3.

In ea ſunt 4. modi directè concludentes. 12. inutiles, 5. indirecti, directis communiter annexi. Directorum primus eſt, quando ex duabus propoſitionibus vniuerſalibus affirmatiuis colligitur concluſio vniuerſalis affirmatiua.

2. Modus eſt quando ex maiori vniuerſali negatiua, & minori vniuerſali affirmatiua, colligitur concluſio vniuerſalis negatiua.

3. Quando ex maiori vniuerſali affirmatiua, & minori particulari affirmatiua colligitur concluſio particularis affirmatiua.

Duæ sunt regulæ huius figuræ. 1. ex puris affirmatiuis nihil concluditur in 2. figura. 2. ex maiori particulari nihil sequitur in secunda figura.

Tertia figura vt omnes suos modos complectitur, dici potest ea esse in qua medius terminus vtrique subiicitur extremo. Art. 5.

Medium vocatur in hac figura, id de quo ambo extrema prædicantur, extrema, quæ de medio prædicantur, maius extremum, quod longius abest à medio, minus extremum, quod propius accedit ad medium, quod ponitur extra extrema, & est vltimum positione.

Sex sunt modi vtiles huius figuræ, 1. ex vtraque propositione affirmatiua colligit particularem affirmatiuam.

2. Ex maiori vniuersali negatiua, & minori vniuersali affirmatiua colligit conclusionem particularem negatiuam.

3. Ex maiori particulari affirmatiua, & minori vniuersali affirmatiua deducit conclusionem particularem affirmatiuam.

4. Ex duabus affirmatiuis prima vniuersali, & altera particulari, colligit conclusionem particularem affirmatiuam.

5. Ex maiori particulari negatiua, & minori vniuersali affirmatiua deducit conclusionem particularem negatiuam.

6. Ex maiori vniuersali negatiua, & minori particulari affirmatiua deducit conclusionem particularem.

Duæ sunt speciales regulæ huius figuræ, sicut & præcedentium. Prior est, ex minore negante nihil concludi. Posterior, con-

clusionem debere esse particularem.

EX CAP. III.

Art. 1. MODI hi nouemdecim syllogismorum vtiliter concludentium, sunt imperfecti siue indirectè, siue directè concludant, præter quatuor primos primæ figuræ, ad quos proinde alij arte aliqua reduci debent.

Syllogismus imperfectus ad perfectum duobus modis potest reduci: 1. ostensiue, 2. reducendo ad impossibile.

Primus reductionis modus tunc fit, quando probatur aliquis modus indirectus primæ figuræ, contradictoria conclusionis negatæ debet esse maior in nouo syllogismo, & quæ erat maior debet fieri minor. Oppositum tamen seruandum in modo qui dicitur, Celantes.

2. Regula est, quando probandus est syllogismus secundæ figuræ, maior seruanda est, & minor ex contradictoria conclusionis negatæ constituenda.

3. Est. Quando probandus est syllogismus. 3. figuræ, minor seruanda, & contradictoria conclusionis negatæ, pro maiori assumenda.

Art. 2. Tertius modus quo syllogismi probari possunt, est syllogismus expositorius qui constat medio singulari.

In tribus figuris fieri potest, maxime in tertia.

Quando ambæ præmissæ sunt singulares, in prima tamen & tertia figura, maior negatiua, & minor affirmatiua, non autem

maior affirmatiua, & minor negatiua, in secunda vtroque modo, legitima potest colligi conclusio ex vtraque affirmatiua.

Licèt nullum sit singulare, quod non possit esse medium in syllogismo expositorio, hæc tamen doctrina non habet locum in diuinis Vt ex medio singulari legitima conclusio erui possit, requiritur vt illud singulare non sit à parte rei plures res inter se distinctæ, & non identificetur cum aliquo, quod sit plures res.

EX CAP. IV.

AD inuentionem medij recolenda diuisio generalis eorum quæ sunt. *Art.* 1.

Deinde propositionis probandæ vel reiiciendæ subiectum, & attributum, tum vero eorum antecedentia, consequentia, & repugnantia diligenter sunt inuestiganda; vbi notandum gradus superiores esse consequentes respectu graduum inferiorum, de quibus prædicantur, sicut vice versa gradus omnes inferiores sunt antecedentes respectu superiorum.

Repugnantia sunt ea, quæ de aliquo affirmari non possunt.

Ex consequentibus ea seligenda sunt quæ ad rem magis apta videntur.

Item, & ea quæ totum antecedens sequuntur, non tantum aliquam illius partem, præterea, proxima potius quam remota.

In iis quæ non semper & necessario sunt vera, satis est inuenire media verisimilia.

Non debet assumi pro medio id quod est subiectum, & prædicatum, seu quod de vtroque affirmatur.

Ad concludendam propositionem vni- *Art.* 2.

uersalem affirmantem, inueniendum est medium quod prædicetur de subiecto conclusionis, & subiiciatur illius prædicato.

Ad concludendam propositionem particularem affirmantem, assumendum est medium quod sit antecedens subiecti & prædicati.

Ad probandam conclusionem vniuersalem negatiuam, sumi debet medium consequens subiectum, & repugnans prædicato, vel vice versa, repugnans subiecto, & consequens attributum.

Ad concludendam propositionem particularem negantem, sumendum est medium quod antecedat subiectum, & repugnet prædicato.

In modo indirecto primæ figuræ qui dicitur Baralipton, vt aliquid concludadatur, assumendum est medium quod sit antecedens subiecti, & consequens prædicati.

His sex medij cum extremis combinationibus vtilibus, tres aliæ inutiles adiungi solent. 1. quando medium attribuitur vtrique extremo. 2. quando medium subiicitur maiori extremo, & de minori negatur. 3. quando medium vtrique extremo repugnat.

EX CAP. V.

An. 1. SYLLOGISMI de necesse duobus modis construi possunt. 1. Ita vt ambæ propositiones sint de necesse. 2. ita vt altera sit de necesse, altera de inesse. Quando syllogismi constant vtraque præ-

missa de necesse, in eo conueniunt cum syllogismis de inesse, quod eosdem habent cum illis modos tum vtiles, tum inutiles.

Quando syllogismi constant ex altera propositione pura, & altera necessaria, variæ statuuntur de illis regulæ, in textu explanatæ, & ibidem propter prolixitatem repetendæ.

Contingens ex Aristotele est id quod non est necessarium, & si ponatur, nihil inde sequitur impossibile. Art. 2.

Propositiones de contingenti inter se conuertuntur quoad dictum.

Duplex est contingens. Aliud quod plerumque fit. Aliud quod est indifferens vt fit, vel non fit. De vtroque potest fieri syllogismus, sed cum discrimine: nam de isto nec scientia dari potest, nec demonstratio: illud vero sub scientiam cadere potest.

De syllogismo modali constante ex aliqua propositione de contingenti, plures regulæ visendæ in textu.

Syllogismus hypotheticus confunditur cum coniuncto seu composito. Diuiditur in conditionalem, copulatiuum & disiunctiuum. Art. 3.

Conditionalis in duplici figura fieri potest. Prima in qua posito antecedente ponitur consequens. 2. in qua ablato antecedente tollitur consequens.

Syllogismus copulatiuus nunquam est affirmatiuus. Negatiuus vnam habet figuram, quæ in eo consistit, vt ex positione vnius partis propositionis altera pars tollatur. Art. 4.

Syllogiſmus disiunctiuus duobus modis procedit. 1. à poſitione vnius partis ad deſtructionem alterius. 2. à deſtructione vnius ad poſitionem alterius.

Art. 5. In ſyllogiſmo ex obliquis ob periculum terminos multiplicandi, vox quæ in aliqua propoſitione afficienda eſt caſu obliquo, eodem modo in alia repetenda eſt.

Interdum tamen idem terminus qui in vna propoſitione ponitur in recto, poteſt poni in alia in obliquo, & vice verſa.

Syllogiſmus duobus modis ſpectari poteſt, 1. ſecundum formam ſeu figuram. 2. ratione materiæ, ſeu propoſitionum, quibus conſtat.

Art. 6. Syllogiſmus ſecundum materiam ſpectatus diuiditur in demonſtratiuum, dialecticum, pſeudographum, & Sophiſticum.

Demonſtratio duobus modis poteſt definiri 1. ſyllogiſmus ſcientialis ſeu faciens ſcire. 2. ratione materiæ, ſyllogiſmus conſtans ex veris, primis immediatis, notioribus, prioribus, cauſiſque concluſionis.

Non requiritur ad veram demonſtrationem, quod præmiſſæ ſint formaliter cauſæ concluſionis quoad eſſe, ſed ſufficit cauſalitas virtualis.

Art. 7. Quatuor demonſtrationis diuiſiones aſſignari poſſunt. 1. in demonſtrationem oſtenſiuam, & ad impoſſibile. 2. in affirmatiuam & negatiuam. 3. in vniuerſalem & particularem. 4. in demonſtrationem propter quid, & quia.

Demonſtratio *quia* procedere poteſt, tum ab affectu proximo tum à remoto, tum à cauſa remota.

Scire propter quid ſpectat ad ſcientiam

ſubalternantem, & ſcire, quia, ad ſcientiam ſubalternatam.

Demonſtratio *quia* poteſt dici vera, licet non perfecta demonſtratio. *Art. 8.*

Non incongruè dici poteſt diuiſionem demonſtrationis in demonſtrationem propter quid, & quia eſſe diuiſionem generis in ſuas ſpecies.

Quæſtio an ſit adæquata diuiſio demonſtrationis in demonſtrationem propter quid, & quia, eſt tantum de nomine.

Demonſtratio per æquiparantiam, ſeu æqualitatem eſt demonſtratio propter quid.

Diuiſio demonſtrationis in demonſtrationem propter quid, & quia, non omninò coincidit cum diuiſione vulgari demonſtrationis à priori, & poſteriori.

Quinque de re aliqua à nobis cognoſci poſſunt. 1. quid per nomen illius intelligatur. 2. an ſit. 3. quid ſit. 4. qualis ſit. 5. propter quid talis ſit. *Art. 9.*

Ante demonſtrationem propter quid præcognoſcendum eſt de ſubiecto primò quid nominis. 2. interdum quid rei. 3. non quidem an ſit actu, ſed an poſſit exiſtere.

De paſſione demonſtranda præcognoſcendum eſt quid nominis, & confusè ſaltem quid rei, non tamen an ſit.

De præmiſſis demonſtrationis cognoſcendum eſt an ſint, ſeu an veræ ſint, non tamen abſolutè eſt neceſſarium, vt ante concluſionem cognoſcatur per actum formalem. & reflexum bonitas illationis.

Probabilius videtur præmiſſas influere in concluſionem, non efficienter & Phyſicè, *Art. 10.*

sed tantum moraliter, seu directè illuminando intellectum.

Certum est intellectum post assensum præmissarum necessitari quoad specificationem actus, ad assensum conclusionis, ita scilicet vt non possit dissentire.

Intellectus vt est potentia quædam naturalis & necessaria, posito præmissarum assensu, non potest assensum conclusionis cohibere. Nec verò etiam ex imperio voluntatis.

EX CAP. VII.

Art. 1. QVATVOR caussæ vulgares nempe efficiens, formalis, materialis & finalis, possunt esse medium in demonstratione propter quid.

Art. 2. Reiicitur opinio, quæ ait definitionem subiecti esse medium potissimæ demonstrationis, ita vt nunquam liceat in perfectissima demonstratione assumere pro medio definitionem attributi: nec non, & ea quæ asserit definitionem subiecti nunquam esse medium in demonstratione, sed tantum definitionem attributi.

Quando de subiecto demonstatur passio, quæ habet causam extra subiectum, non est assumenda pro medio definitio subiecti, sed causa illa externa, præter quam passio illi competit.

Passio demonstanda est per definitionem subiecti, si ab illo proximè & immediatè fluit, si vero mediante aliqua passione, ab eo originem trahit, per definitionem talis passionis.

Quando passio demonstratur per defini-

tionem ſubiecti, tunc definitio illa non tam ſumenda eſt pro definitione ſubiecti, quam pro cauſa paſſionis.

Scientiæ nomen variis modis ſumitur. 1. latiſſimè pro quacumque cognitione ſiue certa, ſiue incerta, ſiue per ſenſum, ſiue per intellectum habita. 2. pro cognitione rei per cauſam, per quam plerumque euenit, ſed non ſemper & neceſſario. 3. pro cognitione rei neceſſariæ, ſed non per cauſam. 4. pro cognitione rei neceſſariæ per propriam & proximam cauſam, quomodo eſt vera & perfecta ſcientia. *Art. 3.*

Scientia 4. modo ſumpta eſt cognitio rei per cauſam, propter quam res eſt, ita vt non poſſit aliter ſe habere.

Duobus modis poteſt cognoſci cauſa vt cauſa. 1. in actu ſignato. 2. in actu exercito. Priori modo non requiritur ad ſcientiam, poſteriori requiritur.

Duplex ſcientia. Alia habitualis. Alia actualis.

Non eſt realis diſtinctio inter demonſtrationem, & ſcientiam actualem.

Demonſtratio eſt cauſa efficiens ſcientiæ habitualis, & conſequenter ab ea realiter diſtinguitur.

Tres ſunt ſcientiæ conditiones. Veritas, certitudo, & euidentia. *Art. 4.*

Veritas neceſſaria eſt ad ſcientiam, vt illa ſignificat conformitatem ſcientiæ ad rem ſcitam.

Certitudo quæ eſt aſſenſus, quo intellectus firmiter, & ſine vlla formidine oppoſiti alicui obiecto adhæret, duplex eſt, Externa & interna. Externa non ſufficit ad ſcientiam, ſed requiritur interna.

Triplex assignari potest gradus certitudinis, quorum primus dicitur certitudo Moralis, 2. Physica, 3. Metaphysica.

Licet certitudo Moralis non sufficiat ad scientiam propriè dictam, & ad scientiam perfectissimam requiratur certitudo Metaphysica, tamen negari non potest, quin ea sit vera, & perfecta scientia, saltem ex mente Aristotelis, ea quæ habet certitudinem Physicam.

Euidentia requiritur ad scientiam Aristotelicè sumptam.

Euidentia etsi non requiritur ad scientiam, nisi quatenus ex ea naturaliter certitudo oritur, si tamen defectus ille euidentiæ aliunde suppleatur, adeo vt cognitio aliqua, licet obscura, non minus sit certa, quam si esset euidens, non immerito dici poterit eiusmodi cognitionem habere absolutè veram rationem scientiæ.

EX CAP. VII.

Art. 1. SYLLOGISMVS Topicus ille est qui ex probabilibus concludit.

Probabilia ea sunt quævidentur omnibus, vel plerisque, vel sapientibus, atque his vel omnibus, vel plerisque, vel maximè notis & claris.

Non omnia probabilia eundem probabilitatis gradum habent, quædam enim per se, & primo aspectu probabilia apparent; quædam non ita per se, sed aliqua probatione indigent.

Proprius effectus syllogismi Topici, est generare opinionem.

Opinio est assensus determinatus alicuius propositionis non necessariæ ob medium

dium probabile, vel ob ipſam rei probabilitatem elicitus.

In opinione duplex eſt habitus, quorum alius fertur in propoſitiones quæ per ſe, & immediatè ſunt probabiles, alius verò in propoſitiones, quæ ex aliis prioribus ſuam probabilitatem ſumunt.

Subiectum ſyllogiſmi Topici poteſt eſſe quodcumque ens. *Art. 2.*

Attributum ſyllogiſmi dialectici eſt quadruplex: nempe genus, vel definitio, vel proprium, vel accidens, quod ita intelligendum eſt, vt omnia attributa ad illa quatuor poſſint reuocari.

Quatuor ſunt generalia inſtrumenta quibus argumenta, ſeu media poſſint inueniri ad concludendam quamcumque quæſtionem propoſitam, quorum primum eſt, propoſitiones ſumere: 2. quot modis quidque dicatur, poſſe diſtinguere: 3. differentias inuenire: 4. ſimilitudines inueſtigare.

Varij ſunt loci, quibus probetur multiplicem eſſe alicuius vocis ſignificationem. *Art. 3.*

Primus eſt à contrariis, qui in varios ſubdiuiditur in textu. 2. à contrariorum mediis, qui triplex eſt. 3. à contradictoriis. 4. à priuantibus. 5. à caſibus qui ad coniugata refertur, poteſtque multipliciter efferri. 7. à definitione compoſiti ſeu coniuncti. 8. à comparatione. 9. à differentiis, qui variis modis tractatur. 10. à ſpecie & differentia.

Varij ſunt modi tertij inuentionis inſtrumenti in textu explanati ex Ariſt. *Art. 4.*

Non ambigitur de primi inſtrumenti vtilitate. Secundi, quod in ambiguorum

distinctione consistit, quatuor vtilitates profert Aristoteles. Quarum prima est perspicuitas. 2. quia hinc fit, vt de re ipsa disputetur non de verbis. 3. ne paralogismo capiamur. 4. ad alios fallendos hæc multiplicium distinctio vtilis est, sed animi causa, hoc enim est Sophistæ, non dialectici.

Inuentionis differentiarum duæ sunt vtilitates. 1. ad syllogismos de eodem & diuerso extruendos. 2. ad cognoscendum quid quæque res sit.

Inuentionis similitudinis tres sunt vtilitates. 1. ad probandum aliquid per inductionem. 2. ad syllogismos hypotheticos. 3. ad definitiones construendas.

Art. 5. Præter generales locos supradictos sunt & alij speciales.

Locus diuiditur in maximam, & differentiam maximæ: sub loci nomine, maximæ differentia hic intelligitur, & maxima proprio nomine exponetur.

Loci intrinseci sunt septem. 1. à definitione. 2. à genere ad species. 3. à specie ad genus, vel ad indiuidua. 4. à differentia 5. à partibus integrantibus ad totum & vice versa. Et quidem à partibus ad totum duæ maximæ eruuntur. Positis omnibus partibus ponitur totum. Altetera, ablata vel vna parte, tollitur totum. E toto vero ad partes, duæ aliæ maximæ sumuntur, prior est, posito toto ponuntur omnes illius partes. Posterior ablato toto tollitur aliqua illius pars. 6. locus est à proprio ad essentiam, ex quo variæ maximæ erui possunt. 7. est ab accidente & subiecto, ex quo etiam variæ maximæ depromuntur.

Loci extrinseci, alij sunt non repugnantes, alij repugnantes. Non repugnantes sunt nouem. 1. est à causis efficiente & finali, quæ sunt nouem. Ab efficiente finali plures maximæ generales erui possunt in textu expositæ. 2. est ab effectibus. 3. ab antecedentibus & consequentibus, quæ dicuntur illatione & tempore. Ab antecedentibus & consequentibus illatione, 4. maximæ obseruari debent. Et ab antecedentibus & consequentibus tempore, aliæ totidem. 4. locus est à circumstantiis, ex quo tres maximæ erui possunt. 5. est à coniugatis ex quo duæ maximæ. 6. à simili, ex quo eruitur maxima vnica. 7. à maiori, seu verisimiliori, ex quo & vnica tantum maxima. 8. à minori, seu minus verisimili, ex quo & vna duntaxat maxima. 9. ab authoritate quæ duplex est diuina & humana. *Art. 6.*

Loci repugnantes duo tantum assignantur. 1. ab oppositis, vnde duæ maximæ generales erui possunt. 2. à dissimilibus qui duas maximas suppeditat.

Syllogismus Sophisticus est is qui concludit ex propositionibus quæ probabiles videntur, cum tamen non sint. *Art. 7.*

Nonnulli contendunt tres esse syllogismi Sophistici species: 1. quæ in sola materia peccat. 2. quæ in sola forma. 3. quæ in materia & forma. Fallaciæ Sophistarum aliæ consistunt in verbis, aliæ in rebus.

Fallaciæ verborum sunt sex. 1. æquiuocationis. 2. amphibologiæ. 3. compositionis. 4. diuisionis. 5. accentus quæ contingit ob accentus vel pronunciationis varieta-

tem. 6. est figura dictionis quæ de similitudine variarum vocum oritur, idque aut grammaticaliter aut Logicè.

Fallaciæ in rebus sunt septem. 1. est fallacia accidentis. 2. est dicti secundum quid & simpliciter. 3. est ignorationis elenchi. 4. est consequentis. 5. est petitionis principij. 6. est non causæ, vt causæ. 7. plurium interrogationum vt vnius.

Finis Thesium Logicæ.



F. S